**De abscessuum recondita natura, libri VIII ... / [Marco Aurelio Severino].**

**Contributors**

Severino, Marco Aurelio, 1580-1656.

**Publication/Creation**

Neapoli : V. Manfredi, 1763.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/ed2xgcqu

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

47902/B

J
Kalus
1904

43. B. 11207






Cimarelli Sculp.

# MARCI AURELII SEVERINI

APUD NEAPOLITANOS MEDICI AC PHILOSOPHI REGII

DE

# ABSCESSUUM RECONDITA NATURA,

LIBRI VIII.

I. DE ABSCESSU CRITICO, CUM CONSULTATIONE SINGULARI.
II. DE ABSCESSIBUS PER CONGESTUM,
III. DE ABSCESSIBUS ANOMALIS.
IV. DE NOVISSIME OBSERVATIS ABSCESSIBUS.
V. DE PAEDARTHROCACE, ABSCESSU PUERORUM PROPRIO.
VI. DE GIBBIS, VALGIS, VARIS, ET ALIIS AB INTERNA VI VARIE LUXATIS.
VII. DE EPINYCTIDIBUS, ROSEOLIS SALTANTIBUS ET PERNIONIBUS.
VIII. DE ΠΑΙΔΑΓΧΟΝΗ ΔΟΙΜΩΔΕΙ.


*Editio noviſſima, multis Iconibus aere inciſis ornata, ac locupletiori rerum, verborum, & hiſtoriarum, indice donata.*

Accedunt & Clariſſimorum Virorum judicia ſuper hunc de recondita Abſceſſuum natura Tractatum.



NEAPOLI, MDCCLXIII.
Typis VINCENTII MANFREDII.
Expenſis STEPHANI MANFREDII.

SUPERIORUM FACULTATE.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

*VIRIS*

*CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS*

VARIA DOCTRINA ET EXIMIA

ERUDITIONE INSIGNIBUS

PER ORBEM TERRARUM CELEBERRIMIS

ARTIS MEDICAE PRINCIPIBUS

D. HERMANNO BOERHAAVE

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORI

MEDICINAE BOTANICES CHEMIAE

ET COLLEGII PRACTICI

IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA

PROFESSORI

COLLEGII CHIRURGICI PRAESIDI.

D. H. OOSTERDYK SCHACHT

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORI

MEDICINAE THEORETICAE ET PRACTICAE

PROFFSSORI.

D. BERN. SIEGFRIED ALBINO

MEDICINAE DOCTORI

ANATOMES ET CHIRURGIAE

IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA

PROFESSORI.

HOC

# MARCI AURELII SEVERINI

THARSIENSIS PHILOSOPHI MEDICI

REGIO IN GYMNASIO NEAPOLITANO ANATOMES

ET CHIRURGIAE

PROFESSORIS

## DE RECONDITA ABSCESSUUM NATURA

ERUDITISSIMUM

MULTIS NOMINIBUS PRAESTANTISSIMUM

MEDICINAE HINC CULTORIBUS UTILISSIMUM

A LONGO TEMPORE LAUDATISSIMUM

OPUS

QUAM POTUIT NITIDISSIME ET ORNATISSIME

EORUM EXHORTATU PRAESIDIO

AB INTEGRO EDITUM

IN OBSERVANTIAE EORUMQUE NOMINUM

EXISTIMATIONIS TESSERAM OMNI QUA

PAR EST ANIMI REVERENTIA

HUMILLIME OFFERT ET DEVOVET.

*JOANNES à KERKHEM.*

ARTIS

# ARTIS MEDICAE CULTORIBUS

S.

PLerorumque jam Veſtrum, qui, illorum, quae ad Veſtram, generi humano in primis ſalutarem, ſumme excolendam & omnibus numeris ampliandam Scientiam ſpectant, avidi, hocce Magni SEVERINI, omnium quae nobis legavit praeſtantiſſimum, Opus exoptaſtis, voto & deſiderio reſpondetur. Comperta quippe vobis Artis Chirurgicae praeſtantia & nobilitate; quod ſuo induſtrio & dextero cultu terricolis, alias ſaepe perituris, adeo feliciter opituletur; tum quod accurato ejus perſpectu ad externa attendens mala animus veritatibus hiſce, quibus internas, & abditas, corporis noſtri laeſiones cognoſcet, imbuatur; tanti Viri operam arripere, & in uſus convertere Veſtros, cupiviſtis, cui in hac arte par Vobis non innotuerat. Sed obſtabat Veſtro ſcopo Operis hujus exemplarium penuria; cum plus ſemel licet excuſus liber, venalis amplius reperiri non poterat, niſi hinc inde, & magno pretio, forte arceſſendus, praeſertim qui Francofurti editus, A. 1643; verum, quod peſſimum, propter enormes mendas, numero certe non facili creditu, Tyronibus vix uſum praeſtans, & aliis maximum movens taedium. Neapolitana inſuper editio, forte paulo purior licet, commodis Veſtris neutiquam ſufficiebat; pauciora longe equidem haec, quam illa modo indicata, ab ipſo Auctore tum adaucta, octavo ſimul addito libro, egregio opuſculo, referebat. Aliae porro, ſi exſtent, editiones, ut Patavinae una A. 1651. & altera A. 1668. adeo certe latent, ut, potius quam quis has adipiſcatur, harum in libro de Script. Med. A. van der Linden, modo ſupereſſe videantur Tituli. Quae jam omnia remota incommoda; ubi Neapolitana nitidiorem & locupletiorem multo, atque Francofurtenſi ſqualida caſtigatam magis, obtinebitis. Decoram Summi Viri effigiem, qua aliae carebant editiones, Operi praepoſitam non deſpicietis; cum ſimul, eo, gratum Viri vultum, dum acutiſſimum ejus evolutum Opus praedicat ingenium, mirari occaſio detur! Accipite ergo Opus, in Veſtram quod prodit gratiam! nec Veſtrum, fidem habeatis, fruſtrabitur expectationem. Placebit admodum, praeter Romanae Linguae puritatem, omnium fere Tumorum, caeterorumque malorum, exquiſitiſſimus deſcribendi modus; placebit ſedula adeo, & vix exſpectanda, omnium phaenomenon & circumſtantiarum, in perſcrutandae mali naturae tenden-

*dentium inveſtigationem, adnotatio. Miraturi eſtis acutiſſimi, ſimulque dexterrimi, in malis debellandis Viri, methodum, fauſtumque ſucceſſum. Et, quod iis in primis, qui artis ſuae certa fundamenta jacta volunt, pergratum erit, quam plurium Tumorum, Ulcerum, &c. variis in corporis partibus repertorum, ſelectiſſimi exhibentur Caſus & Hiſtoriae. Quid pluribus? ubi adeo excellentium omnium, doctorum, ore pervulgata huc uſque Viri fama; ultroque de ejus meritis Vobis certi teſtes, Praeclari Viri, quorum auſpiciis, denuo exit Opus, eſſe poterunt.* Valete!

# PRIORIS EDITIONIS DEDICATORIA

ILLUSTRISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO, DOMINO,

# D^r FERDINANDO ENRIQUEZ

## RIBERAE,

## ALCALANORUM DUCI, &c.

*Consilii supremi ordinis apud Regem Hispan. Consiliario, nunc in Siciliae Regno Proregi,*

# MARCUS AURELIUS SEVERINUS.

## F.

SI quod argumentum ad scribendum, hoc tempore accomodatum, aut aliis, aut mihi, multis nominibus aggrediendum fuit; illud est unum, quod Generosa tua filia natu minor, Princeps Excellentissime, male valens hisce diebus exhibuit. Nam hoc plurimis ex caussis peropportunum visum est. Prima enim dignitas est rei, quae plane admirabilis, & multis ab hinc annis, ne seculis dicam, nova visa est. In morbo, inquam, phoenomena quaedam, quorum adeo occultae caussae, ut in singulares & arcanos gubernantis naturae conatus referre opus fuerit multis; itemque varias, difficiles, ac perplexas opiniones comminisci, quo exitus enodationi pateret. Altera caussa est personae claritas, atque splendor; cujus, ut in Illustrissimo loco consistentis status, quicumque cognitus omnibus sit oportet: nec dico tantum genti nostrae ac popularibus, quos tua nunc prudentia moderatur; sed & Tuis Hispanis, aliisque, qui tuas res omnes vel ut spectatissimi Principis attentis auribus hauriunt. Ad haec, cum de omni Republica, deque universa ditione Neapolitana, tam egregie, tam prope divine, meritus sis: officii nostri, qui cives sumus, ratio, gratitudinisque obligatio, poscit; ut, quacumque tandem ratione possimus, gratiam aliquam referamus singuli cujusque ordinis. E Medico autem, qui noster ordo est, cum mihi, te jam approbante contingerit, ut lepidissimae Heroinae insolenti morbo gravatae meam medendi operam impenderim; cassam hanc equidem nullamque putem, nisi & multum meum in hac re studium ac sollicitudinem, quam Principi bene merentissimo, totaque Europa Clarissimo, debuerim, ad posteros, exterosque quantum liceat, transmittam. Quamquam, quid haec ad tot ac tanta beneficia,

qui-

quibus seu singulari tua bonitate, seu Patrio exemplo patiam nostram regionem admirabiliter cumulasti, atque in dies cumulas, salutem & libertatem vendicas;

*Res Italas armis tutaris; moribus ornas;*
*Legibus emendas;*

Rectos vivendi mores revocas; justitiam, & pietatem caeteraque virtutes, bonasque artes excolendas facis; ita, ut, quod D. Alphonsi tempore factum legimus, id nunc sub Tuis gubernaculis experiamur: quo statu rerum quid optatius? quid praestabilius? quid felicius excogitari queat? Habes jam causas, quae tum ad rem ipsam; tum ad Heroinae filiae personam; tum ad nos ipsos spectantes, modis omnibus ad scribendum jam nos impulere. Utinam autem pro dignitate magno functi munere fuerimus! Verum tamen curationis felicitas una ipsa sit, quae caeteris suppleat, & inelegantiam nostram exaequet; quam quidem tumultuaria scriptio non nutrire non potuit, alias fortasse plenius excolenda. Interim vale, ac diu feliciterque apud nos regna, Princeps regnare dignissime.



PERILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO

VIRO,

# D. MARCO AURELIO SEVERINO,

In Regia Universitate Neapolitana Doctori ac
Professori primario,
Salut. & observ.

QUasi Genio aliquo impulsore ad Exc. T. scribo. Tametsi enim inter eam, ac me, nondum ulla interceſſerit notitia, ullave epiſtolii tranſmiſſio, aut commutatio; rara tamen doctrina tua, quam exaſciatiſſimus Tractatus de recondita Abſceſſuum natura ſolibus hiſce, ex Italia (ubi triennium fere ſtudiorum gratia ante haec contrivi) allatus, ubertim nobis adaperuit, arcano lentoque vinculo Tibi me conjungit.

Rem decumanam, fidem mihi habe, molitus es; nec dumtaxat molitus ſed & perfeciſti, invidendam ocyus quam imitandam. Auribus hic nil quidquam do, cum ab hac re voluntas mea longiſſime abhorreat, nec erudiſſimi deſint Viri, qui mihi adhinniant. Sive namque materiem, nondum quartam quidem partem ab alio ullo elaboratam, ſive ſtili elegantiam ac diſſertitudinem, ſive rerum ordinem, ſive rationum momenta, ſeu denique alia coagitata menſura, ſeduloque intertexta, expenderim; non eſt, quod ſingularem ac vere ſalutarem, ubique praedicabilem, ac vix intermorituram, Te navaſſe operam, cunctoſque expleſſe numeros, ullatenus addubitetur.

Quo nomine, cum provinciam tuam, tam egregia cum laude & bono publico hic ita ſuſtinueris, hancque tam compte ornaveris Spartam, nemo certe eſſe debet literarum amans, quin Tuo, mi SEVERINE, aſſurgere nomini, gratiaſque agere & debere immortales, velit.

Verum, invidis, quibus μωμεῖασθ quam μιμεῖασθ facilius, & qui, Te ampiruante, redantuare ignorant, valere juſſis, ulteriori commendationi ſuperſedeo, re ipſa,

(rumpantur ut ilia Momis,)

loquente & Poetae Claudiani in pareg. 6. de conſ. Honor. me retrahente paroeneſi, dicentis,

Fucati ſermonis opes, mens conſcia laudis
Abnuit.

Unum nos qui in umbilico Teutidos agimus, queritamur Exemplarium penuriam! Quocirca ut hic denuo, praelo Chalcographico ſubjiciendi veniam ac licentiam nobis des, ſimulque ea, quae forſan adjicienda aut inſerenda

*videbuntur, haud gravatim transmittas, nostrisque imo cunctorum studiis opituleris, oro ut exorem; hoc namque facto, aeternantibus ingenii monumentis Theatrum posteritatis tanto uberius, replebis, Tibique eriges*

Monumentum aere perennius,
Regalique situ Pyramidum altius,
Quod nec imber edax, nec aquilo impotens
Possit diruere.

*Hisce felicissime vive, amussitato opere Tuo, spretis quotquot adversantibus, secundum abagionem illam:*

Ἀκμῶν μέγιστος ὁ φοβεῖται τὸς ψόφους.

*GERMANOS, Germanorum amator ac Favitor, exhilara, optimeque vale!*

*Scrib. Francofurti ad Moenum, prid. Kalend. Novembr. salutiferi Virginei partus, Anno* 1642.

Nominis & Amplit. T.

*Colentissimus*

L. AB HORNIGK,

U. Juris, Med. & Phil. D.

EDI.

# EDITIONIS SECUNDAE DEDICATORIA

*Amplissimo Viro*

Rerum naturae, Medicae Facultatis, Civilis sapientiae
consultissimo, eruditione ac virtutibus
excultissimo,

# Dr LUDOVICO AB HORNIGK,

S. Pal. Comiti, Consiliario Caesareo, Palatino & Solmensi;
nec non Dynastiae Solmejo-Rode-heimensi Praefecto;

# MARCUS AURELIUS SEVERINUS

*PROFESSOR Jatrophysicus Neapolitanus, se, suumque monumentum hoc*

*D. D. D.*

EPISTOLA tua mente sagacissima, quasi Pallas in Jovis cerebro concepta, Venere & amoribus sata, inter Charites nata, à Mercurio suscepta, per Suadam dictata, ὑ χειρατ☞ Αμαλθείας donis ditata, h. e. cunctis eloquentiae, prudentiae, officii, studii, candoris, urbanitatis numeris, exornata; tametsi grande quippiam voto suo molita, nullum tamen obtinendae rei negotium, nullum laborem experta est, ut optatum Legationis & postulationis suae fructum referret: non alio sane modo, quam magna beneque instructa classis, vel ingens ac fulminatrix belli machina murorum oppugnatrix, vix in prospectu consistens, vix accedens, modicum ambitum propugnaculum continuo ad deditionem compellit. Nam quod ego non obviis, ut ajunt ulnis, animo non exporrecto, monumentum illud meum sic bene auspicato, sic bene feriato, in manus Excellentiae Tuae traderem etiam cum accentario? Nam neque minorem proclivitatem ex me poscit, tum promeriti Tui exuberantia, tum compar officii debitique mei magnitudo. Taceo, quod summi mihi decori est, incomparabi ornamento, per tantum Virum interpellari, reculam humilem negari, tuaeque nae vivam! honorificentiae fuit potius, quam mea dignitatis, tam multum honori Te meo velificari. Debebamque porro, quod petiisti, prior ego quam Tua, LUDOVICE, gravitas contendere; Donum scilicet ac Bonum, quod si plerisque, est utile, mihi sane quam honestissimum cadit. Quemadmo-

dum homini ruſtico magnum quid contigiſſe viſum eſt, quod Alexandro Macedoni potum petenti de aquae cyatho licuerit gratificari.

Jam vero, quod ego plurimum hac petitione Tua lucrifecerim, neque ipſa parum es foeneratus. Nimirum pro piſciculo retuliſti didrachma: quinimo (amicitiae ſtudio facile tanti feceris) pyropum, h. e. meum de Te flagrans cor, Tibique jam expoſitam voluntatem atque [illegible]; verum tamen vide, Mi LUDOVICE, ne [illegible], quam ego, captus & ipſe fueris hac piſcis fab[illegible]: nam piſcantis jam venati donax & ſeta cum [illegible] apparatu, ſic manet operi, implicata, piſciſque praecordiis illigata, ut neque haec ſuae tum ſpontis videantur. Verum captiva reſtant captivi. Sic igitur cum me meaque obnoxia tute Tibi feceris; & ipſe mihi obnoxius factus es; nimirum libro potitus non ſic liber evaſiſti, ut non ejus Tu quoque ſarcinam tibi aggregaveris atque coemeris, i. e. tutelam, defenſionem, propugnationem, perinde ac (Juris-Conſultum alloquor) cum quis adoptivum ſibi adſciſcit. Ad hunc modum vides irrigatam Nomini tuo praeclaro voluminis iſtius Dedicationem. Quam cum incautus ipſe ſubjeris; ego non improvidus confirmarim: aequo jam debes animo ſuſcipere nec gravate retinere; ſeu fato quidem id evenerit, ſeu ſic volentibus maximo tuo erga bonas artes ſtudio, tuaque nos humanitate, comitate, bonitate, caeteriſque cauſſis honeſtiſſimis; quae omnes in has Te tricas conjecere. Verum, quid dixi tricas? quando ſuaviſſima haec Tibi debet eſſe provincia, nec ab inſtituto tuo, qui bonas literas ex animo colis, aliena. Accedit, quod decorum & glorioſum putas, bonorum aliorum ſuſcipere clientelas rerumque bonarum patrocinia; nec non omnia, quae probari ſolent à probatiſſimis Viris, quaeque noris Superis eſſe grata: haec amplecti gaudes attentiſſime, quod enim ſic longe peregrinatum Librum meum tam benigne, tam liberaliter exceperis; hoſpitalitati profecto ſerviviſti; quam Juppiter in terris cum Mercurio praeambulans aureis temporibus primam humano generi commendaſſe viſus eſt.

Jam vero dum hac inclyta Tua virtute geſtis ac vigilas longinquis & ITALIS adjuvandis; videris & ipſe Diis coelitibus unice adjutus, qui generis ſplendore, nominis claritate, praefecturarum dignitate, Imperatoris ſummi gratia, imperandi in S. Palatiis & Dynaſtiis poteſtate, ſuadendi felicitate, plurima in collegia collegaſque auctoritate, amicorum & aſſeclarum copia ſic abundas, ut plane adfluas; ut quid igitur tanti Tua praeſtantia pari cum noſtrarum rerum ſtudio conjuncta, non valeat, aut non debeat hoc ſibi dicatu opus amice excipere? res inter ſuas habere? tutari atque fovere?

Foveas igitur, amplifices, protegas, defendas, & Tuae Magnanimitati proprium & Tua virtute dignum opus! Vale feliciter! Neapoli Idibus Februarii M. DC. XLIII.

IL.

# *ILLUSTRI VIRO*

# MARCO AURELIO SEVERINO

Efficacis Chirurgiae inſtauratori,

# JOANNES BAPTISTA FERRARIUS,

Medicus Vergianenſis, Teleſianae Philoſophiae
Profeſſor, de feliciter repertis bene gaudere.

*Nemo verbis complecti queat, Vir Clariſſime, quam tibi multum Chirurgia debeat: quae foeda noſtrorum temporum inſcitia, & miſeranda bonarum artium calamitate viliſſimo loco habita, ab imperitis detractata, & multis jam ſeculis corrupta, & mutila, jacens, Tuo nunc beneficio atque improbo labore inſtaurata, dignitati integritatique ſuae, quae multa eſt, reſtituta & modis omnibus exornata, redivivae velut Phaenicis modo noviſſime reſurgit. Debent & Tibi Poeoni terrarum noſtrarum chiliades hominum liberatorum à doloribus, à languoribus, à morborum exagitatu, a marcore, à deſperatione ſalutis, & a morte: ad minimum certe plurimi ſub moerore, & incommodis vitam finiiſſent, qui nunc integri valent, vigentque. Ex his poſtremis & me dudum eſſe vere confiteri poſſum, qui diu ab accretis intra ſuperiores nares carunculis (polypum majores apte dixerunt) infeſtatus, dum hujus importunitatem ferre non differo, virili intrepidoque animo periculorum omni metu depoſito, id in me ipſo praeſtiti, quod vix in aliis expertus fuiſſem. Mea enim ipſius manu forficula in impeditos meatus penitius immiſſa, non multo profuſo ſanguine, neque iniquo cum dolore, odibile ſarcoma, circumplicitum excidi, firmiſque de radicibus evulſi: rem ſane, quam ne ſomnio quidem ſperaſſem, tam e voto tamque feliciter eventuram: ſed tamen ita re ad optatum exitum perducta comprobavi plane, quod collaborantes adjuvet Deus. Exinde igitur ſpiritus libertate recepta vixi compos inculpati effatus, & anapnoeae, qui prius ſecundum utrumque offenſus, mihi ipſe diſplicebam. Quod vitae commodum, quamque integritatem, uni Tibi acceptum referam neceſſe eſt, SEVERINE praeſtantiſſime, qui res omnes, apparatum, & agendi rationem, oſtendiſti, difficultates expediſti, trepidantì animum auxiſti, manumque direxiſti ſic, ut rite rectèque rem abſolvere, quiviſſem; ſoluta ſemel culpa, quod alios medendo juvare contenderem, qui mihimet ipſi ſuccurrere non poſſem. Acceſſerunt & ad eam rem adjumenta alia, ſiquidem te & de efficaci ſaepe Chirurgia diſſerentem audiverim, & intrepidam hanc ratamque factitantem in plurimis obſervarim. Porro aſſuetus ante hac frigidis Medicorum*

*rum noſtratium cautelis, qui languentes prius ad tabem perduci ſinunt, quam quidquam adjuvent: primum apud Te, Virum vere Aſclepiadam, ſtudium ac rationem medendorum morborum inmanium generoſam comperi, vidique mirum in modum ea de re, tamquam de comperto maximo theſauro, laetatus. Bene igitur auſpicatum illum diem voco, à quo primum tempore curioſus cognoſcendi tui, quem fama erat, jam obliterata & altis obducta, priſcorum Aſclepiadarum placita, voce non ſolum & calamo adſerere, verum etiam experimentis, uſuque feliciſſimo, revocare: tum cominus viſurus obſervaturuſve medentem adii, ductus, credo equidem ammonito genii, qui non poenitendos, ſed claros fructus inde promiſerat. Qua ipſa fiducia non me fruſtratum, ſed expletum magna ex parte declarant, & quod mihi per me, ſine aliorum ope, recuperarim functionis immunitatem, & quod corruptum jam vetus medentium inſtitutum, deſeruerim, novae meliorque Tuae methodo adhaerens; quam retenturus equidem ſum, donec Apollinaris ars mihi fuerit exercenda. Interim, quod me ad genuinam medendi rationem cognoſcendam, excolendamque, auctor fueris, quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, inmortalem alioqui gratiam habeo, habeboque, dum vivam: nam relaturum, me affirmare non poſſum; cum merito res non patiatur, ut ſatis fecerim unquam. Vale! & ad gloriam non tentatarum alicui rerum feliciter perge.*



FRAN-

# FRANCISCI ROMANI
## A CONTURSIO,

In ampliſſimo Incurabilium Valetudinario, Medici Profeſſoris,

*Super hoc opere de Recondita Abſceſſuum Natura, ad ingenuum Lectorem Epiſtola.*

MOrborum omnium, qui miſeros mortales infeſtant, ſupra trecentos crediti Plinio, duplex eſt genus: *alterum* quidem eſt eorum, qui quadam veluti comitate curari ſe permittunt; *alterum* eſt eorum, qui ſunt inſanabiles putati vulgo. Poſteriores hos omnes communis medendi mos tamquam feras, quae nunquam cicurantur, nedum non attingit, ſed plane deſtituit; & ſane injuria, quando malis omnibus ſua reſpondere remedia confeſſum eſt, & à doctis Viris abunde monſtratum. Illud tamen non diffiteor, quod graviore quadam ratione, ſtrenuiſque omnino praeſidiis, ſunt eadem oppugnanda: nimirum ut paria ſint obſiſtendi momenta; immo major etiam ſi in evincendo modus; ut prudentiſſimi Viri requiſivere. Hoc igitur ſtudium, & has morborum ferme inſanabilium vindicias, Marcus Aurelius Severinus Philoſophus, & Medicus plane doctiſſimus, primus & ſolus jam pridem inſtituit; heroico ſcilicet animi robore, atque conſilio; quale fuit Herculi, felicibus ſeculis, ad debellanda monſtra, atque ad purgandas belluis immanibus omnes terras, ſic in ampliſſimis Incurabilium Valetudinariis, aliiſque ſodalitiis, & univerſo populo Neapolitano, civibus & advenis refertiſſimo, velut in vaſto campo magnanimum hoc ſuum inſtitutum, & munus, ad hanc diem exercuit, morbos curans, ex internis quidem *vetuſtas & implacabiles cephalaeas*, *manias*, *morbum ſacrum & attonitum*, *imminentem coecitatem*, *phthoen*, *empyema*, *phthiſin*, *hydropen*, *& languores alios*. Ex externis vero vitiis averruncavit *vaſta hydrocephala*, *horrendas capitis exoſtoſes*, *ſpiritum abrumpentes polypos*, *jam jam ſtrangulantes anginas*, *coalitos natura digitos*, *dirupta ulceribus inteſtina*, *atque veſicam*, *rhyadicos*, & hoc genus. Quid dicam autem *ſeptemplices fiſtulas*, *ulcera chironia*, *telephia*, *amplivagas phagedaenas*, *abſumentes nomas*, *theriomata dira*, *exitiales ſiderationes*, *atque gangraenas*? quot autem liberavit *annuis ulceribus* oppreſſos, *frigidis abſceſſibus* confectos, *carcinomatis* tortos, *ſaeviſſima Syphilidis lue* correptos ac pene corruptos? denique conclamatos ac depoſitos, quot & quales hac oratione referre non poſſum: ut haec quidem facta non hominis, ſed Indigetis cujuſdam, divinitus inter mortales immiſſi, dicere non dubitem. Equidem, qui ſaepe illum

illum in arduis, & omni ſpe orbatis, allaborantem quotidie non tam vidi, quam demiratus ſum. At quibus, dices, artibus & modis, inſuperabilia tot ſunt ab hoc Viro mala ſuperata? inſtrumentis inquam & operis exquiſitis atque magnificis; quae ſunt *arteriarum ſectio*, *jugularium & nova venarum apertio*, *excellens ſcarificationis ac ſectionis uſus*, *paracenteſis*, ac denique *ignis*; non ille quidem retorridus ſolum, ſed ſuavior, ac novis ſuis repertis tolerabilior: qualem ipſe auctor *in Protechnias opere* palam faciet. Eſt autem agendi ratio nova, & certa quaedam Medicinae forma, quam efficacem ipſe primus appellavit; traductam ex primo Hippocrate, atque Aſclepiadis; deinde Alexandrinis Medicis, & Latino Celſo; tertiis Oribaſio, Aretaeo, Aetio, Paulo, & poſtremo Albucaſi, Arabum primario. Quam Medicinam maleferiati Medici ſuccedentes, tum obſcurarunt, tum corruperunt, à ſexcentis ferme annis, ut auctor hic ſupputat, ad hanc aetatem: quanta autem cum artis injuria, quanto cum profitentium detrimento, quandoque cum languentium incommodo, dici ſane non poteſt. Caeterum hanc artem Severinus ruinoſam inſtaurat, mancam integrat, exercitam falſo corrigit, conciſam amplificat, ac veteri cum ſuo ſplendore conciliat; non doctrina ſolum & ſcriptis, ſed quotidianis etiam obſervationibus, experimentiſque, multiplicibus. Atque adea praeſtat ſuus hic medendi mos aliis; quantum nugis ſeria; verbis effecta; ambagibus evidentia; ſarctis tectis oſtenſionibus experimenta; teſtimonium oculatum traditione; ſcientia opinione. Porro Severini ſi perpenderis in inveſtigando ſolertiam, in meditando profunditatem, in ſcribendo facundiam, in aggrediendis arduis fiduciam, in evincendis non tam morbis, quam monſtris dexteritatem ac felicitatem; profecto non invenies in re Chirurgica parem. Itaque cedunt Severino Guidonii, Vigonii, Fallopii, Veſalii, Tagaultii, Vidii, Fabricii, & qui non hujus farinae Viri? Sed in Anatomica functione, quis hunc pro dignitate praedicet? referat pro me ſchola Neapolitana, quae jam à Philippi Ingraſſiae, Profeſſoris laudatiſſimi, temporibus diſſectionis amiſſam dignitatem diu quaeſta, ſub Severino Doctore coepit reviſere nobiles obſervationes: unde Neapolitanum Herophilum ſaepe declamavit univerſus ſexcentorum ſpectatorum coetus. Quae hominis obſervationes, cum multae ſint & magnae; illa inter omnes ſingularis eſt & maxima, qua via docetur hactenus ignota, per quam collecta in thoracis cavitate ſuppuratio per urinae canales expurgari queat. Sed haec, & illuſtria alia, Severini reperta ſatius eſt, adpareant non alia demonſtratione, quam ejuſdem Viri commentariis; qui ipſi quot & qui ſint, neque te lateat velim. Enimvero plurimam, ex certa horum exſpectatione, voluptatem capies, confido. Primum enim hic Vir multis ab hinc annis bonam Chirurgiae formam, quae per Barbaros labefactata, & per juniores infinite conciſa fuerat, reſtaurare ac reſtituere meditatus, legitimumque ac abſolutum hujus Profeſſorem informare adgreſſus; opus de conſtitutione artis Chirurgicae propoſuit, *Chirurgiam*

*giam illuſtratam* inſcriptum propterea, quod ejuſdem principia, partes & proprietates, res non hactenus ab ullo demonſtratas, edocuit. Deinde ſic docefactum, ac praeparatum, Chirurgum, rationem curandorum ulcerum tum recentium, tum vetuſtorum, pleriſque voluminibus erudiit, id eſt, tum in Hippocratem, & Celſum, ſcriptis; tum aliis privatim *de Vulneraria reſtituta* compoſitis, & *de inermi Chirurgia & de chirurgicis adjumentis*, quae diaeta ſunt & pharmacia. Tertio *Chirurgicam* ipſam medendi rationem *efficacem* à ſe vocatam condidit, opus plane divinum; in quo de ſectione, atque uſtione, cumulate pertractatum eſt ſic, ut in hac re deſiderari nihil poſſit. Accedit ad haec *Zootomia Democritea*, quo opere ad exercitationem anatomicam nil videris, optaveriſve, praeſtantius. Opera, inquam, quae quoniam ipſe vidi, perlegique omnia; propterea mira quidem de his affirmare, at non omnia, quae ſubſunt, attingere nunc auſim. Tantum habeto, certuſque eſto, minimum Severinecrum *Operum* eſſe hoc, quod nunc primum editum *de Recondita Abſceſſuum Natura* legis: primum inquam, evulgatum, vel quod Alcalaea occaſio ſic tulit; vel quod compendioſiſſimum excuſum volumen; vel quod auditorum, qui rogaverant, uſui ſenſuique accommodatiſſimum viſum eſt. Caeterum *Opus* eſt tale, ex quo ſatis igenium Severini vel probaveris, vel expenderis. Vale.

# *CLARISSIMORUM VIRORUM*

## DE

# M. AURELIO SEVERINO,

Operis de Recondita Abſceſſuum Natura Auctore, judicia.



Oannes Rhodii, *in diſſertatione de Acia ad Corn. Celſi mentem pag.* 119. *Horum ſententiam cum Fabricio ab Aquapendente probavit accuratus juxta ac ingenioſus vir Marcus Aurelius Severinus Neapoli Primarius Anatomos & Chirurgiae Profeſſor.*

Petrii Caſtelli *in l. de optimo Medico, ſect. 6. pag.* 12. *Ego, ſi Deo placuerit, typis edam Sepulchretum, ſive Anatomicas obſervationes, quas in centum Cadaveribus Romae ſectis adnotare licuit: quod opus M. Aurel. Severinus, in Neapolitano Licaeo Anatomicus peritiſſimus, pluries tum privatim expoſtulavit, tum publice in aureo ſuo Tractatu de Recondita Abſceſſuum Natura.*

*Idem* Caſtellus. *in l. Epiſtolarum medicinalium eruditiſſimo Severino, unam epiſtolam de Ciborum in ventriculo fermentatione nuncupavit pagina* 139.

*Idem* Caſtellus, *in Tripode Delphico, quem librum auditorum ſuorum, alioquin ingenioſorum, nomine publicavit; pag.* 61. *Quam honorifice de Caſtello noſtro loquatur, in Neapolitano Gymnaſio Anatomes & Chirurgiae Profeſſor eximius, & Medicus inſignis, M. Aurel. Severinus, legere eſt in libr. de noviſs. obſervatis Abſceſſibus cap.* 23. *& in hiſtoria Anatomica Cadaveris Illuſtriſſimi Marcelli Sacchetti &c.*

Pauli Zacchiae, *Medici Romani, Quaeſtionum Medico-legalium lib. VI. pag.* 9. *Exſtat hujus erroris exemplum apud Amatum Luſitanum, Curat. medicinal. Cent. VI. Curat.* 82. *relatum ex ipſo Amato a doctiſſimo viro Marco Aurelio Severino, in opere vere recondito, cui titulum fecit de Recondita Abſceſſum Natura, l.* 4. *c.* 7. *&c.*

*Meminit & ſaepius auctoris noſtri M. Aurel. Severini, recenſuitque hunc inter Illuſtres aetatis noſtrae Scriptores, in Syllabo Apium Urbanarum, id eſt, virorum Illuſtrium, qui ab An.* 1630. *per totum* 1632. *Romae adſuerunt, ac typis aliquid ediderunt.*

*Meminit & Severini, & per antonomaſiam plurium numero nominati, Polyhiſtor graviſſimus* Julius Caeſar Capacius, *in Opere de regni Neapolitani praerogativis, cui titulum fecit Compendium del Foreſtiere.*

JOAN-

# JOANNIS BAPTISTÆ CARNEVALIS

*Doctoris Medici Carmen, exponens quae septem primis libris singulis traduntur.*

AMplis ex opibus, Chironis in arte magistri,
Lecta Severini arcana recludit opus.
Morborum scatebras collecto tubere in altum
Pulsas, natura vindice, Primus habet.
Alter congestos, per longa silentia, succos
Dat Liber oppresso viscere tabificos.
Tertia multiplici foetos ratione tumores:
Absceſſusque novos pagina Quarta docet.
Quinta utero primum exortam causantia labem
Mollia, quae caries attigit, ossa refert.
Eluxos sponte articulos pars Sexta retexit:
Postremo roseus codice languor abit.
Vin aliud? foret ars Marci num cognita? tantum
Versa opus: ars Marci sic erit inde tibi.

*Ejusdem aliter summo compendio.*

Sub criticis congesta leges; & anomala, post haec
Sorte, nova Absceſſus, puerorumque ossa peresa:
Mox gibbos, & ducta rosis ulcuscula noctu.
Audieris graviore nota quandoque tumores?
Videris hisce magis Cedro vel Apolline digna?

*Ad Momum pro libri Auctore.*

Naturam & superos suetus reprehendere Mome,
Pones in nostris improbe perfidiam?

JULII CAESARIS CAPACII
*Musagetae Neapolitani.*

Mira docet Marcus, scribit mira, atque medendo
Mira agit, ingenio prodita mirifico:
Quae non audita Heroum melioribus annis,
Quae neque sunt ulli tempore visa novo.
Ut ne mireris posthaec Asclepion; ambos
Natos, Chironem, & Paeona Parthenope.

HIERONYMI GENUINI;
*Jurisconsulti Neapolitani, De Domina Joanna Ribera, Alcalanaeorum Ducis, & Proregis Neapolitani, filia à Severino persanata.*

Joanna è Ribera Alcalanaeorum Ducis & Proregis filia.

*Anagramma purum.*

Clara, fulgida Heroina ob opem Clari Severini rite sana.

*Quod sic hexastico explicatur.*

Paeone vir major raptos languoribus artus
Scribit, & una manus nomen opemque parit.
Sic Ob Opem Clari Heroina haec Sana medentis
Rite Severini est Fulgida Clara magis.
Quis non ergo manu curari hac languidus optet?

Pro-

Protinus ex qua una lauſque, ſaluſque, venit.

*In Marci Aurelii Severini, Phyſicochirurgi clariſſimi, mirificum opus de Abſceſſibus.*

Hieronymi Genuini Juriſconſulti Neapolitani.

*Anagramma purum.*

Marcus Aurelius è Severino Tharſienſis.
Vir mirus re ſanas: vae ſine te ulceroſis.

*In haec endecaſyllabum.*

Aegris depoſitis ſalus es una;
Doctas ſive adhibes manus ad ulcus,
Abſceſſus, & hians malum omne, & ictus;
Et languentia membra vis fovere;
Scriptis tubera ſeu doces fovere.
Re ſanas ſubito adpplicans medelas.
Aptas & miſeris doces medelas.
Re mirus calamo, manuque mirus.
Vae cunctis ſine, Marce, te ulceroſis.

CAESARIS MONITII

*Calabri Doctoris medici.*

*De Marco Aurelio Severino, morborum inſanabilium exſtirpatore, carmen.*

Morborum tacitos fluxus, non cognita ſeclis
Tubera, caeca luis ſemina prompta legis.
Sed preluſa puta haec; nam ſtant majora ſub iſtis,
Geſta manu magni, ac tradita Philliridis.
Ut numeres heroa, novas qui contudit hydras,
Thiriaque impoſita contumulavit humo.
Ergo alter ſurgit noſtris Tirynthius oris:
Qui face, qui ferro, turpia monſtra domet.
Sic tamen amborum in terris praeſtabile robur.
Crathigena immenſis tranſvolat hunc ſpatiis.
Biſſena Alcides preſſit capita alta ferarum,
Myriadas vicit noſter Alexicacos.
Ille ſemel quondam praeſenti contulit aevo;
Hic cunctis nullo fine paravit opem.
Ille neci obſtrictos dedit auras carpere vitae.
Hic etiam aeternum vivere poſt cineres.

FABII ALBINI

*Poetae diſertiſſimi, carmen.*

Cous ope excellit medica, ingenioque Galenus:
Dives Ariſtoteli mens ſociata Sopho eſt.
Arte Archimedes manet immortalibus annis:
Vis fuit Alcidi corporis; atque animi.
Chironem manus importavit in aethera Divum:
Ante omnes Plinium grandia ſcripta ferunt.
At ſimul exornant unum te, Marce, medelae,
Ingenium, mens, ars, vis, manus, & calamus.



# M. AURELII SEVERINI
## IN LIBRUM
## DE
# ABSCESSU CRITICO.
## PRÆFATIO.

DE Abſceſſu critico definito quidem partis cujuſpiam affectu, ſed totius corporis valetudinem, vitamque, aut mortem ſaepenumero decernente, ſcripturus, equidem video, quod ſingularem & ſummam diſputationis hujus utilitatem exponere debeam: verum an plene ſim hoc facturus haud facile confido. Siquidem vix dici poteſt, quam plane frugifera, & infinite conducibilis in plurimos uſus medendi ſit haec tractatio; & ſic quidem ampla, ut ipſo magis incidente negotio, ac monſtratrice pragmatia, quam verbis, & deſcriptione, ſit pernoſcenda. Intelligenda inſuper ex lectione operum Hippocratis, in quorum plurimis & optimis nil frequentius, abſceſſuum acceptione ac mentione compereris. Nimirum quando morbis in longis omnibus conſueta ſit epigenomenon haec ſpecies. Quanto igitur ad Hippocraticam illam rerum exercitationem conſulturam, & uſui futuram ſpeculationem hanc, credis? ſive quidem contemplandi, ac judicandi ſtudium excolenti, ſive curandi, & ſive chirurgica medendi occupatione, ſive clinica facultate delectetur quiſpiam; & in clinica quidem medicinae parte in promptu per haec cognoſcere licebit cauſas, unde proficiſcatur abſceſſus, ſimulque naturae morbique delitigantium conflictus, ſtudia, conatus, vices dubias, certa decreta, rationes, quibus haec diſtinguuntur, & quibus natura, vel opus exſequens adjuvetur, vel impedita levetur. Plurima autem parte decretoria haec erit agendi ratio, tum ad acutos, tum ad longos morbos pertinens:

quid autem gravius aut medico gravi dignius, quam quae ſint, quae fuerint, quae mox ventura, trahantur in abſceſſibus, rite, rectèque perdiſcere. Sed haec ordine lucido Tractatus hic expedit, ac tradit; namque diagnoſis, ac prognoſis enucleata conſtabit ex his. Patebit, autem, & difficilis morbi therapia, recta inquam, & legitima, & ad ſententiam ſummi omnium magiſtri, qui eſt Hippocrates, exponenda; non qualem hodie tractant, factitantque plerique, genus hoc, quod privatam, & propriam curationem exigit, velut ulcerum promiſcuam, & calidorum apoſtematum communem, tranſigentes. Nimirum à paucis, & ab Hippocratis ſtudioſis duntaxat intellectum hoc argumentum: propterea, quod Phyſiatri curam ejus rei rejecerunt in Chirurgos; hi vero latentium cauſarum, & Hippocraticae doctrinae ſunt ignari. Jam ergo quis tertius, niſi phyſico Chirurgus, & in Hippocrate multum excultus profeſſor? Quae cauſa certe fuit, ut in hunc nos laborem incumberemus primi, multis, & docendi, & medendi negotiis, diſtracti. Ad ſummam enim putavimus, quam maxime neceſſariam aegrotantium ſaluti, ac medentium gloriae commodoque, futuram hanc explicationem, quae plerarumque omnium, & ampliſſima, & graviſſima, eſt, & uſu frequentiſſima.

## CAP I.

### *De variis Abſceſſus appellationibus atque harum uſibus.*

NOmina rebus accommodata lege quadam naturae, cenſuit Hippocrates *lib. de Arte*, & hunc fortaſſe ſequutus Plato *in Cratilo*. Quod cum ad omnia promiſcue nomina ſpectet, pleraque tamen hac maxime conditione participant; atque ita, ut diſquiſita iſtorum ratio preſſam quandam definitionis vim contineat; abſit autem oportet homonymia; cujus certe vitio fit perpetuo, ut in ea vel offendatur, vel erretur. Quare ne illa, quae multa quidem eſt in Abſceſſus vocabulo, quemquam incautem occupet: hanc nos primum ambiguitatis enarratione, ac diſtinctione, removebimus.

Hujuſmodi ſunt duo haec, Abſceſſus, & Apoſtema; quorum hoc à Graecis, alterum à Latinis, & horum praecipuo Cornelio Celſo, invectum eſt. Vocabula quidem ad unguem ſibi mutuo reſpondentia, ſive ſecundum compoſitionem vocularum, ſive diſcretam ſingularum ſignificationem expendas, ἀφίστασθαι enim καὶ ἀφίστανται abſcedere eſt: Unde ἀφισάμενα καὶ ἀφεστοκότα οὖλα abſcedentes gingivas dixit Galenus *lib. 6. de comp. med. per loc. c. 2.* & *lib. ad Glauc. cap. 5.* cum, ait, *abſceſſum eſſe, ubi, intercedente quapiam ſubſtantia, humida, halituoſa, vel mixta, non amplius ſe contingunt, quae ſe contingebant corpora*. Et quia partium haec diductio ſub abſceſſibus eſt, tum interventu quidem tunicae aliena corpora continentis, ut in atheromate, ſteatomate, meliceride; tum humoribus partes diſtrahentibus ſine tunica; quod utrumque fit, ſive cum ſolida, ſive cum fluida ſubſtantia: factum eſt, ut Abſceſſus promiſcue diceretur de utriſque, licet non ſine ambiguitate, niſi diſcrimen illud notetur; Ego quidem Abſceſſus ſine tunica ſuppurationes cum Plinio, & Cornelio, vocandos puto: Abſceſſus vero cum tunica, cyſticos, & anomalos, in tractatu peculiari nuncupavi. Atque haec una notio, & uſurpatio, eſt Abſceſſus vulgata.

Sed & Abſceſſus, qualem indicavi modo, ſaepe pro quocunque tumore αὐτωμάτως, i. e. ſua ſponte erumpente; phymate, inquam, exanthemate, ectymate, puſtula, phlegmone, eryſipelate, & caeteris majuſculis collectionibus. Ad haec ſuppurationum ſenſus eſt exemplo illo, quod legitur *lib. 1. prog. ſect. 1. ſententia 36. tumores in ventre minus faciunt abſceſſum, quam in praecordiis*. Porro abſceſſus ſuppurationis

eſt

est loco, Galeni interpretatione. Insuper ἀφιὸσθαι abscedere Hippocrati *lib. de Medico* est *alienum fieri p. n. legem*; Galeno vero *de Medico, sive Isagoges*, qua de Chirurgia τὸ ἰδίως λεγόμενον ἄλτριον est *fere alienum proprie dictum*.

Hi sunt usus τοῦ ἀποστήματος, atque Abscessus nominando plurimum consueti. Caeterum nomen est ἀποστάσεως καὶ ἀποστάσιος, cujus, & alius usus est secretior, atque apud Hippocratem, & suos observatores, notus, quem ex ejusdem sententia ad hunc modum expono. Natura cum obsessam aliquam partem principem, aut principi servientem humoribus infestis obsessam agnoscit, omni quo potest studio languentem levare meditata, tandem ad id consilii devenit, ut vel universa materia, vel pars aliqua suo labore sit inde transferenda, & longius abducenda. Sic abductionem, ac transmissionem istam molitur ad partes remotiores, viliores, debiliores; Quae traductio duplex est, vel per sinus, & cavitates naturales, aures, inquam, oculos, palatum, & fauces, vesicam urinariam, umbilicum, & cutis denique poros, pure, sanie, lachrymis, sanguine, sputo, menstruis, lotio, sudore, ac superflua qualibet materia, foras eductis. Haec ἔκκρισις dicta est Graecis, excretio Latinis; alter vero est cum denegato exitu de cavitatibus, finibusque naturalibus, infestus humor de loco uno corporis in alterum, & viliorem transfertur, qui motus & abscessus, apothesis, & metastasis, ab Hippocrate ἀποσκήψις, & ἀπόσκημμα Gal. *l. 2. epid. & alibi* dicti sunt, qui si sint ad articulos, & coxendices κήδματα proprie ab Hippocrate, sunt appellata.

Est & alia Abscessus significatio, cum accipitur pro una in alterum morbum transmutatione, ut cum angina transmigrat in peripneumoniam, exemplo tradito ab Hipp. 2. *epid. sect. prima*, quibus non paucis, ex aliis febribus & morbis, abscessus in quartanas fiebant.

Hae sunt τοῦ ἀποστήματος, καὶ ἀποστάσεως significationes privatae, & consuetae: haud tamen dissimulare velim, & apostasin in phlegmones significationem saepenumero iviisse, quod est apud Hipp. *l. 6. epid. sect. 2. sent. 7.* ubi inquit, ἀποστάσιες οἷον βουβῶνες; contra vero ἀπόστημα ἀπόστασιν abisse, commutatis, & confusis hisce vocabulis, ut à Gal. factitatum advertit Laurentius Jubertus *l. 1. de diff. morb. dictato 7. F.* apud quem, & alia hujusmodi leges: ἀπόστημα vero, & ἀπόσκημμα variarum rerum esse nomina monuit Jo. Andernacus *in lib. 4. Pauli cap. 18.*

## CAP. II.

### *Quid Hippocrati multiplex Abscessus usus, quisve nobis ex multis unus esse debeat in hoc tractatu.*

HArum omnium appellationum, atque usuum cum primus auctor fuerit Hippocrates, licet nunc (neque enim importune) perquirere, & quid simplicissimae doctrinae magister, tam vario Abscessus nomine fuerit usus? Sed neque mirum id esse debet, quamvis enim multiplices sint abscessus hae notiones, & usurpationes; nihilominus si recte attenderis ad singularem simplicitatem, docendi normam redeunt, quae est mutatio morbi. Quippe in hanc unice spectare debet quicunque progressus, stationem, & finem morbi praevidere, aut formam alio qui sensius retrusam tenere studet. Tam multi autem haec momenti videtur propterea, quod legitimam morbi curationem refert; quam affectus anticipata perceptione dependere, quis est, qui nesciat? Adde quod mutatio quaelibet gravis ad intelligendas, seu morbi, seu naturae vires, accommodatissima est; quemadmodum sane ex his, aut illis apparatibus, & conversionibus utriusvis insidiantis exercitus conatus,

& praestantiam alterutrius, facile conjecteris. Sed multo clarius hoc quidem didiceris in rebus naturae, quae magis certae, constitutaeque sunt. Igitur mea quidem interpretratione, tam varia, tamque multiplex abscessus acceptio fuit apud Hippocratem ea sola una re, quod inter omnia praecipuo sit usui, pro discernendis aegrotantium rebus mutationes singulas in corpore consequi studiose: quod eo notavi libentius, tum ut Hipp. ratio salva constaret; tum ut hanc quoque subtilitatem diligenter observent studiosi.

Nunc ad nos attinet, quem significatum Abscessus sequamur, aperire. Scire licet Abscessus, quos Cous praeceptor perpetuo memoravit, aut cum crisi legitima, aut cum imperfecta, factos; alios vero, qui post inflammationem suppurati sunt, non tanti fecit idem Hippocrates neque illos admodum tradidit; sic nos, ubi cunctorum meminimus, haud quidem Abscessus, qui ab inflammatis tumoribus venere, tractandos hic tantopere suscipimus, quantum eos, qui sunt Hippocrati solemnes, seu cum effluxu, seu cum decubitu. Verum cum decubitus significatio sit potior auctore Gal. *com.* 3. *l. epid.* 3. hanc nos potissimum exequemur, itemque eos, qui praecedente nulla inflammatione nascuntur ab aliis causis producta, quam quos phlegmonae inducunt. Porro utrumque genus, & quod ad diagnosin pertinet, & quod ad prognosin, atque therapiam, difficilia, & gravi adversione digna: & eo magis, quod hactenus nemo omnium hominum quos norim, argumentum hoc ex professo tractavit.

## CAP. III.

### *Quot, & quae consideranda sint circa Abscessum.*

AD hunc quidem modum summam Abscessus notitiam vi nominis expressam veluti figura quadam adumbravimus. Ab his nunc ad exacte delineandum eundem progredimur: exposituri primum, quae sint in hoc argumento pertractanda: videntur autem haec. Absceſſus universim expensi duo sunt tempora, duove modi; dum producitur scilicet, & postquam productus est. Utrumque suis affectionibus, circumstantiisve definitur, atque distinguitur, quae & aliqua parte communes esse possunt. Dum procreatur, quia motus, & generatio quaedam est, causas nanciscitur quatuor, effectricem, materiam, formam, finem. Deinde quia motus hic est quidem materiae secundum locum, ut ante apparuit: sunt & termini sub quibus haec loci mutatio perficitur: termini, inquam, à quo, & ad quem dicti, nec non viae. Spectat ad loci conditionem situs, qui est de superioribus ad inferiora, & contra, & a dexteris ad siniſtra, vel contra: quo veniunt & partes utraeque considerandae. Praeter haec sunt, & quae Medicus vere physicus considerat, tempus, & caeli status, itemque regio, quae magis, minusve rem promovent, aut aliquid conferunt boni, malive.

Sunt haec, vixque alia fortasse, quae ineuntem Abscessum circumstant. Perfecti vero, tum substantia, tum accidentia disquisitioni se subjiciunt, & substantiae abscessus parti videlicet concreti; pars est materia, cujus accidentia sunt tactiles, viles, & si quae sunt aliae sensiles qualitates, affectusve; magnitudo, forma, figura, habitus, &c. si quae sunt alia. Equidem praeter haec alia non agnosco, quam quae spectant ad hominem, qui tractatur, proprietates quaedam, & passiones. Omnia sunt igitur nostri haec farrago libelli, quae singula si placet ordine pervideamus. Utinam autem pari exequendi felicitate, quae methodi absolutione descripta tradere liceat.

CAP-

## CAP. IV.

### *De effectoribus & principiis Abſceſſus.*

NAtura, quaevis eſt inſita corpori motus ciens in ipſo neceſſarios, quemadmodum, ut animal vivat, alatur, rite ſentiat, progrediatur, in ſecundo ſanitatis ſtatu facit; tam ſui, quam ejus, in quo eſt, diligentiſſima conſervatrix: ita etiam in adverſa valetudine utilitatum, & opportunitatum omnium captatrix ſollicita eſt, ut illud ab inſidiis, & machinatu luctifici morbi vindicetur. Et vindicat quidem vere, ni materia prorſus repugnet, praeſtantibus duobus praeſidiis ſpiritus, atque caloris, quorum eſt materias morborum, partim coquere, diſcutereve; partim diſcretas de principiis facultatum, & longe, quam fieri poteſt maximo, propellere: nocua enim & aliena quaecunque ſint, & circa principes partes potiſſime, non patitur vitae rectrix natura. Jam vero morbus, ut qui παρὰ φύσιν (recte contra naturam Fernelius, & alii ſcientiſſimi viri) ſuas adverſas acies oppoſuit naturæ: atque adeo cum haec contemperamento primorum quatuor corporum inſtructa, calore nativo ſe ſuaque perpetuo tueatur; concoctiones, & nutritiones probatas, taleſque ad hæc ſpectantes excretiones perficiat, unde vivida vis, ſenſus, motuſque partibus inculpatus eſt. E contrario morbus, ut praeſens eſt, temperamento partis continenter everſo, caloreque exſuſcitato putredinario, cruditatem, aſſationem, inquinationem, & corruptelam alimento; at his quae aluntur partibus atrophiam, ſtuporem, ſiderationem, abſceſſum, facultatibus vero detrimentum quodcunque poteſt functionum, aut vitae invehit. Ad ſummam è diametro pugnant morbi conatus, & naturae. Sanitas quippe naturae quaedam eſt, at hujus corruptio morbus. Adverſantiaque item ſunt opera morbi ſemper, & naturae: utque natura procurat, & evigilat, quae ſalutaria ſunt homini, ſic morbus, quae ſunt incommoda machinatur. Itaque natura, ut morbo, & hujus inſolenti ſatellitio liberet, Criticos quoſdam Abſceſſus excogitavit, qui ſunt omnes ad vindicandam optimam valetudinem corporis accommodati. Similiter morbus ſuos Abſceſſus admolitur ſymptomaticos, qui ſunt ejuſdem, & acris materiae praevalentis indicia, atque effectus. Ad hunc modum conſtat utramque vim aemulari quidem Abſceſſus, ſed hujus, id eſt naturae ſalutiferos eſſe, cum exempli cauſa peripneumoniae materiam in crurum abſceſſus rapit: Morbos vero eſſe lethales, quos, fatigato nimium & languente homine, vis malignae febris crudos ad poſticas aures tumores, parotidas vocant, exſuſcitat.

Tam autem adverſi, & contrarii cum ſint horum duorum hoſtium in corpore functiones, & motus: dubitari poteſt num praeter abſolute criticum, ac ſymptomaticum, tertius eſſe poſſit. Sed, enim adhuc ſuppoſita contrariorum actione, videtur, quod quoddam compoſitum dari liceat; tum ſecundum materiae coctionem, & cruditatem, tum ſecundum formam, tum, ſecundum ſitum, & alias conditiones; exemplo autem ſit pus, quod cum à duobus iiſdem adverſariis conficiatur, utriuſque ſervat actionis veſtigium, & naturam, quemadmodum declaravit Galenus *Com.* 47. 2. *aph.*. Haec quidem ſecundum materiam eſt conſideratio. Verum enim vero ſi effectorem, ac finem ſpectemus, à quibus univerſa rei ratio arguenda eſt, utpote, qui rem dirimit, ac diſtinguit; utique docebimur, ab hoc uno non poſſe duo illa coire: ſed quoniam, aut naturae, aut morbi effectus unus eſt, propterea, vel criticus, vel ſymptomaticus appellandus, atque cenſendus erit. Verum ut equidem ſecundum opificum, & effectae rei ſpectatas rationes, cenſeam haud dandam miſtam quandam critici, & ſymptomatici ſpeciem, ubi ſive

ad

ad terminos ſive ad media, quae vulgo dicunt, & alia, quae intercedunt accidentia ſpectemus; erit quidem modus qui Criticus ſimul, & Symptomaticus Abſceſſus aſſeri poſſit. Verum tamen participatione, aut neutra conditione potius quam permiſtione, ac temperatione, quemadmodum in epexegeſi poſterius explicabo.

## CAP. V.

### *De materia Abſceſſus.*

QUoniam Abſceſſus materia defluxionis neceſſitatem agnoſcit inter duos oppoſitos terminos, quos poſterius explicabimus; illa ex humorum genere ſit, oportet, ſive quidem hi ſint primi, quod dicunt, generis, ſive ſecundi, & ſive alimentitii, ſive excrementitii. Poſſunt autem omnes peccare tum copia, tum qualitate, ſeu quidem diſcretis utriſque vitiis, ſeu conjunctis. Hi porro, qui cum affluxu fiunt, materiam interdum nanciſcuntur ſola multitudine culpabilem, ut ſi in plenitudine, ſeu quoad vires, ſeu quoad vaſa; ſanguis è naribus effluat: interdum etiam vitio, ut ſi homini, ſeu cacochymia, ſeu febre laboranti, bilioſae dejectiones obveniant. Sed hi, qui cum decubitu ſunt, vitiatos ſemper humores, & ſuperfluitates, agnoſcunt. Quod duorum diſcrimen propterea fit, quia meliores conditiones ſunt effluxus, qui propter levandam plurimam è copia ſarcinam à natura ordinatur: propter quam cauſam minime committitur decubitus, ſed vitio ſaepe perpetuo ſcaturigine proficiſcitur. Sunt autem haec, quae dico vitia putredinis, aduſtionis, ſalſedinis, nitroſitatis, cruditatis, craſſitiei, viſcoſitatis, lentoris, virulentiae, malignitatis, & uno verbo dicam, alienae ſubſtantiae, ſive quidem ſint humores ipſi, ſive reſpondentes ichores.

## CAP. VI.

### *De terminis Defluxionis in Abſceſſu.*

QUoniam, quidem fluidorum corporum, ſeu copia, ſeu qualitate, ſive utroque nocentium, diſpoſitiones & relationes quaedam ſunt Abſceſſus, item διαδοχαὶ καὶ διαδέξεις ſunt quaedam, auctore Hipp. *libr.* 2. *aph.* 27. id eſt tranſitus, & tranſmigratio: ob haec neceſſe eſt plane, ut ſede una ex qua, atque altera in quam, fiant ipſi, contineantur, interjectis adhuc viis, per quas humor tranſcurrat, ac defluat: non aliter ſane, quam fluxionibus omnibus accedit, de qua re primus Hipp. *6. epidem. ſect.* 2. locutus videtur, cum ait, *conſideranda autem haec; Quod, & unde, & per quod:* generatim autem nos utroſque terminos Abſceſſus, ac brevi demonſtrabimus, primo dicturi de termino primario, & ſuperiori, deinde de ſecundo & inferiori: ſuperiorem enim à quo, inferiorem ad quem intelligi volumus cum Galeno, *in lib. meth.* 14. Locus, unde primo deducitur Abſceſſus ad effluxum, plane definiri non poteſt, tam mire multiplex eſt, & late patens, ut omnis ſcaturigo, locuſque morbi, qui tum intra venas, tum extra, tum in cavitatibus, ſinubuſque parvis, tum in magnis tribus receptaculis, ac ventribus eſſe poteſt, capite, inquam, pectore, & abdomine.

Loca vero ad quem humor devolvi conſuevit, aliquanto certior, definitiorque eſt: ſunt enim, aures, oculi, nares, os, ſedes, vulva, penis, umbilicus, & univerſa pervia cutis; item vulnus, ut 4. *de morb.* 24. Quamquam autem haec, vere

vere potius emiſſaria, quam termini defluxus ſunt; nihilominus terminos dici licet, utpote per quos, & in quos, fluxio terminatur.

Venio nunc ad Abſceſſum per ducubitum, cujus utraque ſedes, & indefinita, & multiplex eſt, atque adeo relatu non facilis, niſi generatim id fiat. Sunt enim à quibus tranſmittitur humor, partes quaeque robuſtae, aut Principes, aut Principibus ſervientes, ac neceſſario aliquo munere nobiles, & quae laeſae laederent inſigniter, & superiores. Quae vero recipiunt, ſunt partes viliores, debiles, laxae, cavae, in proclivi poſitae, conſentientes ductibus viae rectitudine, ac ſyntimoria. Hujuſmodi ſunt glandulae emunctoria vocata, intercapedines muſculorum, articuli, pudenda, crura, loca corporis ſubcutanea omnia, & inanes cavitates pectoris, & abdominis; quas partes exponit Galenus *Comm. primo in 6. epid. tex.* 13.

Inter haec ſpectatur, & aliquando ſitus in transferenda abſceſſuum materia; nempe de ſuperioribus ad inferiora, & contra, de inferioribus ad ſuperiora: ſeu via ſit iſta recta, ſeu ſecus. Quorum omnium meminere, tum Hippocrates *in l. 6. epidem. com.* 2. *tex.* 13. *ac.* 14. tum Galenus *in ea loca;* Ad haec, ex interioribus ad exteriores juxta illud *Aphor.* 25. *l. 6.* & cum viſcera repurgantur in glandulas; Praeclare autem de his, & brevi tradidit Hippocrates *l. 6. epid. ſect.* 2. *par.* 11. & 12. per haec; *Abſceſſus velut glandularum tumores, ſignum quidem ſunt earum partium, quae germina habent.* Expedit autem ſemel declarari, quid rectitudo ſaepius memorata ſit. Explicatque hanc Franc. Valleſius *l.* 2. *epid. ſect.* 3. per haec; *Rectitudo eſt dextrorum cum dextris, ſiniſtrorum cum ſiniſtris, ſuperiorum cum ſuperioribus, inferiorum cum inferioribus.* Dextera, & ſiniſtra dicuntur ſecundum hominis: latera ſuperna, & inferna diſtinguuntur, qua hepar eſt. Ex inferioribus ad ſuperiora ſecundum rectum eſt abſceſſus, ut ex hepate partis dextera, aut fluxus ſanguinis ex dextra, ita & qui ex ſupernis ad infernas id eſt infra hepar poſitas partes. Porro Abſceſſus ſecundum rectum, à ſuperioribus ad inferiora, lucida exempla habes apud Hipp. *6. epid. ſect.* 3. *in hiſtoria Herophontis*, pro qua re lege Valleſium. Hactenus autem cum una, & ſimplex apoſtaſis humores ſit; etiam plures una translationes à natura fiunt, id quod primo per Hippocratem adverſum eſt *l.* 2. *epid ſect.* 5. dicentem, *ſi caput doleat, in pectus deſcendit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam*; ut intelligas monitore Valleſio Abſceſſus poſtrema futuros ad articulos.

## CAP. VII.

### *De Viis per quas dimittitur humor.*

TErminum Abſceſſus inferiorem etiam ſi facile ſit cognoſci, tamen perpetuo neque terminum ſuperiorem, neque vias, quae interiectae ſunt, praeſertim ubi longum ſpatium intercedit, cognoſcere promptum eſt. Verum ubi ſuperiorem terminum conjectari detur ab hujus plenitudine, & affectu, & aſſidentibus aliis; vias, per quas humor deponitur non aeque pernoſcimus, ſed ignorantiam noſtram ingenue fatemur, illud afferentes ex Hipp. quod *confluxus, unus, conſpiratio una, conſentientia omnia;* itemque adſtruentes illud ex Gal. *com.* 55. *l.* 7. *aph. quod natura invenit ſibi vias expellendis materiebus.* Nempe, ut ait alicubi Ludovicus Duretus; *in ciendo, & propellendo tanta vis lucet naturae oppreſſae, ut ſaepe viam inveniat, qua ducatur ad vacuationem cujusque humoris morbifici, licet ipſe craſſior ſit, & meatus anguſtiores; modo valeant ejus vires ad fortem in expellendo contentionem:* unde illud Gal. *com. praedict. naturam abſceſſus moliri per oſſa*: quod ante omnes propoſuerat Hippocrates. Difficultas igitur cogno-

gnoſcendi terminum ſuperiorem, ut multa ſit ; nihilominus inquirendi labor non detrectandus eſt; & indagatio diligens eſt adhibenda. Duces autem erunt, & directrices prima, & potiſſima, & ſingularis magiſtra, anatome, quae docet partium ſingularum nobiles ſympathias: ad quam rem adjuvabit traditio de ſympathiis propoſita à Sanctorio Sanctorio *in com. artis medic.* res etiam ex anatome petita. Deinde ſerviet obſervatio propria, atque experimentum ſaepe comprobatum, quo firmius ipſe ad aſſeverandum quidpiam accedas. Tertia erit doctrina bonorum Auctorum, qui rem tradiderint, hoc, aut illo modo. Ita quidem Galenus viam aperuit ; qua fit expurgatio humorum in renes, & qua ad alvum ab eadem parte, fiat humorum tranſmiſſio, *libro* videlicet *6. de loc. aff. c.* 4. & poſt hunc Gabriel. Fallop. *in Obſerv. Anatom.* atque hujus auditor Hieronymus, Fabricius, *in Opere chirurgicarum Adminiſtrationum, & in tract. de Vuln. cap. de ſuppuratis* ; itemque Petrus Andreas Matthiolus *in Epiſt.* atque alii apud Joannem Schenchium, *in Opere Medicinalium obſervationum.*

## CAP. VIII.

### *De duplici Forma, tum quidem adſpectabili, tum interna.*

FOrmam Abſceſſus appello, tum externum omnem partis affectae habitum, tum tumoris dimenſum, tum circumſcriptionem, ac figuram ; horum autem pleraque attigit Hippocrates, qui *libro* 4. *epid. ſect. prima*, prodidit haec ; *tubercula extrorſum extumeſcentia, & acuta, & acuminata, quae & aequaliter matureſcunt, & non circumdura, & declivia, & non bifida, meliora : contraria vero mala, & quae valde contraria peſſima*. Quod, idem, & *in prognoſt.* qua de abſceſſibus repetiit. Porro vides primo propoſitum in hac dictione tumoris eminentiam, & projecturam. Secundo acumen, & in turbinem gracileſcentiam. Tertio aequabilem maturitatem. Quarto mollitiem. Quinto declivitatem. Sexto ſimplicem extuberantiam; quae ſingulae bonae ſunt Abſceſſus notae ; Contra vero malae ſunt, non elatus; neque foras eminens tumor ; paſſa, & compreſſa ejuſdem forma, inaequalis maturitas, durities, acclivitas, & bifida capitulatio : quorum ſingulorum cauſas diſcere ſi cupis, en tibi Franciſcus Valleſius, qui has tradidit, dicens ſc. *quae eaqualiter ſecundum ſe tota tendunt in ſuppurationem, nec ſunt circumdura, hoc eſt, quadam parte incipientia ſuppurare, & circum circa dura ; ex materia pendent mitiori & ſimpliciori : ut contra, quae inaequaliter ſuppurantur exiſtentia circum dura, aut etiam bifida, hoc eſt extuberantia in dubio cacumine, pendent ex materia diverſa, & inaequaliter contumaci : commendantur etiam declivia tubercula, id eſt, quae in declivi ſuppurantur, nam ſive à Chirurgo ſecentur, ſive ſponte rumpantur, qua cutis gracilior facta eſt, ut ſolent, optime ex purgabuntur, ſciſſura in declive ſpectante : haec bona ſunt ; contraria vero mala.*

Sed Galenus *in eodem com. qui eſt tex.* 13. *Bona acuminata tubercula propterea, quod ſub his vigent humores calidi, ac tenuiores, ac proinde celerius ſuppurantes : nam ex craſſis, tenacibuſque, conſtantia, utpote frigidis, & lata ſunt, & aegre coquuntur, quin etiam putreſcunt, potiuſquam coquantur longiori tempore.*

Sed idem Hipp. *com. primo prognoſt.* 40. contractiore ſententia pronunciavit ; *ſuppurationes, quae foras vertuntur aptae ſunt, ſi parvae ſunt, maximeque egrediuntur, & in mucronem ſunt faſtigiatae ; ſi vero magnae ſunt, & latae, minimeque in mucronem contractae. peſſimae ſunt*, Quae declarans Galenus mucronem ejuſ-

ejuſmodi faſtigiatum, ait, indicare robur foras expellentis facultatis, itemque non magnam ſedis corruptionem, & eroſionem.

Ad has autem Hippocratis conditiones tumoris addendae ſunt & eae, quae ſpectant ad ſimplices tactiles qualitates. Calidiores nempe bonae, frigiores vero malae propter humoris, ſcilicet, abſceſſuſque, contumaciam. Sunt & praeterea ſpectandae viſibiles aliae: nam livor, & fuſcedo, albor, & concolor ſpecies, non parum improbantur, iſtae, quod longitudinem, & difficultatem curationis oſtendant; illae vero malitiam, & diſcrimen.

Hactenus haec exterior forma cenſita eſt: ratio nunc interior evolvenda: quae uno verbo eſt translatio (μετάστασις) humoris partem nobiliorem moleſtantis, quem criſi videlicet excerni non licuit. Ad hunc autem modum ſucceſſio eſt haec criſis: atque haec proinde cognoſci ſecundum ſuam praeſtantiam oportet, qua caret Abſceſſus.

Criſis igitur character (ut brevi delineetur) eſt eductio alienae, quae morbum faciebat, materiae, quae naturam corporis infeſtabat. Sic porro natura paratis his, quae neceſſaria ſunt, diebus inſtitutis decernit ſe morbum ſoluturam, & finituram; qui veluti triumphus eſt integrae victoriae. Eſt autem in excludendo humore magnus apparatus, certaque ratio, ut adſit euphoria, id eſt, rerum expeditio felix. Primus autem eſt materiae pepaſmus, & concoctio brevi elaborata. Secunda eſt agitatio vehemens: Inde monitum à Dictatore noſtro eſt; *Quibus criſis futura eſt, his nox praecedens moleſta; tum enim gravitas, vertigo, & caligo, mentis perturbatio, dyſpnoea, cardialgia, aeſtus, anxietudo, jactatio, doloris, ſymptomatumque, commotio eſt.*

Ab his omni, quo licet, conatu, materiae totius plena & liberalis eſt effuſio per partes exteriores, & per propria emiſſaria, quae ſecundum morbi ſpeciem, & viciniam, immo etiam ſecundum opportunitatem natura delegit; quam excluſionem, ut dixi, liberalem, ſi ſemel exhaurire nequit, procuratrix intima corporis frequentes, & oppido repetitas, facit.

Ita quidem plenis, & facilibus excretionibus fit probata criſis, & eo quidem minus, quo minor morbi contumacia, minorque vis naturae fuerit, cum minus ſecundo rerum conſentientium apparatu. Semper autem in qualibet excretione, & criſi etiam mediocri, micat naturae vigor, morbificique humoris coctio plurima parte, ſequiturque hunc eductum continuo euphoria, & levitas corpori placidiſſima.

Sed haec (ut ad Abſceſſum jam veniam) cum ipſo non conjungitur, quae cauſa eſt, ut natura non excluſum materiae moliatur, cui difficilis pepaſmus fuit; ſed translatum duntaxat. Hic etiam non celeritas, hic non vehementia, non euphoria eſt, ſiquidem non conjuncta concoctio eſt. Ad haec in corpore conſiſtit morbus; licet non interioribus partibus ſemper, & latens.

## CAP. IX.

### *De multiplici Naturae fine, & in hoc aſſequendo delectu.*

MOrbi, ut qui ſunt quaedam corporis in corruptionem abitio, finem boni non agnoſcunt: namque dyſcraſiae, inflammationes, ſiderationes, paralyſes, atrophiae, marcores, hydropes, cancri, phagedenae, teredines oſſium, & fracturae, mali conditionem, & naturam, ut exuant, ſoli Abſceſſus privato quo-

dam naturae privilegio quempiam ſibi finem utilitatis adſcivere: nimirum qui malo deteriore oppreſſos liberant, & in vita plerumque nos tuentur.

Quae res, ut fiat, paucis accipe. Naturae calor nativus, & temperatura ſubſtantialis eſt animalium, ideo forma intrinſecus conjuncta cum animante, & inſeparabilis ſubſtantia viventis ipſius ejuſdem. Intelligentiſſima item boni animantis, cujus & ſui conſervatio eadem. Hanc autem tuetur facultatibus, viribuſque attractrice, retentrice, concoctrice, ſecretrice, expultrice, tum valetudinis bonae, tum malae, tempore; ſed malae tempore morbum abigere valentius curat.

Quoniam autem morbus ſubſtantia, vel ſolida, vel humoribus everſis, animalis integritatem eſt corruptura; hoc utrumque genus malorum ſedula corporis tutatrix accurate corrigit, & caſtigat: nam & unitatis ſolutae, malaeque conformationis ſpecies omnes componit. Verum quod ad ſuccorum materiam pertinet; natura quidem effectus omnes morboſos, qui crudis humoribus haerentes ſe offerunt, concoquere, & in conſentaneam ſanguinis ſpeciem modificare, continuo ſtudet. Verum hoc, ubi non aſſequitur negotii contumacia, aut impedimento aliquo magno; non propterea deſes, aut pertaeſa, ſed commodo corporis ſervida ſemper, & nava, rurſus alteram rationem aggreditur, quae eſt Abſceſſus multiplicis: ac primum, id quod nocuum eſt e corpore foras expellit, ſeu totum, ſeu quamplurima portione fas eſt. Id ſi neque permittitur, Hippocrate teſte *l. 2. epid. ſect. prima*, molitur abſceſſum per ἀπόθεσιν, id eſt, depoſitionem morbi, ſeu tota humoris copia, ſeu parte, quae ſuccedit, tranſpoſita. Quod ipſum adhuc ſi facile non eſt, morbum alium excitat in eo firma, ut animal levet, omnem lapidem movendum, atque omnem conditionem accipiendam: atque adeo pro toto incolumi corpore ſervando, partis commodum nullo loco habet interdum. Sic, ut nocentibus effluxus detur, locum, qui paratior eſt, certo quodam acris ichoris terebro pertundit, & fiſtulat, ut *l. 6. epid. com. 3. & lib. de humoribus*. Ita ſane mirabile naturae ſtudium in cuſtodiendo, cui praeeſt; ita diligens ejuſdem, & infinita procuratio eſt.

## CAP. X.

### *De differentiis, & primo de critici, ſymptomaticique Abſceſſus, diſcretione.*

INter omnes Abſceſſus modos, ac differentias, potiſſima & vulgatiſſima eſt critici & ſymptomatici; quam nos dignitate primam ante omnia exponemus. Criticus quidem eſt, quem paulo ante definivimus, criſis naturam licet imperfecte participans. Eſt autem criſis perfecta, quam *com. 20. l. 2. Aph.* declaravit Galenus, collatis ad alteram conditionibus. Prima eſt melior, quae per vacuationem, quam per abſceſſum. Secunda, quae infeſtantem, & redundantem humorem, quam, quæ alium evacuat. Tertia, quae e directo, quam quae aliter fit, laudabilior; ſic enim expellit, quae recto ſit viſcerum proceſſu, ac directione. Quarta, quae euphoriam habet, id eſt, toleratu eſt facilis. Quinta, quae cum humorum coctione, & die critico. Haec enim omnia ſi adſint omnibus numeris abſolutam, perfectamque criſin fore eſt neceſſe: Quum vero &c. Haec Galenus: cujus enunciatione vides non excipi Abſceſſum a criſi, licet hic non cum evacuatione, neque cum coctione, & hujuſmodi aliis, fiat plerumque.

Sed ſymptomaticus eſt, qui ad morbum praeſubſiſtentem, velut appendix, & affectus, ſuccedit; unde eſt ſymptomatici nomen; germen videlicet morbi ex multo, & valido, hujus apparatu, deciſum.

Ad

Ad ſummam ſi recte perſpicias, ſymptomaticus critici falſa eſt imago apud imprudentes : quam facile prudens homo dignoverit ex collatis hujus cum critico conditionibus, & cauſis : diſpares enim, & adverſas has omnes invenies. Primo enim ſymptomaticus fit a morbo, non a natura : haec enim & ſi intervenire videtur expultrice facultate transferendo ; haud tamen pro libito, & arbitratu ſuo intervenit, & expellit, ſed coacta erothiſmo, id eſt, humoris acris qualitate, & copia, valentis irritatu ; quippe morbis ſuis aliquibus functionibus, ac viribus, qui accidens eſt niti vere non poteſt, ſed materia ſola eſt, quae naturam laceſſit, in qua item materia non omnino corrupta & natura ex adverſo ineſt : quae ſi valet ipſa praeeſt, ſin minus tranſverſim agitur, & cum ipſa vellet movere, a materia in qua ſubeſt valentiore movetur: ut is ſcilicet, qui immerſus aqua, ut natans hanc commoveat, ab aeſtu fluenti movetur, id eſt, vincitur ſic, ut obruatur, aut tranſverſus agatur ; aut ſi quis inſtitutus cuſtos domus, pro ſervandis vaſtigalibus a furum rapinis, hic interdum ab his, qui viribus ſunt ſuperiores, cogatur, ut ipſe dilapidet etiam bona, faciatque per vim, id quod inſtituti ſui non erat : ita & natura, quae vis eſt quaedam ordinans bona corporis, ſi materia quidem obediat, hanc accommodate diſponit, ac procurat ; ſin materia praepolleat, vincitur, & a nutu ejuſdem trahitur. Sic apparet, quis ſit Abſceſſus auctor ſymptomatici.

Materiam nunc diſpiciamus : haec transferendo modificata ſemper eſt naturae critice procuranti, id eſt, etſi omnino non concocta, & ſubacta, ſuiſque placitis omnino conſona: tamen aliquam nacta eſt commoderationem, & mitificatum ; ut poma, quæ ni ſunt matura, nihilominus non ſunt lignoſa, & fatua. Quapropter & intrinſecus requiſita forma Abſceſſus critici carebit haec a morbo producta. Quippe confarctu, conculcatuque immitium particularum ſtupet, riget, livet, & ad ſuppurationem omnem inepta, atque immobilis, ut lapis eſt. Caret & modo decumbendi, qui viſitur ſemper in bono Abſceſſu, qui fit apotheſi, i. e. tranſpoſitione, hic vero fit epigeneſi, i. e. novi effectus additione. Caret etiam fine, qui ſolvit morbum, quique eſt ad levandum animal cum rerum omnium opportunitate conjuncta. Eſt autem opportunitas, ut fiat in die critica, praecedentibus aliquot indiciis ſalubribus, in partes a principibus diſſitas, per conferentes vias, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum rationem boni, ſalutiſque eſt: at non ita quidem in ſymptomatico, neque enim in hoc ſolutio, ſed exſolutio : nulla coctionis, temporis, viarum, loci, ſituſque partium opportunitas delecta: ſed omnia inordinata, praecipitata, recurrentia, irrita, infida, laeva, malaque, ſunt. Vides jam quantis intervallis diſtet a critico ſymptomaticus Abſceſſus, & quam adeo exlex & enormis ſit ejuſdem vaſtitas.

## CAP. XI.

### *De differentiis aliis Abſceſſus.*

AD cauſas effectrices relatae accedunt & aliae differentiæ : nam Abſceſſus alii epidemici, alii endemii, alii ſporadici, alii peſtilentes, alii non peſtilentes, alii ad acutos morbos, alii ad diuturnos, alii ad febres, alii ad morbos alios, ſuccedunt.

A materia, alii ſanguinei, quos maxime probavit Hipp. *in l. de praedict. num. 6.*

A forma, alii foras exſtantes, faſtigiati, & uno quaſi capitulo; alii vero preſſi, & humiles, bifidi, ſeu bicipites, variciformes, *cyrtomata* ab Hippocrate dicti.

A generationis modo, hi acervatim facti, hi semirepentes, ut vocat Hippocrates, & semiflui. Hi per excretionem, hi per transpositionem sunt.

A fine, alii ut morbum solvant, & aegros levent, & in tuto ponant, comparati sunt a procuratrice natura; alii vero vi morbi, ut hominem praecipitent ipso vitio, & materiae corruptione praevalente.

A quantitate, alii magni, & pro dignitate materiae morbificae provenientes; alii parvi minusque respondentes dignitati morbi. Itemque majores, quam ut praeferri queant; minores, quam ut prodesse valeant. Debent enim abscessus neque paucitate inutiles, neque magnitudine intolerabiles esse. Atque hi sunt, a quantitate continua; a discreta vero alii unitate contenti, alii plures, atque dispersi.

A qualitate, alii calidi, alii frigidi, molles, duri, crudi, maturi, tuti, periculosi, benigni, maligni.

Ab actione, passioneve dolorifici, sedati, anxietudinem, euporiam, inducentes; faciles, contumaces; suppurabiles non suppurabiles; recidivam facientes, & non facientes; morbum judicantes, & non judicantes, sive irriti: cujus posterioris membri exemplum reliquit Hipp. *l. primo Coacarum* dicens, *in febribus dolor bubonis ad diuturnitatem morbi pertinet*.

A tempore alii per initia, & primum insultum morbi, exorti; alii per diadochen & fugaces, ut exponit Duretus *l.* 2. *Coac. cap.* 11. §. 3. alii breves, alii diuturni, alii medio modo se habentes; hyberni, aestivi, autumnales, verni; quidam sunt sub ineunte, & crudo morbo, nascentes; quidam sub progressu, vel inclinante eodem. Abscessus autem ipsius sunt tria tempora; quod morbum praecedit, quod in morbo est, & quod a morbo subsequitur, id est convalescentiae tempus. Ad haec tardi, citi, Hipp. *Coac.* A situ meteori, ut Duretus loquitur, & abditi.

Itemque a locis, & situ corporis, in quibus constitere sua, sunt etiam Abscessuum discernicula. Nam alii superiores partes, alii inferiores; interiores, aut exteriores; dextras aut sinistras, occupavere; alii ad glandulas, aures, alas, inguina, alii ad articulos, ad caput, pectus, abdomen, erupere. Videtur autem, ut particularis, ita & universalis quidam Abscessus dari per ea, quae scribit Galenus *com.* 4. *in l. de ratione victus in morb acutis, particula prima. Si in una quapiam corporis parte affectio ea fiat, in ea solum, qui erysipelas referat affectus quispiam erit. Verum si venae totius corporis supra modum exiccatae calidas e carnosis partibus humiditates traxerint, in toto corpore fiet affectio, quae causam referet.*

Ad haec abscessuum alii, qui pus effundunt intro, alii, qui extra viscera, Hipp. *l.* 2. *Coac. cap.* 11. §. 8.

Ab habitu, alii livescentes, & emortui, alii concolores, aut secus; suppurati non suppurati, pus, saniem, aut ichores crudos continentes; alii non pus quidem habentes, sed aliam quandam putredinem, ut in tempestate pestifera ab Hippocrate descripta.

Abscessus cum febre, sine febre, quam ipsi vel praecedunt, vel comitantur, vel sequuntur. Ad haec inflammatorii, vel secus. Abscessus per decubitum quam plurimum per morbos longos visi consueverunt, qui frigidi sunt omnes; non autem per morbos acutos, & calidos, ut paulo posterius, ubi de proprietatibus explicabimus. Plurimum etiam sine phlegmone praecedenti oboriuntur Abscessus per decubitum: itaque tarde accedunt tardeque suppurantur, atque curantur.

Suppuratorum etiam, quae sursum sunt, alia quidem in tunica stabulantur collecta, alia vero sunt in visceribus ipsis diffusa, Hipp. *sect.* 2. *Coac. cap.* 11. §. 7.

CAP.

## CAP. XII.

### *Definitio Abſceſſus.*

HIs quidem omnibus rite tam expoſitis, productiſque cauſis Abſceſſus, hunc definire difficile non eſt; commode autem multiplex ſimul Abſceſſus ſpecies finiri nequit, niſi prius ambiguitas removeatur lege definitionis ab Ariſtotele propoſita, quae vult, ut omne aequivocum ante ſit diſtinguendum, poſtea definiendum. Sic qui per excellentiam dicitur, per decubitum adveniens, nunc ſumitur. Hic igitur ab eo, qui per effluxum eſt, differt tranſpoſitionis forma: propterea genus ejus nobis erit *translatio*, diadoche dicta Hippocrati ac Galeno. Quoniam autem ea, quae transferenda, non excernenda fuit materia, eſt (oportet) non calida, neque tenuis, non tamen ſimpliciter frigida crudaque, quae agitari nequeat: ideo ſubdetur *humoris frigidi, ſemicrudi*. Quoniam autem translationis ratio in hac actione deſideratur audiri; haec autem eſt copia, & qualitas ſimul, ſed *copia* magis, quae morbis in longis frequentior eſt: propterea quod difficilior victu, quam qualitas: ob id addemus *in morbo longo facultati principi nocentis*. Verum quia mentio terminorum intercedat oportet in translatione neceſſariarum; huc ſpectantes aliud adjiciemus, quod eſt *a parte nobiliore ad viliorem*. Poſtremo, ne cauſa effectrix exponenda deſideretur, ſupplendum duximus, *naturae conſilio comparata*.

Itaque ſi clauſularum omnis ſumma colligatur, definitionem habebis, quae eſt; Abſceſſus eſt translatio humoris frigidi, ſemicrudi, copioſi, ſub longo morbo facultati principi praegravantis, de parte ſuperiori ad inferiorem, a natura providente facta.

## CAP. XIII.

### *De Cauſis ſpeciatim.*

CAuſas omnes in homine, qui tractatur, recognoſcemus ſecundum ordinem rerum naturalium, non naturalium, praeter naturam. Quod ad res naturales attinet; humores, qui huic affectus generi ſuffragantur, ſunt in Abſceſſu quidem per effluxum calidi, qui ſunt ſanguis, bilis; in decubitu vero frigidi, atque humidi, ut qui morbis longis magis dominantur, quae ſunt pituitae pleraeque ſpecies.

Similique modo temperaturae ex his humoribus conflatae. Ad haec intervenit facultas expultrix, quae in parte quidem mittente valens ſit, oportet; in recipiente debilis: quibus utriſque facultatibus ſpiritus memorato modo reſpondeant neceſſe eſt: partes vero conſentiant munere, conſortio, proclivitate, laxitate, imbecillitate. Sanguinis fluorem junioribus potius, quintum & trigeſimum annum agentibus expectandum, docet Hipp. *in Coacis*: etenim, ait Galenus, *per hanc aetatem ſanguis plurimus, eſt facultas validior atque etiam calor exſuperans*; in quibus autem aetatibus magis fiant, legitur *in prognoſt. com. 3. tex. 24.* Adverſum autem eſt ab Hieronymo Mercuriali *in com. ad prog.* Abſceſſus in pueris citius, quam in ſenibus ac viris, citius, quam in foeminis, maturari.

Ex ordine vero rerum non naturalium, aeris ſtatus imprimis conſiderandus, qua nulla frequentior Hippocratis eſt doctrina: cauſa hybernus magis, quam aeſtivus, praeterquam ſi debeat Abſceſſus eſſe per effluxum. Aer vero frigidus, ſubdialis, & ſublunaris, item decubitus in ſolo per noctem, & locus quicunque udus, &

uli-

uliginoſus, qui incolatur, Abſceſſus frigidos creat: argumento ſunt inopes, & varie peregrinati, qui non admodum ſe tueri valent. Peſtilens item aeris conſtitutio Abſceſſus invehere ſolet externos: quin etiam & internos in ephemeris peſtilentibus creat interdum, ut adnotavit Thomas Jordanus *lib. de peſte tr. c.* 8. Ex partibus autem anni, autummo maxime fiunt dyſcriſiae, praecipue per Abſceſſus, ut adnotavit Fr. Valleſ. *in 7. epid.* 11.

Poſt haec ob malos cibos Abſceſſus putredinoſi fiunt, ut ſcriptum eſt Galen. *de cib. boni, & mali ſucci c.* 4. item ob craſſos dulceſque cibos, ibidem; ſed & craſſa vina, limoſa, eoſdem inducere poſſunt. Labores item, ac motus nimii, ut *com.* 4. *aph.* 44. & 4. *aph.* 31. Repletio etiam multa materiam adferre Abſceſſibus ſolet.

E genere praeter naturam, unus & maximus dolor eſt: cujus occaſione fit, ut Abſceſſus in dolentem ipſam partem incurrat, ut alibi hoc eodem tractatu explicui: unde Hippocrates *in lib.* 4. *aphoriſm.* 66. *Abſceſſus faciunt viſcerum dolores.*

Ad haec imbecillitas partis e verbere, & caſu priori; mutilatio membri, vulnus, ulcus, fractura, vel ex his cicatrix, ancyle, apoſpaſma, diſtenſio, paralyſis.

## CAP. XIV.

### *De proprietatibus quibuſdam Abſceſſus.*

HIs, quae jam expoſuimus de natura deque cauſis Abſceſſus, nunc quaſdam horum proprietates, vocataſque a philoſophis paſſiones adjicimus eo conſilio, ut poſt ſubſtantiae diſcretionem accidentia quoque pateſcant: praeſertim quae maxime declarare rem ipſam poſſunt, atque ad abſolutam diagnoſin praeordinari. Neque vero nos ineptiae quiſpiam accuſet, quod ſubſtantiam, & accidentia morbis, qui in ſubjecto ſunt, & nulli ſubſtant, attribuamus. Praeterquam enim hoc docendi ſtudio concedi licet: ad haec nos illa referimus diatheſi, & habitudini corporis, male affecti: cujus ſubjecti virtute fit ſaepe, ut morbi ejuſmodi nomenclaturas bene recipiant. Erit autem haec particula inter omnes locupletiſſima: quam ex optimis, & principibus viris ſic congeſſimus, ut tabula quadam deſcriptae videantur, ad hunc ſcilicet modum.

Abſceſſus per effluxum in morbis acutis ſaepius viſuntur, quam in diuturnis: Abſceſſus vero per decubitum non fiunt per morbos bilioſos, ſed per longos, *prognoſt. com.* 2. *text.* 65. nempe per hos finiunt, judicanturque, morbi craſſarum materiarum. *progn. com.* 2. *text.* 65. & *com.* 3. *tex.* 23. & *ſequent.* & *com.* 4. *Aph.* 26. & *l. de ratione victus in acutis com.* 4. *tex.* 46. Hinc autem eſt, quod hyeme potius accidunt, tardius deſinunt, & minus retrocedunt, *progn. com.* 3. *text.* 28. Addidit Gal. *in com. rationem* dicens; *Abſceſſus per hyemem potius accidunt, ſiquidem per excretionem calidi, per Abſceſſum frigidi, vacuantur humores: tardius deſinunt ob ambientis aeris frigus; & ob craſſitiem, ac frigiditatem humor aegrius diſcutitur: ob quas cauſas, & minus recurrunt, ſive retrocedunt, quia frigidus, humor difficilius moveri poteſt.* Hinc etiam Abſceſſus quibus recidivae, Hipp. 5. *epid.* Per decubitum Abſceſſus fit interdum primis diebus, ut eryſipelas, & hoc genus. Marinellus *in com. ad Hipp.* ſed Gal. *l.* 1. *de dieb. decret.* ait *in morbis, qui ſubito ſolvi debent, excretiones, & Abſceſſus requiruntur.*

Abſceſſus raro fiunt in febribus cum rigore incipientibus, *in 6. epid. com. primo.*

Ab-

Abſceſſus cito fiunt in febribus cum laſſitudine conjunctis, *com.* 4. *aph.* 74. & 36.

Abſceſſu judicantur febres molliores, 2. *de art. cur.* ad *Glauc.* Abſceſſus in quartanam mutantur, *lib.* 1. *epid. com.* 2. *tex.* 21.

Affectus partium judicatione facti multo facilius curantur, quam cum ob multitudinem, & cacochymiam fiunt. Ita morbus regius in febris ſolutione ortus, per quem urina & dejectio ſunt, quales in benevalentibus facillime ſolvuntur; ac brevi; qui vero ob bilioſam fit cacochymiam, non niſi ſaepe, ac vehementer, expurgato corpore; Franc. Valleſ. 7. *epid.* 11.

Evenit nonnunquam Abſceſſum fieri in partem contrapoſitam, aut effluxum per viam nullius rectitudinis, participem propterea, quod omnia ſunt confluxilia. Ludov. Duretus.

Abſceſſibus ſuppurantibus rigor fit, 6. *epid. com.* 3. de qua re lege Valleſium *in com. ad* 4. *epid. text.* 124.

Abſceſſus ad articulos fiunt aliquando citra articulorum dolores, ac tumores, qui ſolis effaeminationibus, ſeu luxationibus, cognoſcuntur, Franc. Valleſ. *l.* 6. *epid. ſect. primae text.* 11. Attigit, & brevi rem hanc Antonius Santorellus, ſcholae Neapolitanae novus Argenterius, 11. *Antepraxis cap.* 6.

Abſceſſus raro fiunt lege critica in dominatu bilioſi humoris, Duretus *l.* 2. *in Coac. c.* 16. quod eſt de pleuritide, & peripneumonia. Ratio autem aſſertionis eſt, ſiquidem Abſceſſus non fiunt validi quibus rigores veniunt, atque quos excitare frequentiſſime conſuevit bilioſae materia dominatus; & ad ſummam quemadmodum humores craſſi procreandis Abſceſſibus ſunt accomodati, ſic ſane tenues ad excretionem non ad Abſceſſum ſunt nati.

Peracuti, atque acuti, excretione maxime finem inveniunt a quadrageſima die raro id evenit; nam coctione longa evincuntur, vel languidam, & repetitam excretionem, movent. Joan. Heurn. *Inſt. med. l.* 11. *c.* 5.

Abſceſſu qui finiuntur morbi, comitem iſtam perturbationem criticam non agnoſcunt: ut nulli longi morbi; niſi poſtmodum in acutum degenerent morbum. Idem *ibidem*.

Sunt aliquando volubiles Abſceſſus converſiones, tum ad ſalutem, tum ad mortem, mutatis vicibus. Ut in angina, cum ſtrangulatio fortis, ſaevique doloris cruciatus, & orthopnoea, cito venturae mortis cauſas in promptu teſtantur: deſperatio vertitur in ſpem, ſi eryſipelas in cervice & ſterno, per metaptoſin, exortum laryngis deorſum minuat, unaque liberiorem faciat ſpirationem. Eadem ſpes rurſum deſperationis habet ſucceſſionem, ſi eryſipelas intro reverſum peripneumoniam faciat, vel anginam. Ita Duretus *in Coacaſ. l.* 2. *C.* 16. qui & *l.* 1. *text.* 149. tradidit haec, non diſſimili ſententia. Plerumque Abſceſſus fugaces ſunt, id eſt, de loco uno leviter in alium transferuntur: ut *Hiſtor.* 3. *libri primi epid.* Herophonti doluit quidem bubo, ſed doloris fugacis materia derivationem facilem habuit ad crura, totius morbificae cacochymiae capacia.

Inter omnes, pueri habent ſaepiſſime Abſceſſus, quia ob voracitatem congerunt ſuccos craſſos, & habent per eam aetatem magnum facultatis naturalis robur. Valleſius *in progn. Hipp.*

Tres Abſceſſui per excretionem neceſſariae ſunt opportunitates: libertas meatuum, validae vires, & materiae praeparatio, ut ſit meabilis. Duretus *in lib.* 1. *Coacar.* 149.

Fuit illud Hippocratis judicium de Abſceſſibus criticis, ut eos non agnoverit, niſi in febris aſſiduitate, nunquam vero in febris vacuitate; ſic enim ait *in progno-*

*gnoctic. Abſceſſum porro expectare oportet , ſi coutinua eſt febris* ; ex Dureto *l.* 1. *Coacar. text.* 149.

## CAP. XV.

*De ratione dignoſcendorum Abſceſſuum promiſcua.*

DIgnotionem Abſceſſuum traditurí primum inquiſitionem faciemus differentiarum , quae ſunt per excretionem , & tranſpoſitionem , excretiones cognoſcere docemur ab humorum propenſione , & curſu , per meatus ſibi evacuandis deſtinatos : de qua re Gal. *lib.* 3. *de criſib. ſed* 3. *prog. com.* 26. tradidit normam . morbos a calidioribus ſuccis profectos, cum naturæ valenti robore conjunctos, per excretionem judicari ; in quibus vero facultas debilis eſt , & frigidus humor , nec excretione , nec abſceſſu levari : verum in corruptionem abeunt , aut vix longinquitate temporis miraculo coquuntur , & finiuntur . Abſceſſus vero praeterquam cognoſcuntur negatione naturalium propenſionum ad excretum, ad haec praeſentiri poterunt ex habitudine humorum , qui ſint accommodati ſolum ad translationem , qui vel coctiores debilem habeant tranſmotricem, vel craſſi robuſtam.

Ad haec ſpectandus morbus eſt; nam ſi calidus, & acutus, primis periodis criſin expectat, excretione judicandam; ſi vero frigidus, tardus, & diuturnus affectus ſit, urinis tenuibus & crudis. Gal. 3. *Criſ. ult.*

Ad dignoſcendos vero Abſceſſus per effluxum , aut per decubitum , haec habe. *Abſceſſus non validi quibus rigores*, Hipp. *l.* 6. *Epid. ſect.* 1. Criſes fiunt excretione, vel abſceſſu. Si excretione, id fiet quatuordecim dierum ſpatio extra vel intro ; idque in juvenibus quorum meabiles ſunt ſucci , corpora , & motus naturae juveniles : ſed praerepta criſis occaſione , & cauſa per excretam , hoc eſt, in cruda, & contumaci materia , inclinatio fit ad Abſceſſum , modo natura viribus integris propugnet. Heur. *inſt. med. l.* 11. *cap.* 5.

Ni ſint per effluxum Abſceſſus, caeteris conſtantibus, per decubitum erunt. Ita quidem apparet voluiſſe Hippocr. *l.* 2. *de morbis vulg. Sect.* 1. & Galen. *in l.* 1. *ejuſdem operis*, *Sect.* 2. *text.* 44. ſuper illa ſententia (maturationes excrementorum omnes undique tempeſtivae , aut bonae, & decretorii Abſceſſus ſunt conſiderandi) profitetur apertius ad negatos Abſceſſus per excretionem , alteros per decubitum ſuccedere .

Didicerunt autem longae fieri hae febres , & Abſceſſus habere , ſi frigidae ſint partes infernae circa aures, & cervices; ſi vero non ſint frigidae habent alias mutationes fluet autem ſanguis ex naribus, & alvi his conturbantur ; Hipp. 1. *de ratione victus*, & Valleſ. *in com.* Suppurationum umbilicus terminus eſt, quibus autem rumpi ſuppurationes debent, ventres his turbantur; Hipp. *l.* 6. *epid.* 6.

In cruda , & contumaci materia , & meatuum anguſtia, non criſis quidem, ſed Abſceſſus potius fiet ; modo natura viribus integris propugnet . Si illa fatiſcat cachexiam expecta, & corruptionem, niſi tamen poſt exacerbentur , ut in Cleonactide octogeſimo, ex Heurnio 21. *Inſt. med. c.* 5.

Abſceſſuum per effluxum, ſecundum ſingulas ſuas ſpecies praenoſcendorum, quae ſint ſigna , expoſitum habes fuſe , ac diſtincte ab Hieron. Montuo *in compendio curatricis*, a Proſp. Alpino *in l.* 6. *de medico praeſag.* & ab And. Laurent. *l.* 1. *de criſibus* , & ab aliis : inſtituti porro noſtri fuit potius de his , qui ad decubitum pertinent, differuiſſe.

CAP.

## CAP. XVI.

*Signa Abſceſſus per decubitum.*

SI febris detinet, & dolor non deſinit, excreatio non excernitur ex ratione, neque bilioſae fuerint alvi dejectiones, neque ſolutiores, & ſinceriores, nec urina admodum craſſa, ac plenius ſedimentum; ſalubriter vero a caeteris partibus miniſtratur: his tales fore Abſceſſus ſperandum eſt. Hipp. *com.* 2. *progn. text.* 65.

Si vigeſimum diem exceſſerit morbus, tunc Abſceſſus, ſi nullus dolor affligat ob inflammationem, aut ob aliam manifeſtam cauſam. Hipp. *l. prog. ſect.* 3. *text.* 23. 24. 25. & 26.

Quibus inveteratio eſt morbi, dolorificum imis in partibus expectare oportet, potiſſimum vero junioribus. Hipp. *In diuturnis febribus, aut phymata fieri ſolent, aut in articulis Abſceſſus.*

*Quibus febres longae, iis tubercula ad articulos, vel dolores fiunt*, Hipp. *l.* 4. *aph.* 44.

Sunt & Abſceſſus futuri ſigna urinae tenues, & crudae, toto morbi decurſu, cum ſalutaribus ſignis apparentes, *l.* 2. *Aph.* 34. Si eorum, quae excernuntur, ſuperſit pars aliqua: tunc in Abſceſſum morbus eſt facilis.

Per Abſceſſum futura criſis quomodo cognoſcatur, 3. *de criſib. cap. ultimo*, doceris.

## CAP. XVII.

*Qua aetate, ac tempore anni, morbique, adveniant Abſceſſus.*

ABſceſſus ſenibus haud eveniunt; hominibus qui trigeſimo ſunt anno minores, citius apparent. Jo. Heurnius *inſt. med. l.* 11. *cap.* 5. quamquam Hipp. *l. coac. ubi de dolore capitis*, ait, maxime vero triginta quinque annis minoribus profluvia ſanguinis; ſenioribus vero Abſceſſus expectare oportet; ſed enim aliud eſt ſenibus non accidere, ſenioribus triginta quinque annis accidere. Admodum, inquam, ſenibus Abſceſſus rariſſime accidunt: ſiquidem robur virium his naturaliter debile. Ad haec, ſub diuturnitate Abſceſſibus ſolenni, fracta natura ad propellendum nullam vim habet: humoris vero contumacia, & compactorum meatuum ariditate, reſiſtit; quas ob cauſas ſub ſenecta nil ejuſmodi a natura ſuſcipitur, aut ne tentatur quidem. Sicut in minoribus natu, trigeſimum annum agentibus, Abſceſſus conſiſtunt; ita quartanae potius agentibus annum quadrageſimum, aut, etiam ſenioribus accidunt; *com.* 3. *progn. text.* 28.

Oportet autem expectare Abſceſſum per febrem continuam; in quartanam vero diſceſſuram quoties intermittat prehendatque errabilem modum, atque ita agendo autumno propinquet. *Com.* 3. *progn. part.* 27.

## CAP. XVIII.

*Dignotio ſitus partium, aetatis, Abſceſſuſque ſpecierum, ex I. Sylvio.*

*Signa criſis futurae per Abſceſſum, in febre mitiore, & diuturniore*

*In quamvis partem*

*Superiores, ut glandulas colli, & quae parotides dicuntur.*

*In articulos vel glandulas, aut alias partes.*

*Inferiores.*

*Febris ſalubris, & cum ſignis ſalubribus, ſed protracta non ſoluta, ut ad diem vigeſimum, & diuturna ac tarda, ſine dolore a phlegmone vel cauſa externa, hyeme magis.*

*Morbus aut calidus, ſed cum viribus imbecillibus: aut frigidus, ſed cum viribus robuſtis. Nam ſi calidus, & vires robuſtae per excretionem ſolvetur; ſi frigidus, & vires imbecillae, aut aegrum jugulat, aut tardiſſime vix coquetur.*

*Aetas minor annis 30. aut 35. Nam ſenibus minus fiunt Abſceſſus, ob virium imbecillitatem, etiam ſi febris ſit diuturnior. Infra autem annos 30. magis & citius fit Abſceſſus.*

*Urinae tenues & crudae longo tempore. Nam multa, & cum plurima hypoſtaſi, paulatim coqui & ſolvi morbum ſignificat.*

*Morbus praecipue non diuturnus.*

*Somnus gravis.*

*Dolor capitis vehemens.*

*Capitis & temporum gravitas.*

*Surditas repentina & praeter rationem.*

*Reſpirandi difficultas aliquandiu ſine cauſa manifeſta.*

*Hypochondria ſemper mollia & indolentia.*

*Reſpiratio aliquandiu difficilis, ſubita, ſine cauſa manifeſta, mox quieſcens.*

*Morbus diu duravit.*

*Urina tenuis, cruda, multo tempore micta.*

*Circa hypochondria aliquid phlegmonis & caloris in peripneumonia, huc repere humores ſignificat.*

*Gravitas, tenſio, phlegmone, dolor inferiorum partium.*

*Nullum ex ſignis parotidum apparuit.*

CAP.

## CAP. XIX.

*Methodus dignoſcendorum ſitus, & partium obnoxiarum Abſceſſus communis.*

CONſtabit autem partium, quae obnoxiae ſint Abſceſſibus, & ſitus cognoſcendorum aliqua methodus, ex conjecto ſubſiſtentis humoris orgaſmo, & motu naturae facultate, ac ductuum ſurſum, ac deorſum ſpectantium habitudine, ac ſitu; ſi ſuccus quidem tenuis ſubſtantiae ſit, potius ad ſuperiora, ſi vero craſſior ad inferiora promptior erit, ſi valens natura ſit, & viribus cumulata, deorſum & procul ab affecta ſede, & morbi dignitate moleſtum humorem extrudet. Conferet autem, & partium male affectarum diſpoſitio, quae prona ſit ad recipiendum, docente Hipp. *l.* 4. *aph.* 33. quod ſi ante morbum pars aliqua laboraverit in eum morbum decumbet. Item conferet vaſorum ſive ſurſum, ſive deorſum vergentium commoditas: quippe in rectum proprio quodam naturae nutu levis humor debet adſcendere, gravis deſcendere, ſi viae ſint expeditae.

## CAP. XX.

*Dignoſcendi ſitus ratio privata.*

EXoriuntur ad inferas quidem partes, quibus hypochondria incandeſcunt, ad ſuperas vero, quibus hypochondrium quidem molle eſt, ac doloris expers; ipſi vero pauliſper ſuſpirioſi quieſcunt ſine cauſa; Hipp. *com.* 2. *progn. text.* 66. conſule autem Galenum *in com.*

In febribus ad articulos, & circa maxillas maxime Abſceſſus fiunt: prope ſane dolores unius cujuſque ad ſupernam partem magis, & in totum, ſi vero lentus fuerit morbus, & deorſum tendens; inferne etiam Abſceſſus fiunt, maxime autem pedes calidi, inferne ſignificant, frigidi ſuperne; Hipp. *l. de hum. num.* 3. vide autem, quae Gal. *in com.* ſcribit ſcitu plane digna.

Qui tenuem crudamque urinam diutius mingunt, his Abſceſſus expectari oportet in partes diaphragmate inferiores. Hipp. *lib. progn. n.* 11.

Qui diutius ſecure ex febre continua laborant citra dolorem, aut inflammationem, aut aliam cauſam, his Abſceſſus expectandus eſt, cum dolore, ac tumore, ac magis in infernis partibus, *lib. progn. com. text.* 23.

Abſceſſus his, qui nyctalopae vocantur proſunt inſuper apparentes, & ad infernas partes erumpentes: verum non valde accedunt per juventutem. Hipp. *l.* 2. *prorrhet. num.* 40.

Abſceſſus autem inferius erupturi cognitio traditur *com.* 2. *prognoſt.* 4. *text.* 66.

Quibus jam nephriticis ex renibus affectis praedicta ſigna accidunt, doloreſque circa muſculos ſpinales fiunt, ſi quidem circa locos externos fiant, etiam Abſceſſus intrinſecus futuros expecto, *l.* 7. *aph.* 36.

## CAP. XXI.

*Dignotio partium privata.*

ABſceſſus maxime incumbunt in partes dolentes, inutiles, claudas, imbecilles, atque laſſatos; ita Hipp. *l.* 6. *Epid. ſect.* 7. dixit; *Tuſſes laborioſae incumbunt in partes laeſas, ſed maximae in articulos;* & quidem *ſect.* 7. primo qui vo-

cibus amplius, quam par erat, ſed fatigarunt, aut riguerunt: in anginam magis inciderunt: qui manibus laboraverunt, manibus ipſis facti ſunt paraplecti: qui vero equitaverunt, aut amplius iter fecerunt cruribus ſunt fatigati. Idem fere 4. *aph.* 33.

Quibuſcunque in febribus tremores citra judicationem ceſſant: his in progreſſu Abſceſſus doloroſus ſuppuratus in articulos fit, & veſica doloroſa, Hipp. *progn.*

Quibus alvus ab initio turbatur, urinae vero paucae ſunt, & progreſſu alvus ſiccatur, urina vero tenuis redundat, his Abſceſſus ad articulos fiunt. Hipp. *l. progn.*

Dyſenteria intempeſtive ſuppreſſa Abſceſſum in coſtis, aut viſceribus, aut articulis, facit. Hipp. *Coacis.*

Quibus ex morbo ſe erigentibus ſtatim in manibus, vel pedibus, dolores fiunt; in his Abſceſſus ſunt futuri. Hipp. *l. de humor.* Aetius Tetrabibl. 2. *lib.* 1. C. 11.

Abſceſſus velut glandularum tumores ſignum quidem partium, quae germina habent: ſed & aliarum maxime vero circa viſcera; Hipp. *l.* 6. *Epid. ſect.* 2.

Urinae cum rigore malae, & convulſoriae, tum alias, tum ſi quidem antea gravi ſopore preſſus fuit: ſpes autem in his eſt Abſceſſum retro aures futurum, Hipp. *lib. coac. praen.*

Somnus gravis cum dolore capitis, & ſurditas ſtatim adveniens, parotidum ſunt ſigna: ex eod. Hipp.

Ubi morbus non fuerit valde diuturnus, ſi ſubit difficultas, ac halitus laboranti ſuperveniens mox quieſcat, eamque gravitas capitis, ac dolor ſubſequatur, & gravis ſomnus, & ſurditas, huic in glandibus poſt aures neceſſe eſt Abſceſſus fieri, Gal. *l.* 3. *de criſ. & com.* 75. 76. 77. *l.* 1. *prorrhet.* & ipſe Hipp. *l.* 1. *prorrhet.* Abſceſſus circa aurem attollit praecordiorum diſtenſio cum ſopore anxioſo. Hipp. *l. progn.*

Abſceſſus juxta aures emergunt ex egeſtionibus deſinentibus ſpumoſas Hipp. *progn.*

Abſceſſus poſt aures ſignificatur colore faciei; *primo prorrhet. com.* 2. *text.* 14. & 6. *epid. com.* 2.

## CAP. XXII.

### *De ratione praeſagiendi Abſceſſus.*

SUpra, qua de fine molientis Abſceſſum naturae diſſertum eſt, fundamenta jecimus, & ſumma tradidimus capita bene inſtituendae praeſagitionis; porro quemadmodum ſe res habet ad eſſe, ita etiam ad cognoſci: praeterquam, quod praenotio nihil ad ſummam eſt aliud, quam conſilii naturae architectantis praeſentia. Quas ob res, quae ibi propoſita ſunt a nobis, ea nunc in memoriam revocari oportet: atque adeo perpendi num morbus is ſit, quem excutere natura concoctione valeat, vel ſecus. Valebit autem ſi firmus humo tum aetate, tum viribus morbo ſit faciliore correptus. Facilis autem morbus erit, ſi calidis; mitibuſque ſuccis, ſit fultus, quales nimirum e ſanguinis genere ſunt.

Quod ſi bilioſus ſit apparatus, & aliquanto turgidior: robore naturae, ſicut dixi, conſtante, & notis, quas paulo poſterius adjiciam, praemonſtrantibus; probabile credideris futurum effluxum, ſeu materiae totius, ſeu plurimae, pro ut naturae facultates, & morbi lenitas, ſe oſtenderint. Atque ejuſmodi quidem eſt praeſagitio, ſi calido ſit in genere morbus

Quod

Quod ſi frigidis, craſſis, lentiſque materiis ſtipatus ſit; hyeme praeſertim, & autumno; doctus proprietates Abſceſſus, quas ſuo capite legiſti, certus eris hoc genus morbi futurum, ut per decubitum finiatur perfectus, non perfectus; ſalubris, exitioſus; difficilis, dubius; prout & ſecuturae te docebunt normae, naturaeque & morbi virium ſeſe exhibuerit aeſtimatio. Nempe ſi materia, quae morbum facit; eo redacta ſit a natura, ut educi poſſit per loca conferentia tempore, & loco expulſioni opportunis: hoc pacto conducibilis erit Abſceſſus: ſin morbus, aut materia, aut uterque naturae ſuperiores ſint, contra aeſtimandum. Rationem autem dignoſcendi rem hanc fuſe docuit Vidus Vidius *in Artis med. tom. 2. part. 1. l. 10.* & hunc imitatus Proſper Alpinus *in l. primo de medico praeſagio*.

Haec quidem generalis, & ſumma fuerit praeſagiendi ratio. Caeterum praeſagitor ipſe per multum, & non vulgariter verſatus ſis, oportet, in uno Hippocrate, qui mirificentiſſime, ac diligentiſſime omnium, qui ad hanc aetatem extitere, rem prognoſticam aſſequutus eſt: ut qui cum natura, & ejus conſilio maxime fuit conjunctus. Non levis autem opera, neque perfunctoria, ſed ſingularis, & exacta; navanda eſt, ut hujus Viri doctrinam attingere liceat, cujus nos aliqua definitius tradere jam incipiamus.

## CAP. XXIII.

### *De lege ſalutaris Abſceſſus.*

MOnſtratum ante per nos fuit, Abſceſſum eſſe metaſtaſin, ac tranſpoſitum quendam humoris, naturæ gubernantis ſtudio procuratam. In tranſpoſitus porro ſunt haec; humor tranſpoſitus; pars unde migrat, itemque pars quae recipit; viae; per quas humor transfertur; ac finis, cujus gratia transfertur: haec quidem ſingula recte comparata ſint oportet, ſi ſalutaris eſſe debet Abſceſſus.

Primo quidem humor coctus, aut ſemicoctus ſit oportet; etenim ſi crudus ſit, praeterquam ineptus eſt tranſmotioni, & naturam potius vi ſymptomatica irritaret. Ad haec, ut admonet Hipp. *l. 1. epid. ſect. 2. cruda, & incocta, & in malos Abſceſſus converſa, aut morbi longitudinem, aut judicationis vacuitatem, aut recidivas, aut mortem inducunt:* & *l. 2. prognoſt. ſect. 2. text. 66. ſi ſputum*, inquit, *non facile excernatur, neque urina hypoſtaſin habeat laudabilem; periculum eſt, ne ab Abſceſſu claudicet articulus, aut multum moleſtiarum exhibeat*. Praeter hanc qualitatis conditionem, eſt & alia propoſita per Galen. *com. 2. progn. part. 65.* quae eſt, ut ſucci ſint non omnino exitioſi.

Haec ad qualitatem materiae pertinent; caeterum, & quantitate debet eſſe moderata i. e. non pauca, nec valde multa; quocirca magnus Hippocrates ſtatuit hujus terminos non minorem copiam, quam ut morbum non ſolvat, nec majorem, quam ut tolerari poſſit; paucae quidem, & ſemifluae materiae meminit *l. 1. epid. text. 2.* cum ait: *exanthemata apparebant parva, nec digne morborum excretioni reſpondentia, inde mors rurſus evaneſcentibus, & l. 2. Coac. c. 15. text. 4. parotides pravae ſunt paraplecticis*. Duretus inter caetera cauſam ad ſemifluam translationem humoris refert, quamquam vero *com. 1. l. progn. text* 40. parvam abſceſſionem laudavit, dicens, *ſuppuratio, quae foras vertitur, optima eſt, ſi parva &c.* tamen parvitas hic moderata intelligenda, non exilis, & vere paucifera. At vero uberioris pluſquam par eſt effuſionis meminit eadem particula, dicens; *multi Abſceſſus oboriebantur, aut minores, quam ut quicquam prodeſſent, aut majores, quam ut ferri poſſent*.

Prae-

Praeter humoris modum ita requisitum, debet & pars, unde is elicitur, rite delecta esse: nimirum, ut sit ea, cujus salus ad universitatem corporis spectet, ac proinde munere praestans, ac digna sit: secus enim nulla esset necessitas transponendi. Est autem animalis corpus qualis civitas, & exercitus, in quo, ut servetur Imperator, & Princeps, expedit vilissimum quemque hominem occumbere: & ad summam is est ordo dignitatis a natura in omnibus demonstratus, ut abjectorum incolumitas perpetuo cedere debeat nobilioribus.

Est & pars Abscessum receptura videnda, quae viribus infirmior, munere inferior, situ corporis humilior, loco remotior, & materiae sufficienter transmissae capax esse debet: quod autem inferna, & dissita pars Abscessui sit opportuna, summus medendi Magister indicavit *l.* 2. *progn. text.* 76. dicens, *Abscessus, qui erumpunt ad crura in pulmonia vehementi utiles omnes:* & *l.* 6. *epid. sect.* 1. *parte* 17. *si e superioribus partibus infra umbilicum inferioribus articulis constiterit, bonum.* Enucleatissime vero *l.* 2. *epid. sect.* 1. *optimi sunt Abscessus, qui infra fiunt, & longissime infra ventrem, & remotissimi a morbo.* Ita Duretus Hippocratis, ut vocant aliqui, Genius, *l.* 3. *Coac. Appen. de phymatis, quod cap. est* 26. ait; *Abscessus non boni nota, prope abesse a morbi domicilio.* Praeterea capax esto pars, quae Abscessui sustinendo destinatur: alioquin is, qui a parte non admittitur, ad interiora recurret prompto mortis periculo. Inde dictum est, *in prorrhet. & Coacis; quae apud aures extuberant in paraplecticis suspecta sunt: quia magnitudini morbi non respondent:* est autem legere plures in hanc rem ab Hippocrate descriptas historias. In epid. *Aegr.* 9. *sect.* 3. *l.* 1. Crito abscessum habuit in magno pedis digito nocte deliravit, postridie interiit; *& l.* 2. *epid. sect.* 3. Calvus Larisseus femur dextrum doluit, quarta die circa meridiem mortuus est celerrime, & acutissime: *& sect. prima l.* 2. *ejusdem operis*, Temeni neptis ex vehementi, & acuto morbo Abscessum habuit in digito; cumque pars totius materiae capax non esset, recurrente eadem ad superiores, & nobiliores partes, interiit. Itaque & recursus materiae ne fiat, requiritur in optimo Abscessu. Porro semiflui & recurrentes affectus parotidum modo, fere funesti sunt exitus omnes.

Supersunt exponendae viae, situsque transpositionis: nam ubi pars dextra laboravit, in dexterum item latus deducenda materia est; sinistrum vero accipiet a sinistra. Porro qualis in Abscessibus per effluxum, par & in eo, qui est per decubitum, rectitudinis ratio requiritur, τὸ καλλίξιν dicere consuevit Hippocrates, hac re declarata tum in aliis, tum in Hierophonte, *hist.* 3. *l.* 1. *epid.* qui jam pessime habens ex lienis amplo tumore, suscitato ad femur; quod respondebat, Abscessu, praeter spem, evasit. Sunt igitur leges Abscessus laudabilis, ipsum fieri pro dignitate, deorsum, sine recursu, cum partium sympathia κατ' ἴξιν: quarum quidem omnium, qui majorem summam participaverit, is utique praestantior futurus est; ex una quidem aut duabus minime bonus affirmandus, sed e quam pluribus: optimus autem qui & consummatus, & numeros omnes expleverit. Lege autem & quae in hanc rem diserte scripsit Vidus Florentinus, *Art. medic. tom.* 1. *l.* 9. *cap.* 5. quod est de crisi.

## CAP. XXIV.

### *Praesagia.*

POst communiores istas praesagiendi formulas, subjungemus & alteras speciales, ab omnibus Abscessus locis ante recensitis repetitas, duplicem ipsorum eventum

tum expoſituri, ſecundum Veterum teſtimonia, ſingulis capitibus accommodata: exordiemur autem ab his, quae morbos judicant, aut ſecus.

*Signa Abſceſſuum perfecte judicantium.*

Decubitus cum deterior ſit Abſceſſus ſpecies, hinc interdum effluxus ſolvit: quod docuit Hipp. *l.* 4. *Aph.* 74. qui eſt, *quibus ſpes eſt Abſceſſum fore ad articulos, hos liberat ab Abſceſſu urina multa, & craſſa, & alba, prodiens, qualis in febribus laborioſis, quarta die quibuſdam fieri incipit: ſi vero etiam ex naribus ſanguis eruperit, brevi admodum ſolvitur.* Ejuſdem ſimile & *l.* 4. *epid. ſect.* 4.

An judicent autem maturi in morbis Abſceſſus, ſignum eſt; ſi dum fervida ſunt mala, non febricitarint, & dum moleſta ſunt facile portarint: velut quae in ſede accederunt Charioni. *Hipp. l.* 4. *epid.* 12. *Quibus in febre aſſidua puſtulae toto pullulant corpore, mortiferum: niſi purulento Abſceſſu, qui his potiſſimum ad aures aſſurgit, periculo defungantur.* Hipp. *in Coac.*

Cum Abſceſſus aliquis ſuppuravit, ac ruptus eſt, tum maxime evadit homo, cum ruptura idonea eſt, ut pus expurgetur nequaquam retrocedens: haec vero eſt declivis, & deorſum facta. Quam Hippocrates ſolet vocare εὔροον, i. e. facile fluentem. Valleſius in *prognoſt. Hipp.*

## CAP. XXV.

*Praeſagia eventus boni.*

ABſceſſus optimi ſunt, qui maxime ſanguinei: Hipp. *primo epid. & ſecundo prorrhet.*

Concoctiones celere judicium, & ſecuritatem promittunt, ita quidem Hippocr. *alicubi.* Eſt tamen illud pervidendum, ſententia Gal. *comm.* 1. *epid.* ut, toto morbo concocto ſimul, fiat: etenim Cratiſtonactae, & ancillae pictoris ſuppurabiles apparuerunt, ſub quibus tamen mortui ſunt ipſi. Pauca haec quidem ad materiam attinent: Quod vero ad formam, haec habe.

Exitus humorum, qui multos hac, & illac Abſceſſus faciunt, optimus eſſe conſuevit multas in partes diſpergi, & in quemcunque Abſceſſum portione aliqua inſumpta ita conſumi longo tempore. Valleſ. *in com. lib. de ratione victus in acutis partic. quibus per febres fiunt tubercula*, *pag.* 569.

Suppuratio, quae foras vertitur, optima, ſi parva; maxime, quae egreditur, & in ſublime reſurgit: ſi vero magna & lata, minimeque in mucronem ſubducitur, peſſima; *com.* 1. *prog. partic.* 40.

Erunt & commendabiles Abſceſſus, qui interne extrorſum erumpunt; ob id, eryſipelas, ab interioribus ad exteriora verti, bonum, ait Hipp. *l.* 6. *aph.* 25. &. ab angina detento tumorem foris in collo fieri bonum. *aph.* 37. *ejuſdem.* Vide autem & quae in hanc eandem ſententiam ſcripta ſunt in *l. progn. num.* 23. Verumtamen quod ad poſteriorem aphor. ſpectat, non perpetuam hanc normam primus advertit, & ut intelligendum id ſit, enarravit exacte celebratiſſimus Guaſtavinus, *in* 24. *locorum ſelect. tom* 20.

Abſceſſus ex ſuperioribus ad inferiores umbilico ſalubres, *comm.* 1. *l.* 6. *epid.*

Abſceſſus ad crura in pulmonis inflammationibus fortibus, ac periculoſis, omne quidem utiles ſunt; optimi vero, qui dum ſputum in mutatione eſt, fiunt. *Hipp l. progn. n.* 18. *& l. Coac. praenot.*

Quae-

Quaecunque intro rumpitur, optima eſt ſuppuratio; ſi cum exteriori ſede nihil communicet, ſed adducta eſt, nec dolet, & omnis exterior locus unicolor apparet. Hipp. *com.* 1. *progn. text.* 41.

Suppuratio prope canales ſecurior : quia ad expulſionem ſola naturali facultate indiget : quae enim concoquere, etiam expellere poteſt. Cardanus in *Arte parva* 146.

Tubercula foras extumeſcentia, & acuminata in turbinemque gracileſcentia, aequabiliter matureſcentia, non circum dura, declivia, & non bifida, meliora; contraria vero mala : &, ſi quam plurimum contraria, peſſima. Hipp. *lib. 6. epid. com.* 1. *text.* 13. ſimile vero protulit, & hoc *in progn. com.* 1. *text.* 40.

Quaecumque exterius vergunt, optima ſunt quam maxime extrorſum ſpectantia, & in aciem turbinata ; ſed quaecumque introrſum rumpuntur optima ſunt, quae externas partes attingunt. Hipp. *progn.*

Molles boni, crudi vero mali. Hipp. *lib.* 5. *aph.* 67. Optimi ſunt Abſceſſus, ſi maxime deorſum, & quam longiſſime a b aegrotante parte abſiſtant. Galen. *in opere de criſ.*

## CAP. XXVI.

### *Praeſagia Abſceſſuum male judicantium.*

ABſceſſus ad ſuppurationem, & circa laterum mollitudines, & inguina, diuturni, atque aegre curabiles ſunt. Hipp. *l.* 1. *de artic. ſect.* 3. *paulo poſt initia*.

In febre Abſceſſus, qui ad primas judicationes non ſolvunt, diuturnitatem oſtendunt morbi. Hipp. 4. *aph.* 51.

Quibus Abſceſſus circa aurem, ad judicationem fientes, non ſuppurantur ; his ſubmotis recidiva fit. Hipp. *lib. de judicat.*

Cum in morbo aliquo, judicationis tempore, tumores, priuſquam ſuppurentur evaneſcunt, expectari recidivam oportet. Hipp.

Quae relinquuntur poſt judicationem reverſiva ſunt : Hipp. *l.* 1. *epid. ſect.* 3.

Quaecumque ſine ſigno judicationis diſparent, male judicata ſunt; velut ancillae Polemarchi. 2. *epid. ſect.* 3.

## CAP. XXVII.

### *Praeſagia eventus mali.*

NUnc Abſceſſus malos exitus enarremus: quorum primi ſint, quos dat materiae modus: ſequentur autem materiae quantitatem ſalus, aut mors : nam pauca Abſceſſus quantitas ſemper mala apud Hipp. qui *primo epid.* inquit de Sileno ; papulae cum ſudore rubentes, rotundae, parvae, varis ſimiles, permanebant, nec Abſceſſum efficiebant, & *l. Coac. praenot. dixit ; quibus in febre continua puſtulae toto corpore excitantur, lethale, niſi ſuperveniat parulentus Abſceſſus*. Verum & pauca quantitas etiam mala eſt. Abſceſſus enim acervatim fluentes, & non ſemirepentes, ſi non pro ratione, & excretionis dignitate fiant, recurrunt ; velut Temeni nepti, ex morbo forti ad digitum decubuit, & mortua eſt, *l.* 2. *epid. ſect.* 1.

Sed & materia cruda ſemper mala eſt, de qua Gal. *in com.* 1. *epid.* haec prodidit;

didit; *omnium, quae tum inciderent, incommodorum caput erat, cruditas humorum*; quod si quandoque natura per vim ad aliquos eorum excutiendos aggressa esset, nihil proficiebat; immo vero ab iis superata, aut in profundum recurrere permisit, aut propter paucitatem excretionum Abscessum moliebatur : alias enim a nobis demonstratum est, nullam excretionem, aut Abscessum, fidelem esse, qui cum signis cruditatis apparet, etiamsi ad probam maturationem perveniant.

Deinde, & secundum formae conditiones erunt mali, & insalubres, omnes Abscessus, qui decumbunt diebus non criticis : nimirum non prae se ferunt motum naturae regulatim agitantis humorem ; sed hic vincens materiae multitudine, aut pravitate, intempestive praevenit anticipatque pugnam.

Abscessus maligni cum febre continua, exitiosi omnes. Sic Hipp. *l.* 3. *epid. com.* 3. scribit ignes malignos multis hominibus vitae finem intulisse, tuberculis, carbunculis, defluxibus, ad pudenda.

Pertinet ad formam etiam constantia, stabilitasque, non fluxa conditio. Nempe maligniora, quae cito disparent, ait Hipp. *l.* 2. *epid. sect.* exemplum autem *in* 7. *epid. textu* 9. Timonactis pueri ; cui duorum ventrum exanthemata in cruribus, & coxis, & lumbis, & hypogastrio, ac tumores valde rubicundi, quibus sublatis convulsiones, & epilepsia fiebant, sine febre multis diebus, & mortuus est.

Quibusdam in articulos, praesertim in coxendicem, decumbebant, paucis decretorie cessabant, statimque superati, ad priorem statum rediere. In Anaxenore splenico, & mali coloris homine, animadvertit Hippoc. *l.* 1. *epid.* tumorem coxendicum, quo evanescente mortuus est.

Tumores praeter rationem allevantes, pravum : velut Andronici filio erysipelas recurrit, & non ad eundem locum rediens, bonum quid significet : Hipp. *l.* 2. *epid. sect.*

In febribus glandularum tumores deteriores, qui in acutis ab initio vigorem remiserunt. Hipp. *l.* 2. *epid. sect.* 3.

Cum dixi malos evanescentes tumores, pejores eos intellige, qui postquam apparuerunt, subinde delituere : siquidem hoc ait Gal. *in primum prorrhet. naturam impense languidam indicat ; quae ceptam excretionem perficere non valet*. Sic Ephranoris filius, cui exanthemata exorta parum profecerunt, etenim absque ratione disparuerunt ; inde mortuus est : ait autem inibi Galenus talium signorum genus deterrimum esse : nempe, quae tubercula, vel pustulae, ex imo ad cutim enata, recurrerunt, gravissima omnium sunt, omniumque maxime, ubi Abscessus non ob humoris fluxus tenuitatem, aut partis laxitatem, aut aeris caliditatem, aut adhibiti medicamenti discutientis potestatem, sed ob virium maxime lapsum, intus recurrunt.

Morbi in alios mutati semper fere necant, siquidem corpus imbecille, morbus alius superveniens nactus illa imbecillitate tollit, priusquam superveniens finiat : ut palam est de ascite, qui heparis vel lienis affectum consequitur. Hieronymus Montuus *in comp. curatricis scientiae* : quamquam hoc viro prior Actuarius idem censuit, *in libro* 2. *meth. med.* quem locum alias notavi.

Abscessus mali sunt, si dolorem acerbum, acrisiam, vel diuturnitatem, secum afferant; Jo. Heurnius *lib.* 11. *instit. medic. c.* 5.

Cum multis signis conjuncti nulli Abscessus esse boni possunt : sunt enim judicatoria non judicantia. Prosper Alpinus *l.* 7. *de med. praesag. F.*

Non mediocris periculi sunt tumores admodum rubentes, atque omnium maxime liventes, & nigricantes : quem pravum colorem in exanthematis ne mulierculae quidem ignorant. Porro in Critione moribundo pustulas nigras advertit Hippoc.

hominibus, qui podagram alias experti sunt, articulos fomentis, & cucurbitulis, & omni qua licet ratione pertentant, prudentes & in hoc consulti, pro servanda corporis incolumitate, membris vilioribus non parcere, quin partem morbi deferre. Ita etiam sub pestilentia nos bubones, accretosque adenes in lue venerea, fovemus; quantae autem, aut quam certe, offensae foret Abscessus hos avertere, retrudereque? Similiter igitur, & Abscessus omnes, qui vel in febribus vel in affectibus aliis longis, serio naturae decreto sunt erupturi e visceribus, non est fas aliquo pacto repellere, revellere, interrumpere, interturbare, minuere, inanitionibus labefactare; monente Hipp. *l. 2. epid. sect. 3.* Abscessus horum facere oportet, eos vero, qui item fiunt, declinare: eos autem excipere si prodierint jam: & qualia oportet, & qua parte oportet: qui vero non valde, eos coadjuvare; eos vero avertere, si omnino incommodi fuerint, maxime si hi adfuturi sint: sin minus si jam veniunt.

His multis, & gravissimis, Hippocratis de Abscessu rite curando, praeceptionibus intelligendis, adeas oportet praeclaros suos enarratores, quales fuere Petrus Jacobus Stenc, & Franc. Vallesius. Summa est haec, natura morborum medicatrix est, nos administri duntaxat, & contra morbum, & suas adversas motiones, opitulatores: quare, quid cogitamus, quae prae se ferat, aut innuat natura, nos contra aliterque facere? certum sit errare nos haud posse, cum ipsam sequimur: nam quo natura vergit, eo ducere oportet. Utinam autem medendo, tam hanc assuescceremus observare, atque imitari vere, quam verbis profitemur: sed nos in argutiolis, & falsis deceptoriisque artis subtilitatibus occupati, nil magis vulgare vileve, facimus magis, quam Ducem nostram sequi, quo plus ex nobis sapere videamur, & ut aegros magnificentius occidamus.

Atque haec quidem dicta sunt maxime, si succus transferendus a natura, inclinet in regionem convenientem: secus enim non oportet impetum juvare, sed revellere, avocareque, ut idem Hipp. *6. epidem.* his verbis; *Revellere si quo non oportet, vergant; si autem quo oportet, aperire, ut singula vergant.* Quare si Abscessus fiat ad partes inferas, & adenosas, non est tentanda revulsio; neque enim abscessus pars est incommoda: si vero videtur succus in internam, & principem, partem irruere, revellendus, avocandusque est: de quibus quidem operibus rite recteque perficiendis, scriptum leges uberrime, a Vido Vidio *tom. 2. part. 1. l. 16. cap.* 10. & sequentibus aliis ad libri calcem.

His summis capitibus de Abscessu prophylactice jam traditis: addo nunc adversionem, & admoneo nostros, hic non exequi me curationem Abscessus jam suppurati, atque perfecti, quando pars haec ad therapiam communem pertinet apotematum, quae plene pertractata est a primo Gal. *l. 13. meth. med. cap. praesertim* 5. *& l. 9. ad Glauc. c. 6.* a Cornelio Celso *l. 7. cap.* 2. ab Aetio *Tertrabibl. 4. ser. 2. cap.* 32. & e junioribus optime a Vido Vidio, *tom. 2. part. 2. l. 12. c.* 3. item a Gabr. Fallopio, ab Hieron. Fabricio, & a quo non scriptore chirurgico? Nos theoriam Abscessus critici singularem instituimus, quod cum fecerimus in universum, satis huic rei jam feciisse videmur. Recte autem fortasse, si qui hoc exoptent, tradi de Parotide, cujus curationem ex opere nostro de Efficaci Chirurgia. laboris compendio, transtulimus, quae est haec.

## CAP. XXXII.

### *De Parotide maligna.*

UNiversis Parotidis tres esse exitus comperimus: aliis enim febre laborantibus suppurantur, & effuso pure sanescunt; aliis evanescunt, hoc est repente atque

que inſperato, diſparent; aliis neque evaneſcunt neque ſuppurantur, ſed perſiſtunt uſque dum homo interit, aut ipſis paulatim reſolutis liberatur. Ego quid in hujuſmodi aegrotis, quibus per febres malignas Parotides oriuntur, facere ſoleam, dicere hoc loco non gravabor quandoquidem cenſeo multos eſſe ſervatos, qui alioquin interiiſſent. Mox ac oriri incipiunt partem laxante oleo foveo, ut chamaemelino: atque ſi exire cunctentur; loco ipſi curcurbitam affigo, ne Abſceſſus ſit minor, quam ut poſſit conferre; ubi autem ſatis manifeſtus jam factus ſit, ſi brevi increſcat, plurimum mitto rurſum ſanguinem, ne ſit major quam poſſit ſuſtinere: mox vero durum adhuc tumorem, neque ulla ſuppuratione expectata, ignito ferro aperio, altera quidem in parte, ſi alteram ſolum obſederit tumor, in utraque vero ſi utramque, & cataplaſma ſuppurans appono. Plerumque res cedit bene: nam brevi computreſcente, poſt inuſtam eſcharam tumore, manare pus incipit, & per id orificium caput, & reliqua viſcera perpurgantur. Neque hoc cuipiam videri debet atrox; pars enim adenoſa per ſeſe quidem vilis eſt, quamque ob id licet urere, & ſecare, & utrumque contemnere. Haec Franciſcus Valleſius *comm. in l. 7. epidem. particula* 92. quae quidem omnia propterea quod efficaci noſtrae medicinae mire favent, non dubitavi integre recitare; quemadmodum neque illa, quae ſcripta *commentario 6. epidemiorum particula 16.* ſunt haec; *Quanti uſus fuerit Hippocrati uſtio ſaepe jam animadvertimus, ego quoque jam in Parotidibus, quae ex morbis aliis non levibus fiunt, cito, vel nulla expectata ſuppuratione, in ipſo tumore; nulla enim melius ratione providetur, ne tumor recurrat, ſed materia, per ipſum ulcus quod infligitur, expurgetur.* Eadem quae Valleſio ſententia fuit Ludovico Mercato *in l. 7. de febre peſtilenti, & maligna c. ult.* licet hic fortaſſe timidius agens candenti auro, vel levi aliquo ferramento, eas unico foramine aperit, ut veneni vis, aut immodica humorum copia facilius exſpiret: *quo ſane auxilio plurimos veluti deploratos ſanitati fuiſſe reſtitutos compertum eſt*, inquit. Huic ad unguem decreto adhaeſit & Thomas Groſſius Profeſſor Ferrarienſis primarius, *in comment. de febribus, ubi de Parotide peſtilenti.*

## *Peroratio.*

HActenus multa equidem ex Hippocratis, familiaeque ſuae Virorum optimorum, campo collegi, ſelegi, digeſſi. In qua re facienda conſilii mei ratio, praeſcriptumque, fuit, ut viam quandam ſecuti vides, ad ſingulare exemplum, id eſt, ad Illuſtriſſimae puellae morbum examinandum, praeſtruerem; non ut ampliſſimam materiam, quantumcumque capit illa, complecterer, aut curioſorum hominum arduam ſpeculandi cupiditatem explerem. Caeterum capitum ſumma neceſſariorum, modica rerum tractatio, lucidus ordo, aequabilis diſpoſitio, reſque omnis a nobis compoſita, aut mediocribus ingeniis noſtrae gentis placitura ſit non diffido: quando ſcilicet primi fuimus, quibus hunc vacuum in medicina locum implere, & particulam hanc ordinare, in mentem venerit.

Jam vero quod pleroſque multorum auctorum locos, & ſententias, operi interſeruimus, vide quaeſo lector; praeterquam quod ſumma ocii egeſtas, praeceptſque ſcriptionis feſtinatio, illud ut efficeretur coegit: ad haec & ſtabilioris doctrinae gratia, non intempeſtivum etiam bonorum uti teſtimoniis viſum eſt. Quibus certe ſingulis & enarratiunculas addere mens erat, memoratae cauſae offenſioni fuiſſent. Erit autem fortaſſe quando ſupplementa haec ex mea opera deſideres. Vale.

FINIS.

AL-

# ALCALA
# SUPERIORUM EPEXEGESIS
## EODEM SEVERINO AUCTORE
### PRAEFATIO.



Actenus haec de Abſceſſu per Decubitum, & Effluxum, univerſali, atque communi omnibus, ratione, per ſumma ſua capita, quaſi liberius evagati, repetivimus: his nunc (quae occaſio praecipua ſcribendi fuit) particularem ejuſdem rei diſquiſitionem, ac propemodum Exercitationem ſubnectemus. Quae ſcilicet erit enarratio, diſcuſſioque, Abſceſſus, quem, communi cum omnium animi aegritudine, perpeſſa eſt generoſa Domina JOANNA, Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Proregis noſtri, Ducis Alcalaeorum, Domini FERDINANDI RIBERAE filia natu minima.

Coordinatur autem haec tractatio cum ſuperiore ſic appoſite, ut quemadmodum haec diſputatio generalis, definita exercitatio quaedam eſt; ſic contra illa ſummam, & amplivagam, comprehenſionem cauſſae hujus, & argumenti, continet; uſque adeo, ut nos utrumque complexi, & abſolutae rei theoreſi, & ſingularibus pragmatiae partibus ſatisfeciſſe, & communem hominum uſum, cum privato conjunxiſſe, pretiumque operae feciſſe, videamur.

Domina JOANNA RIBERA decimum annum agens puella, ſpectatus Hiberiae floſculus; Charitum cura; Venerum lepos; Coeleſtium corollarium; Sextus columen; Ætatis ſpecimen: ſic annos longe ſuperat delectu morum, judicio, ſagacitate, ſermonis gratia, elegantiaque in compoſitione ſui, in regiis virtutibus memorabilis; filia parentibus digna; delitium horum unicum; nec ſatis pro dignitate viſa diligi, eſt haec aulae dominicae admiratio, neceſſariorum exultatio: ſolo in hoc minus felix, quod, ſicut in mortalibus rebus omnibus accidit, & compenſata ſunt aequa lance divinitus omnia, non arriſit huic Hygiea primordio, ſed culpatiore proceſſit valetudine corporis: ſeu quod, ut referunt, exanthemata infantiae ſolennia parum dextere provenerint; ſeu, quod minus commode, ut ſaepe fit, nutrix obtigerit. Poſt aliquas aetatis praedictae offenſiones, Hiſpali, urbe Hiſpaniae magnificentiſſima, decubuit preſſa hemitritaea continua, quae gravi, & longa, viſcerum obſtructione fota, tenuiſſimum corpuſculum ad incredibilem maciem, nec ſine tabis ſuſpicione perduxit. Interim, referunt longam ei fuiſſe perpurgationem urinae luridae, quam profuturam unice praedixerat Doctor Yvannes probatiſſimus Civitatis ejuſdem Medicus. Fuitque vere ſalutaris longo poſt tempore, quo vagi dolores erupere per articulos: qui tamen non difficile deſtitere, ex qua, poſt haec, urbe Valentiam primum translata meliuſcule cepit habere: mox Barcinone hoſpitata conſaneſcere viſa eſt, & multo plenius etiam Neapoli advecta. In quo loco recidivum videtur habuiſſe malum; non plane, ſicut credi par eſt, praedictis illis morbi radicibus evulſis, nec recuperata in integrum ſanitate. Initium autem aegrotandi fuit in dextero hypochondrio; quem affectum comitata eſt limoſa urina per dies ſeptem. Ceſſit dolor hic tum, ſed poſt menſes quatuor, ad hypochon-

drium

drium dextrum anterius, orto dolore gravi ad dexterum item latus, qua finis eſt exterioris thoracis, initiumque hypochondriorum, obortum eſt puellae Tuberculum preſſula forma; quod primum anodynis, mox diſcutientibus, tractatum, tandem in ſuppurationem viſum eſt abire : quam plenius per ſe declaratam ſuppurationem Doctor Jacobus Sublier, vir annis pariter, & medendi peritia, graviſſimus, acuto ſcalpro leniter aperuit. Qua plaga in dies rite curata, neque poſt longum tempus ſicceſcere viſa, medicamentis ſiccantibus eſt tractata, itemque cannulis, & ſpongiolis, ut exhauriretur continens emanatio : qua re non ſuccedente, praeter Doctorem Lopes Coronel Archiatron, Hippocratis doctrina exculti ſſimum, & D. ante dictum Sublier, Phyſicochirurgum, etiam Palatinum graviſſimum, interfuit, & optabili ſorte, D. Antonius Supin, Illuſtriſſimi Comitis a Monteregio, Regis ad Summum Pontificem Legati, nunc Proregis Excellentiſſ. Neapolit., Medicus, itemque Regius & Complutenſis Profeſſor egregius, quem morificam ob ſuam doctrinam audivimus omnes. Adfuit & Andreas Tamajus, Sereniſſimae Ungarum Reginae Chirurgus peritus. Ex univerſa vero Civitate, atque Academia Neapolitana, acciti celebriores Medici, qui ſunt ; Marius Zuccarus Comes Palatinus, in profitendo, & medendo, conſummatiſſimus, ejuſdemque Gymnaſii Profeſſor plane laudatiſſimus Antonius Sanctorellus, itemque Profeſſor Clariſſimus Balthaſar Cannizarius, atque alii ; qui, inito conſilio coram prudentiſſimo, ac per Illuſtri D. Joanne Antonio Hertera, Illuſtriſſimi atque excellentiſſimi, Alcalaei, Proregis, a ſecretis, quem quotidiani medicatus noſtri ſpectatorem accuratum, vigilemque omnium proviſorem, conſtituerat Excellentiſſimus Dominus, ſententiam ſinguli diximus; quorum parsc urationem febris expugnatricem, pars ulcus ſpectabat. Et ad ulcus quidem, Abſceſſum a me vocatum, curandum, conveniebat quidem inter nos omnes ampliandum ipſum, ut effluxus ſaniei daretur : ſed quoniam alii penetraſſe jam ulcus ad interiorem vacuitatem affirmabant; alii negabant ; pars hominum ſcalpro viam aperiendam ; pars peniculis dilatatoriis ex ſpongia, radicibus, medullis, corticibus, atque ſtirpium partibus autumabant : nec defuit ex his, qui balſamelaeo conſideret obtinendam brevi curationem aperti lateris. Quae ſententia, ut rerum arbitris fuit plauſibilis, retenta eſt, & quam plurimis diebus ſervata, ſed ſine fructu. Itaque ad ulceris caeci ſectionem devenire oportuit, qua confecta ſecundum cutem duntaxat, commodius fuit medicamenta indere, decoctaque ad proluendum infundere: qua medendi ratione diu ſervata nihilque proficiente, (quod ego conſtanter & ſaepe requiſieram) neceſſum fuit dilatato ulceri ſpongia, fiſtulam amplam e plumbo imponi, non intermiſſis inunctionibus; quae curandi ratio ſupra tentationes omnes alias utiliſſima fuit ; nam & exire ſanies liberius, & febriculam plurima parte cedere, & puellam habere tutius; quae ſervata eſt, & diu, medicatio. Huc illud non omittendum eſt, interdum, compreſſo abdomine, manationem aliquam nunc male olentis ſaniei ; nunc non male olentis prodire ; nunc manare per ſe ipſam ſaniem, nunc per lotia, puris in modum, excerni. Fuit autem & quando pleriſque ſuper hac re confidentibus, & glutinatum meditantibus, ulcus inexpectato erupit, & manatum conſuetum alias redintegravit; dum inter haec urina ſine pure, ſed non ſine ſucco mejeretur. Fuitque certe mirum, ut nunc quidem varie, nunc alternis quaſi vicibus, per lotia, perque ulcus pus exiret : quae cauſa fuit, ut per jocum dixerit aliquando Sublierius, manationem iſtam a daemone agitari : vere autem crediderunt omnes noſtri in una quadam communi via communicare utraſque excretiones. Ad hunc modum tres jam, & amplius, menſes, re perducta, ſtatus quidem corporis non deterior, aut commodior etiam: ſed nihilominus, neque manationes malae ceſſaſſe, neque febricula viſa eſt; quam

fe-

febriculam hi quidem ad auram ſaniei morbificam ; hi ad latentem aliquem ſocum putredinis diverſum ; alii ad aliud retulere : de qua re ſuum poſterius erit judicium.

Reſtat enarratio remediorum , quae varia multipliciaque fuere . Primum enim ex ritu ſuo cathartico praeſenti ſalubrium, inſalubrium , & neutrorum conditioni commenſo , repurgatum tenue corpuſculum , uſu *decocti radicis Chinae , tum in aqua , tum in jure pulli , Electuario ex diarrhod. ac ptiſanae ſucco* . Haec per priora tempora ; deinde vero poſtquam urinae purulentae extiterunt , tum ad harum quidem, tum ad ulceris expurgationem, accommodatiſſimus a Doctore Sanctorello, excogitatus eſt uſus *Trebinthinae Cypriae , Venetaeve : quae lota multoties aqua Fabarum vel Hordei , in juſculo diſſoluta* , abſorberetur , quod oblatum ſaepe medicamentum non parum expurgationi purulentorum conſuluit ; poſt repetitas etiam atque etiam multas doſes amaritudine ſua faſtidio fuit puellae .

Quoniam autem unicuique Phyſiatrorum noſtrorum , ad recuperandam ſarcoſen corporis univerſi , macie labefactam , in mentem venerat uſus lactis : huic tamen refragari viſa eſt nimium in dies fere ſoluta alvus ; praeterquam quod rigentiſſimae tempeſtatis adhuc conſtitutio fuit. Nullus autem non motus lapis, nulla non res excogitata, atque proviſa, quatenus Illuſtriſſima puella proficeret in ſecundam, & optatam ab omnibus, valetudinem. Sed nihilominus, praeter unasa aliquo pacto collectas vires, vigoremque membris adauctum, conſtans tum febricul , tum idem ulceris & lotiorum purulentiae modus, ad haec uſque tempora ; nihilque inſuper tentari placitum eſt,

*Donec ver placidum tepidis inſurgeret auris,*
*Quaeis commota ſuum reparat natura vigorem.*

## *Adumbratio Craſis, & Habitus corporis, Illuſtriſſimae Heroinae.*

HIc quidem ortus , hic progreſſus , haec univerſa conditio morbi fuit . Quibus jam relatis, id, quod primum ad cauſam hanc expendendam , & judicandam, ſe offert, eſt conſtitutio naturalis , craſis, & habitus coporis , puellae: inde enim & nativi roboris & ex hoc facti receſſus momenta cognoſcere licebit . Tranſigam autem hanc partem cum Gal. *l. artis medicae*, qua de ſignis corporis, ad hunc modum œconomiam tum univerſi corporis, tum partium quarundam principum, deſignans.

Corpus igitur Illuſtriſſimae puellae inter bonam malamque valetudinem neutrum videtur viciſſitudinis, ac, ſicut Galen. loquitur , tertii ſignificati , utpote aliquando ſalubre, aliquando inſalubre per vices exſtitit, uſque ad hanc diem, qua decimum agit annum. Referunt enim varia valetudine fuiſſe , nec unquam ſatis firma ſanitate, donec Hiſpali caepit gravius aegrotare.

Nunc partes principes , & officio praeſtantes , ſunt expendendae . Caput pro corporis ratione majore, & inſigni projectura anteriore ; poſteriore vero quantum capilli videre permiſerunt, modica; fronte bene ampla , cervicibus exilibus .

Ex his conjectari licet multam , nec optimam , exordio materiam , a facultate inſidente non bene formatam fuiſſe, neque etiam optimam parencephali conſtitutionem a facultate, & ab eo oxortorum ſpinalis medullae, & nervorum ejuſdem motorum , itemque principium imbecillum . Quod autem ad cerebri temperaturam , hanc puto paulo calidiorem , & multo humidiorem ; quod offenſio prompta a calefacientibus, & humectantibus, ut ab auſtro , declarat, excrementorum interdum ad glandulas colli provenientium copia , vigiliarum longarum impotentia , ſomnus gravis, interruptuſque vigiliis.

Sub-

Sub haec vero cor temperatum, aut aliquanto calidius ratione qualitatum aliarum : quando placida circa functiones, & vivida sit. Sed hepar justo calidius, sicciusque crediderim, quando gracilior habitus, totumque corpus sicciusculum est. Ut autem indiscussus ventriculus non relinquatur : hic aliquando frigidior est : quandoquidem appetentia vehementior, quam coctio, siquidem a cibo moderatiore, aut competenti, non satura ; dejectiones molles, & aliquanto chylosas admodum expellere consuevit, alio semper ad mollitudinem respondente gaudet cibo, potuque frigido, sed horum usu immodico, & externis frigidis, prompte laeditur.

## *De Sede affectus, atque ejusdem Noxa, Opinio prima,*

JAm vero, quod primum occurrit inquirendum communius, in hac tractatione, est sedes affectus : cujus quidem tametsi locus, situsque, in conspectu positus ambigi non deberet, nihilominus, quia locus is in confinio est spiritalis, nutritoriaeque, officinae, atque etiam quia spectans ad exteriora ulcus ductum non rectum, sed obliquum, habet, qualem, & de vulneris Ducis Terranovae sede, inter Siculos doctos Medicos fuisse, litteris prodidit Phil. Ingrassias : omnibus modis variae super hanc rem extitere sententiae. Nonnulli ; & plures non incidisse in cavitatem utramlibet ulcus sed inter cutem, & musculum abdominis transversum, aut obliquos sive adscendentem, sive descendentem, latitare consistereque, sibi persuasere : favetque his (dixi equidem) historia expositа per Galenum, *de loco affect. c. 7.* referens de abscessu Stesiani, cujus affectum opinati fuerant Medici Galeno suppares internam hepatis inflammationem : ipse vero luculenter his demonstravit abscessum inter musculos infimi ventris existere. Quod autem in cavitatem nullam penetrans esset, addebant nostri Medici probationes, quod nulla quantum ad thoracem, tussis, nulla molestia ; quod vero ad ventrem infimum, nulla aut alienae rei gravitas, aut circa inguen abscessus, qui accidentem ad has partes humorem subsequi solet.

## *Altera Opinio.*

ALii deinde pertusum ulcere abdomen sibi persuadere ; quod, compressa sub costis nothis ventris mollitudine, continuo resultaret ulcere sanies, & ea plerumque graviter halans. Ad haec, quod nullus externe tumor appareret, nullaque in superficie nota : prodit enim se visibilibus, tactilibusque, indiciis quaecunque, praeter naturam est, subdita constitutio ; compertumque saepe est mihi pustulas miliares, aut alias asperitates, pruriginem, alienum colorem, & fermenti subterioris denique notas, movere.

## *Tertia Opinio.*

SUnt ad hos alii Viri certe gravissimi, qui in thoracis angulos iviſſe vitium contendant. Suadentes autem sic primo, sunt causae defluxionesque faciles de capite in ventrem medium ; unde conflari suppuratio potuit, quae, in thoracis angulo collecta, latus proximum fistulaverit. Deinde, quod haec suppuratio partito solita sit excerni per urinas ; quod evenire facile posse, docuit Gal. *l. 6. de loc. affect. c.* 4. Petrus Andreas Matthiolus *l.* 1. *epist*, Amatus Lusit. *in centuriis* : Andr. Laurent. *in histor. anatom. lib. 9. quaest.* 12. Gabriel Fallopius, *in obs. anatom. partic. de venis ;* Hieron. Fabricius, *in utroque opere chirurgico*, atque alii Me-

dici, Anatomicique, praeclari, quorum enarrationem, ut referam nunc non esse necesse. Tertio, anatomica regula docet, septum transversum descendens excurrere ad secundam lumborum vertebram, & ad costarum notharum extrema, hoc autem ulcus in ultima costa patens, ad duas alias superiores adscendit; ut cognoscas sc. sedem affectam a locis spiritus esse. Praeterea contestatur id & febricula, quam extare perpetuam confitentur omnes, hanc enim quae aptius utique causa fovere possit, quam assidens vicinis cordis laribus sanies? maciem quoque corporis, quae clarius alat vitii vim, quam, quae in spiritali subest conceptaculo pectoris?

Haec sic confirmata opinio non sic mihi difficilis, videtur, ut multis: verum maxime consentanea nostris atque probabilis, praesertim in qua reddi problematum, & apparentium rationes possint magis, quam in ante citatis; ad quam ego si potior alia non occurrat, non illibenter accedam.

Neque vero nos moveat quod nulla vexet puellam tussis. Saepe enim fit, ut cum asperam arteriam, & pulmones longe praetervadat sanies, & aut per arterias laeves transcurrat, aut in fundo thoracis sit, in angulis videlicet septi transversi: sic non infestet tussi suppuratio. Porro sicuti Antipater, referente Galeno, *l.* 4. *de loc. affect. c. ult.* pulsus actiones depravatas habens, dyspnoea non augebatur propterea, quod per laeves arterias transcurrebat noxia materia, non per asperas: ad eum modum non sentiit tussim puella, quod asperas arterias minime tentavit hic humor. Sed & nos multos curavimus e vulnere suppuratos, qui nullam unquam tussim experti sunt. Imo & suppurati alio quocunque defluxu ad pectus, vivunt hodie, qui fateri vero possunt se nullam ex hoc affectu tussim cognovisse: inter caeteros mihi subit in mentem Tabellio nobilis Neapoli, in foro Charitatis, cui nomen Octavio, quam rem novit & Doctor Petrus Antonius Provensanus, Medicus, qui me ad hominem curandum deduxit, Anno 1620. quo item collegam Josephum Laudatum, ex vulnere empyematicum, curavi, quem nil tussis unquam incessit.

Jam vero quod, compresso vehementer abdomine per manum, propterea resultet ex ulcere sanies: haud certi sint assertores, ex abdomine intro propelli contendam: nimirum hoc signum decipit: namque si abdomen sedes esset, utique delapsa, suo nutu, sanies gravis, ad inferiora, neutiquam ad superiora, recurreret. Verum compressio facta super hepar, & attiguas partes, comprimit, & diaphragma secundum angulos, unde cogitur eructare, quod continet, in proximum emissarium. Atque ita patet non abdomen, & peritoneum, sed thoracem & pleuram corrosam esse, ut sanies hinc evomatur.

### *Quarta Opinio.*

FUit etiam qui diceret, ulcus hoc in regione renum excitatum, ad ipsos tendere; quod ostendunt & praecedens dolor, & situs, & urinarum purulentarum, epiphenomenon: opinio sane, quae vel ipsius Hipp. *oraculo*, *l.* 4. 75. suadetur, quod est, *si quis sanguinem aut pus mejat, renum aut vesicae exulceratio significatur.*

### *Coordinatio modo narratarum Opinionum.*

JAm vero nobis summam colligentibus omnium opinionum, hae omnes numero quatuor se offerunt, una quidem, quod intercapedine musculorum abdominis de-

descendentium, adscendentium, transversorumque facta fuerit humoris collectio, suppuratioque. Altera, quod per abdomen quidem sit malum, sed pertuso hujus pariete sit intra cavitatem saniei collectio. Tertia est volentium ulcus esse ad regionem renum quidem exterius, ipsi vero renes exulcerati sint interius. Quarta est dicentium, ex inflammatione pleuritica, infimo thoracis loco factam suppurationem, quae postea per vias a Galeno, & Anatomicis, Medicisque aliis, expositas derivata sit per urinam.

Haec placita omnia quoniam Medicorum arte, & scientia, probatorum sunt probabile quidem est multo cum judicio prolata, atque sancita. Verum quas conjecturis nostras, de sedibus affectis, opiniones Medici prodimus, hae nisi ad amussim normam constent, haud admittendae. Enimvero amarem equidem, ut has dissentiones vel magnus aliquis Asclepiades componeret, & nisi quidem hoc fieri posset, rem omnem pro veritatis vindiciis judicaret. Quod quia nemo facit, equidem exercitandi mei, non aliorum sensuum gratia, calamum arripui, dicturus candide id, quod sentiam. Quare candide etiam meum hoc qualecunque judicium accipiant (rogo) collegae, quod doctores quidem meos, & praemonstratores habeo, atque appello; tantum abest, ut prae ipsorum intelligentia quicquam mihi arrogem. Quod si quaepiam in re praeclaris viris contradicere videar, amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas; huic uni sicut studia mea omnia nuncupavi, sic & scripta, & enunciata omnia.

Sunt hae omnes opiniones duplicis ordinis: duae priores, sedem nullam, quae affecta sit, enunciant; sed suam edifferunt alterae. Priorum vero altera sinum in habitu carnium exteriore docet, interiore vero altera, de quarum omnium judicio posterius equidem dicam, si prius meam sententiam aperiam.

## *Morbi causa, Generationis modus, & Sedes affecta.*

TEmpus est nunc, ut propius ad exponendam opinionem, quae placet, accedamus, rem plane arduam, & laboriosam, in tanta sc. praeclarissimorum Virorum dissensione, in re tam obscura, & comprehensu difficili; in tam multiplici rerum implexu, in negotio naturae tam secreto, quantum cognoscunt & admirantur omnes: unde confessa est toto Medicorum nostrorum collegio res usque quaque gravis, ac nisi quidem insolens, omnino rara, & qua vix alia major ni hoc genere produci queat. Puellam accurrate altam, vividam, omni rerum occursu laetam, atque etiam laetificam (quod commode rationem humorum, & suavitatem ostendunt) tam varie multis ab hinc annis saevo malorum incursu petitam; febriculis, doloribus, abscessibus, saedis istis lotiorum excretionibus, tentatam; & in his quidem duobus postremo memoratis admiratio nullum finem invenit; quando satis esse poterat excretio primum Hispali facta; sed mox etiam ad nostras oras exiliit, erupitque abscessus: quo neque etiam satisfaciente, lotia jam tres menses extiterunt coinquinata, atque adhuc ulcus, febricula, macies non refert pedem: cum tamen, quod ad functiones omnes attinet, incolumis puella adspectu primo, atque immunis a morbo videatur: & ulcus quidem modo siccum, modo madens; & interdum cum aret ipsum, urina tetrior, & cum urina purior, illud suum virus eructat; ita ut vices servent aequas: nunc vero perinde, ut ordinis oblitus uterque sinus, confusis suis momentis manat usque adeo, ut observantes curantesque Medicos in magna opinionum perplexitate, ambiguitate, haesitatione, titubatione contineant. Sed nihilominus difficultas haud inquirendi taedium nobis adferet, neque auferet propterea, sed potius inter haec augebit, philosophandi cupidi-

piditatem. Nam quid veritatis fine dulcius ? quid praeſtantius , quam in theorematibus apprime nobilibus verſari cogitatus, ac ſenſus noſtros? At hoc argumento quale aliud hoc tempore charius , exquiſitius , illuſtrius : in quo rei gravitas & perſonae amplitudo pariter certant.

Verum ne quae mea videatur audacia , quod doctiſſimos inter Medicos , chariſſimoſque in Academia noſtra , Profeſſores , quales ſunt Zuccari , Sanctorelli , Cannizarii ; Ex aulicis vero Supini , Coronelli , Sublierii , quaſi anſer equidem inter olores obſtrepere non dubitaverim : dicam equidem unde & nil arrogaſſe mihi ſupra magiſtros , & ſtudio ductus haec intuliſſe appearam . Abundant hi quippe gloria Lycei, literis & diſciplinis undique ſunt clari , quid igitur hoc ſcribendi aculeo ſollicitentur hi , quorum ſplendor tam multus eſt ? Deinde quid valeant incidentia pleraque commentari , tot medendi profitendique laboribus quotidie diſtenti atque diſtracti. Soli igitur mihi , qui ſim obſcurior & ocoiſior , haec ſparta ſervata reſtitit; ego, qui junior, rectiſſime laborem hunc inſumere , & gloriolam venari debui; ſi qua tamen laus ex his attendenda ſit, ac non erga Principem officium tantummodo ſit ſpectandum . Hoc ſane potiſſimum noſtrum ſtudium , haec praecipua cura fuit: praeterquam quod omnibus modis Excellentiſſimae Heroinae caſus, atque diſcrimina, Medicorumque Illuſtrium , in hanc rem praeclare geſta, manere utique in ſilentio non debuere , quin longae , quam maxime fieri poſſit , memoriae commendari . Jam igitur nos ad penſum , & ad exponendam noſtram opinionem revertamur.

Generoſi Medici eſt ( ait alicubi Galenus ) praeteritorum reminiſci , praeſentia perpendere, futura praevidere. Exſequimur id nos in praeſenti quoad nobis licet. Morbus Illuſtriſſimae puellae perquam polychronius eſt. Principio enim conceptus in patrio Hiſpalenſi ſolo, jam ſecundus eſt annus: deinde reſedit Barcinonae: tertio exſuſcitatus eſt in urbe Neapoli jam quartus eſt menſis; jamque ſecundus eſt, a quo tempore productus eſt altero latere Abſceſſus, ſeu natura, ſeu morbo excitante : ſed mea quidem opinione magis auctor fuit morbus, quam natura : ſiquidem haud vera criſis haec fuit, ſed morbi proprius orgaſmus prae materiae copia, ut ſuo jam loco fuit oſtenſum,

Morbos hos annuos duplici cauſa ſemper fieri didicimus, tum ab auctore Hippocrate, tum obſervatione noſtra : vel quod foventur, conſervanturque affluxione; vel quod materiam nacti fuerint frigidam craſſamque, qualis pituita eſt. Utraque Illuſtriſſimae puellae morbi cauſa fuit ( niſi mea me conjectura fallit ). Fluxionis fomenta ſuadentur primum cerebri dyſcraſia, quam monſtrarunt capitis, κατομόρφη, & magnitudo impar ; quamquam & magnitudo per ſe incommodare poteſt ad irriganda ſuperfluis inferiora.

Porro cerebrum magnam glandulam dixit Hippocrates, glandulam quidem, quia naturam eam, id eſt, humidam, & pituitoſam, qualis eſt glandulis, recepit cerebrum.

Igitur quo major ejuſdem ubertas , eo capiti laxior excrementorum proventus . Argumento autem eſt , quod adenum ſub cervicibus nonnullum turgorem experta haec Domina fuit.

Sed intemperatura quidem calida incommoda eſt , propterea , quod attrahat in ſeſe materiam prae calore, ut *l.* 1. *de morb. ſect.* 1. *verſ.* 269. prodidit Hippocrates. Cum quo extrinſecus attracto humore , quae conjuncta proxime eſt humiditas , proventum exſuperantem colluviei faciunt ; quam ipſam non continens neque dirigens caput prae imbecillitate , plurimum deorſum ſuperfluitatis dimittere potuit. Hanc autem, cum non dimiſiſſent ad ordinatas vias , & naturalia emiſſaria,

qua-

quales oculi sunt, aures, nares, palatum, atque os, caeterum depoſuerunt ad loca pectoris, & ventris inferioris media, ſicut dixi; nec non ad hujus venas, quae, turgentes ejus humoris copia, revomuerunt eundem in proximos muſculos.

Fuit autem locus is, qui thoracem infimum attingit; fortaſſe, quod ad iſtum longiſſimum ejus regionis locum natura cavit ablegari materiam, quam alioquin per infima, & ad artuum loca, non valuit propellere: atque ibi locorum creatum eſt tuberculum, quod externa parte ſe prodens, poſt aliquod tempus ſuppurationem edidit.

Aliud etiam indicium fuit, quod & principio, & Hiſpali dolor ad manus, digitos, iſchia, crura, vagos dolores velut arthritidos perſentiit: Neapoli vero digitos manuum, maxime pollices, interdum etiam genua dolere, atque extumeſcere conqueſta eſt: quae fieri quidem non poſſunt abſque culpa, & rheumate capitis, quod Metropolim pituitae vocavit Hippoc. *l. de carnib. & l. 4. de morb.* Hactenus fluxionis incurſus ſatis apparuere.

Nunc de pituitoſo apparatu dicam. Hujus effector potiſſimus eſt ventriculus, primus pituitae fons appellatus a Gal. *l. 2. de nat. facult.* quamquam aliter ſcriptum eſt ab auctore *l. de atrabile*. Sed haec pars, & haec officina Illuſtriſſimae puellae frigida, & humida, ut ſuo loco monſtravi: a quo promptuario pars plurime derivavit in aliquot cavitatulas ventris, & in eam praecipue, quam mox explicabo. Ad quam etiam cavitatem neque non ire colligique potuit eadem pituitae copia; ſiquidem haec in meſaraei venis, & hepatis cavo, propria ſua officina conficitur: quae Joannis Coſtaei, *l. 4. diſquiſit. phyſiol.* fuit opinio. Sed ſatis eſt commune placitum, & Galenicum praecipue, ſequi.

Ab his autem ad oſtenſionem animo conceptam pergo, quam ſic inſtituo proponere, ut neceſſario ſit aſſenſurus unuſquiſque vi ſcilicet inductionis exactae, quam admoliturus ſum annuente numine. Primum autem oſtendo, quod non in habitu carnium, & muſculorum externo, ſit Abſceſſus, & ſaniei ſinus.

Primo propterea, quod compreſſis, longius ab ulceris oſculo, partibus, ſolitum eſt pus exprimi; circum ulcus vero non item. At neceſſe quidem eſſet, has partes unquam doluiſſe, praeſertim ad contrectatum: atqui non doluerunt unquam, vel leviter quidem. Praeterea muſculorum haec cavitas quaecunque ſit, quae modica eſt, medicamentis apprime reſiccantibus, & diſcutientibus perpetuo fota, ſuis adhuc manentibus manationibus fuiſſet exhauſta.

Sed neque periculum aliquod vitae afferret muſculorum abdominis ſuppuratio. Enimvero Galenus ait; tumores hypochondriorum duri, ac dolorifici, mortem haudquaquam brevi futuram denunciabant, niſi partium quoque interiorum aliqua ſimul affecta fuerit. Interiores vero eſſe novimus, ventriculum, jecur, lienem. Muſculi namque hypochondriorum phlegmone obſeſſi tollere hominem e vita non poſſunt; niſi, quod raro accidit, vel magnitudo phlegmones eximia fuerit, vel imbecillae admodum vires, vel perperam aeger curetur a Medicis, vel ipſemet in commoda ſua peccarit.

Hac demonſtratione peracta, quod non in muſculis vitium conſiſtat, ſecundo ſum oſtenſurus, quod pertuſa ſit capſa, membranaque coſtarum interne extrorſum; hoc evidendi ſigno, quod niſi hoc eſſet, non conſtaret reciprocatio puris ad ulcus, dum urina ſanie non perfunditur; & vice verſa, dum lotium ſanie ſuffunditur, non eſſet ad ulcus impuritas, ut centies obſervatum eſt: praeterea id oſtenditur per aſſidua, perque ſymptomata graviſſima, quae externae ſuppurationi ſunt imparia, id eſt, longe majora. Tertio quod tuſſi ſtudioſe facta, modo ad extremas

ulce-

ulceris oras pus viſum eſt ſaepe ſua ſponte recurriſſe: quod alia cauſa non evenit, niſi, quod pertuſus eſt utrinque locus. Quarto demonſtro, quod non in cavitate magna abdominis exſtet. Nimirum ſi cavitas naturalis ſaniem contineret utcunque profectam (arguam equidem cum Marino apud Galenum *in com.* 54. *l. aph.* 7.) qui fiat, ut non ad pubis oſſa deſcendat? Atque etiam addam & qui fiat, ut ad ſuperiora licet compreſta contendat, ut exeat potius, quam perſtet intro? Adhaec ut fiat, ut non Abſceſſum inguine moveat? ut non dolorem, ut non pondus excitet? ut inteſtina non abradat quatuor jam menſibus affuſum? & poſtremo qua cauſa, rogo, ut nunc per urinam, nunc per ulcus exeat ſanies?

Sed quod non renis interni ſit affectio, neque ulcus, neque per naturalia viſcera factus Abſceſſus interaneus, probandum eſt; & quidem non in hepate, nam exitioſum id fuiſſet: reliquum eſt, quod haec renis regio ſit, quae primo doluerit, & nunc fiſtulata ſit; & quod purulenta plurimum urina corrivetur. Quibus addi licet, quod pus naturae quadam expellentis libidine, aut materiae raptu temerario nunc quidem per ulcus, nunc per urinam, feratur. Haec quidem facile probabilia cuiquam adſpectu primo, ſed non mihi videntur. Neque enim haec ita ſe habent, ut dictum eſt; atque nos inſuper aliis nominibus falſam hanc rei ſpeciem demonſtrabimus.

Primum quidem ſuperior haec reni dextro ſedes eſt ulceris; quod ex anatomica norma monſtrari licet. Sed neque diſſilientis nunc quidem per ulcus, nunc per urinam, puris conjectatio quicquam facit: atque alia eſt hujus rei cauſa, quemadmodum paulo poſterius enarrabo. Illud ſi verum eſſet, utique neceſſum eſſet, ut pertuſum externe introrſum, & contra, uſque ad cavum renis corpus eſſet: ad quod vitium, & ſolutionem continui, peragendum, & magna inflammatio, & acerbiſſimi dolores, ac febres, ac neceſſario cum virus confuſus cruor, apparuiſſent; quae utique non exſtitere. Quod ſi, dum primum procreatum eſt, vitium doluit ren, & nunc, quando ulceratus eſt, etiam pariter doleret: & eo amplius, quod creſcentes in dies ſordes, & putrilago, ulcere interno non repurgato, majoris eſſent doloris cauſae.

Poſtremo quae vis, aut quae cauſa, vitium atque ulcus hoc excitaſſet, proferri non poteſt, praeterquam inflammatio renis, cujus unquam nullae fuerunt notae.

Sed equidem libenter reſciverim, an a rene quidem externo carnium habitui, an ab hoc reni vitium & corroſio communicata ſit: nam utrumque difficile, cum haec ſe loca non contingant invicem, qua eadem loci vacui intercapedine neque fieri poteſt, ut a rene ad externam fiſtulam pus, aut ſanies, tranſmeet, ſed evomita de rene eluvies ſuopte nutu non in alium, quam in inferum locum, demitteretur perpetuo: quare futilis eſt argumentatio ſuper viciſſitudine manantis nunc materiae per ulcus, nunc per veſicam, in hac opinione; neque enim inter fiſtulatum latus, & renem, pons eſt, per quem ultro citroque manatio illa feratur.

His additur evincens a natura, officioque partis, argumentum, quod non item urina a cavo renis in ipſum illapſa per fiſtulatum renem exiens, in fiſtulatum item latus exiliret: nam par utique, quae de ſanie afferitur, eſſet ratio.

Alterum etiam evincens eſt argumentum, quod ulcere renis conſtante, nunquam non purulenta deſcenderet urina, atque quod ſaepiſſime viſum eſt, nunc mundam & puram, nunc purulentam obſervavimus cuncti, qui curando adſtitimus: ergo jam aliquando renem neque ulcere affectum, neque fiſtulatum eſſe. Ad ſummam is caſus ipſe eſt, quem deſcripſit Actuarius *in l.* 1. *meth. medend. c.* 11. per haec; *Nam quod Abſceſſus alibi collectus per urinam expurgetur accidit quidem rarius:*

*at-*

*atque hi in renibus, & vesica dolorem nullum sentiunt, nisi si aliena quaedam materia eo transfluxerit, neque hoc semper; adhaec, quae antea partem aliquam dolore infestabat, ea pars non amplius dolet; quod qui eam creabat humor, jam sit absumptus.* Haec ille, quae ferme in casu nostro comprobantur omnia; nam nullus unquam decumbentis dolor, & qui primum circa artus, atque articulos, vagabatur, expurgatione purulenta discussus est.

Quod non in thorace pus contentum, jam sum ostensurus: quod non intra testudinem pectoris, & cavitate spiritali sit vomica, pluribus argumentis probatur: quod minora sunt atque fuerunt symptomata, quam, ut vitio magno pectoris haec consentiant, respondeantque. Deinde inflammationem in interno thorace, tum ante tempus suppurationis, tum postea, nulla signa demonstrarunt: contra autem est Hippocr. qui *progn.* ait, *ad superas quidem partes futurum Abscessum, quibus hypochondrium molle ac doloris expers; & contra si doleat, hoc Abscessum experturum.* Atqui molle fuit abdomen, sed hoc suprema parte doluit, non ergo pectus, sed epigastrium potius vim mali sustinuit.

His sic constantibus apparet jam, quod supra peritonaei cavitatem, infra septi ac thoracis conceptacula sit sedes Abscessus; atque adeo, quod reliquum est, in medio duorum istorum finium spatio, si tantum aliqua vacuitas sit, ac loci commoditas, ad id rei accommodata; sed si haec exstat, ex una demonstratione anatomes exploremus.

Docuit Galenus *l. 7. de usu part. cap.* 21. diaphragma duabus tunicis constare, superiore quidem pleura, inferiore peritonaeo, tectum: quam nos duarum compositionem, cum non obscuro nec parvo sinu circa medium utriusque membranae occursum, ostendimus, nuper exacto Februario secantes cadaver publicae scholae, praesentibus D. Balthasaro Cannizario Archigymnasii Professore, & Joanne Dominico Magliocco, & Donato Antonio Stella, & Hieronymo Fortunato, Doctoribus & Professoribus rei medicae selectissimis, atque anatomicae scientissimis; qui novitatis, ut fit, rumore cum suis singulorum discipulis visum rem venerant. Illud autem intelligendum est, quod oesophagus huic septo adnexus, & utrasque tunicas attingens, per venulas, quibus carnosa pars exterior hujus habet, potuit, ad intercapedinem membranarum, aliquam pituitae copiam eructare. Neque difficile id quidem est mihi, quando & in omento videmus saepe tuberculum, vesiculasque concretas; quanto igitur facilius in carnosiore memorata particula? Hoc igitur loco, qui cavus est, qui naturali coquendi officinae proximus, quique venis confertus, facile fieri potuit, ut collecta pituita cruda sanguinis inchoamentum computruerit. Sed audi nunc placita nostri confirmationes: quot enim & quales, tum ex Hippocrate tum ex Galeno? Hic *lib. 6. de locis affectis cap.* 4. scriptum reliquit, *Abscessus septi transversi per urinas expurgari copiosa puris effusione*, quae res & in nostra causa visae sunt omnes. Facit etiam in hanc rem non leviter, quod scriptum est ab Hipp. *lib. prognost. n.* 11. *Abscessum scilicet ad septum transversum expectari debere, quibus urinae tenues, & crudae, mejuntur diuturnae, si alia signa tanquam evasuris adfuerint.* Quasi cruditas, inquam, diaphragmate collecta ad proxima ista loca decumbere debeat. Res, quae mea quidem opinione Generosae puellae ad unguem advenit; fuerunt autem & principio urinae tenues, & crudae, ut audio.

Verum quamdiu differo singulare, & indubitabile, Hippocratis suffragium? Hic enim *in lib. 7. aph.* 54. pronunciavit; *Quibus inter ventriculum, & septum transversum, pituita reposita est, & dolorem adfert, non habens exitum, neque ad alterum ventrem; in iis per venas ad vesicam, pituita versa, solvitur morbus.* Expenda-

datur quippe hic aphoriſmus, & cum noſtra cauſa conferantur ejuſdem particulae: non erit difficile ſingula, quae morbus hic offert, ad verum Hippocratis ſenſum accommodare. Huic autem aphoriſmo proximum eſt enunciatum, quod ab Joanne Actuario propoſitum, *in primo methodi med. c.* 11. nos paulo ſuperius recitavimus. Sic & opificii naturalis evidenti conſpectione, & optimorum medicinae Dictatorum teſtimonio, jam apparet, hunc locum affectui procreando fuiſſe ſatis opportunum.

Praeter has autem oſtenſiones neque ſunt argumenta alia, quae repugnent, & multa ſunt etiam, quae maxime perſuadeant. Non ſunt inquam, quae repugnent, i. e. non ſitus, non ulcus, non aſſidentia, non affectus circumſtans aliquis, nec ſymptomatum, nec cauſarum apparentia aliqua: nam ſi ſint, haec rogo proferantur.

Sed pleraque, quae dixi, atque alia, non item nulla ſunt, quae maximopere confirment. Primo quod hac ratione facile ſolvitur problema ſedimenti craſſioris per lotia apparentis, ſed una illa ſingularis teſtificatio videtur, quod Illuſtriſſima puella ſolita eſt impuram per lotia excretionem alias pati, cum Hiſpali decumbebat. Expertus & eandem eſt Illuſtriſſimus Marchio Tarifae germanus ejuſdem frater. Id quod attuli, non quod dicam morboſam eandem his fuiſſe affectionem; ſed, ut inde comprobem familiarem hiſce principibus pueris ex cruditate ventriculi perirrhoeam. Ita, ut cognoſcatur jam non difficile fieri potuiſſe, imo fortaſſe factum eſſe, ut res extiterit; affectus inquam ab Hippocrate praemonſtratus.

Confirmant & ulceris generatio. Siquidem ab hac intercapedine facto excurſu, qui mos eſt abſceſſuum non rarus, facile potuit ad partem, quae ulcerata eſt, e directo reſpondens humor trajici: quod quidem ſi eſt, vides, quam multum conveniant tres Collegarum noſtrorum opiniones, quamque mire conciliari diſſidia poſſunt omnia: quam ob cauſam anceps ego primum quid facerem, ut nemini contradicerem, poſtquam a fauſta hac anatome ſe modus obtulit: ingentes protinus numini gratias egi, immortales inſuper acturus; non minus ſane, quam noſter Italicus, ut ne Calaber dicam Pythagoras, de illuſtrato apud Euclidis librum primum Elementorum Theoremate 47.

Confirmant & praegreſſa judicia; quorum unum eſt dolor, qui hanc eandem partem tentavit, quo tempore adortum eſt malum. Confirmant & partes, quae affinitate, atque aliqua mali communicatione ſolent dolere. Interdum enim cumulata intus, & non prodeunte affatim ſanie, factum eſt, ut doluerit pars illorum ſuprema lateris ulcerati non leviter; nimirum quod muſculi ab Hippocrate dicti pſoae ſepti deſcendentis infime particulam angulo ſimilem attingunt. Fit autem mea ſententia dolor alterius pſoae, quod diſtento per puris copiam diaphragmatis iſto latere, qui muſculo incumbit, diſtractiſque hac cauſa fibris, non poteſt hic plane non dolere. Perſentitur autem hic moleſtia magis, quam in diaphragmate: ſiquidem integrior pars integriores etiam ſentiendi vires retinere debet.

Confirmant, & alia, quae conſequuta ſunt; prius quidem illud, quod compreſſa hac private parte, continuo pus ab ulceris ore reſultat.

Sed & aliud hujuſmodi, cujus cauſam admirantur Medici referam, apud me quidem, ſecundum meum placitum, non admirabile. Videtur enim comprimendo pus prius quidem adſcendere, mox deſcendere: quod fit, quia comprimens manus ſurſumdiaphragma, & humorem pellit, quem deinde deſcendere par eſt. Adde quod ſepti ductus ſituſque is eſt, ut parte quidem omni anteriori ſublimior, qua comprimitur: parte vero exteriori & ſecundum angulos deſcendit.

Adde, quod ſatisfieri problemati de apparente urina nulla prorſus ratione poteſt

teſt, niſi per hanc noſtram, uti mox ſum oſtenſurus. Quid enim quaeſo requiritur, ut ire; redire, ſanies, id eſt, nunc quidem per lotia, nunc per ulcus poſſit? certe viae communes, & mediae ſunt neceſſariae. Sed hae non deſunt; ipſae nempe venae, quae ad abſceſſum externe conficiendum, & ad ſaniem eructandam per ulcus, & per veſicam, aeque patent. Hae ſunt mea ſententia venae phrenicae, quae per ſeptum ad coſtas diſtentum reflexae, ſive humorem integrum, ſive pus ad externum corporis habitum, expromere, ſicut vides, ſunt comparatae: deinde vero, & ad inferiora dimittere refluentem humorem, id eſt, primum ad venam cavam, & hinc ad emulgentes, & hinc ad ureteres, & hinc ad veſicam, & deinceps: ſic ut nulla ſit amplius haeſitatio, & quia ſurſum, & quia deorſum poſſit meare, remeareque humor, quicunque ſit demum is, ſanies, pus, purulentus, virulentus, limoſus, crudus, aut ſecus: & ſive hunc conſideres antequam corruptus eſt, ſive poſtea quam corruptus, omnino enim unus idemque videtur, qui & per ulcus, & qui per lotia deducitur. Atque adeo mirum in modum congruit, quod proponit Hipp. *aphor.* 54. *l.* 7. & quanto hercules exactius pronunciatum ejus ad unguem atque ad literam accipies, eo etiam quadratius congruent omnes pene clauſulae. Idem nempe locus eſt, qui primum a magno Hippocrate mox a nobis, poſitus eſt, a quo pituita repoſita dolorem principio Heroinae noſtrae fecit: quo pituita in alterutrum ventrem exitum non habente, & per venas in veſicam verſa, morbi ſolutio ſingulariter facta eſt. Quid igitur in cauſa noſtra deſideres, cujus non meminerit Hippocrates? aut quid Hipp. *in aphor.* propoſuit, quod noſtra hac cauſa non contineatur?

Neque vero impropria ventris eſt appellatio, quae peritonaeo tribuitur, voce γαστὸς: ſiquidem haec, cum ventrem maximum, id eſt, ab infimo ſterno ad pubem uſque contentum, ſignificet, haec ipſa peritonaei ſynonymos eſt, ſecundum Hippocratem, ut Joannes Gorraeus, Andreas Laurentius, & Anutius Foeſius, adnotarunt; ſed neque ſtomachi vulgo dicti, niſi per excellentiam, & antonomaſiam eſt appellatio.

Neque enim te turbet, quod pituitam per veſicam dixit verti Praeceptor, & noſtro in hoc affectu purulenta mejitur ſubſtantia: materiam quippe magis, quam immutationem ejus, & formam, ſpectavit Hippocrates, an non autem pituitam hanc nos poſuimus? ſic ad Hippocraticam normam comprobata reſtant omnia: ut jam appareat germanus, & genuinus Hippocratis aphoriſmus, & vera hujus hypotheſis, etiam contra ſententiam ipſius Galeni, qui favit aperte Marino vetuſtiſſimo aphoriſmorum interpreti, qui impoſſibile exiſtimavit inter ſeptum tranſverſum, & ventrem pituitae repoſitum: defluereet enim, inquit, uſque ad oſſa pubis. En vero quod inter ſeptum & ventrem continetur, neque ad pubis oſſa defluit.

Arguendus quoque Marinus, quod putarit impoſſibile, ut in venas trajiciatur, ſicut in hydrope tenuis, & aquoſus, humor tranſſumptus excernitur per venas. Jure autem reprehendit hunc Galenus, quod inter ſepti corpus carnoſum, & interioris membranae abdominis verticem, pituitam locarit is homo; jure, inquam, quod neque ſic ullo pacto facilis per urinas humoris effuſio eſt.

Sed neque propterea ſatisfacit interpretatio Galeni, qui poſita pituita in toto abdominis receptaculo, & laxiore ſpatio ventris, & epigaſtrii, caecos ductus, caecamque naturae tranſmittentis induſtriam, & facultatem proponit nobis, quippe communis eſt ea ratio, indefinita, & vulgata, quam admittere quidem aliquis aeque poſſit; ſed non, ut acquieſcat, & finem dubitandi faciat.

Fallitur item & Joannes Heurnius, qui dolorem flatuoſum a pituita elatum interpretatus, non advertit dolorem aperte accidens poſitum ab Hippocrate, qui de

morbi quasi diu praelapsi solutione professus est . Sunt & aliae ambiguitates , & tricae, apud Brasavolam, & expositores alios omnes ; infinita autem aberratio sit oportet, quibus vera via, & veritas una sit ignota. Sed nullius hercle rei mirari licet, quam Viros Anatomicos, qui naturale partium hoc divortium nunquam offenderunt. Nos autem gratias agimus Illustratori Deo Optimo Maximo, qui suam aphorismi auctoritatem restituimus & offensionem omnem sustulimus . Sed neque tamen haec dicimus tam, ut nos una inventa re gloriemur, quam ut profiteamur nostram hominum imbecillitatem, qui in apertis saepe caecutire solemus, & quod prae oculis est, aliquando, non perspiciamus.

Non possum tamen non admirari, quod Galenus & Anatomici omnes, habentes hanc phrenicarum venarum viam, quae brevis, prompta , expedita , facilis , est, nihilominus longinquas, operosas, intricatas, difficiles alias, sunt commenti . Galenus quippe *libr. 6. de loc. male affectis cap. 4. sub finem* , aperte profitetur pulmonis vomica rupta, pus ad levem pulmonis arteriam ingressum , & ad sinistrum cordis ventriculum fusum, hinc ad magnam arteriam descendentem repere, ut inde ad venales arterias, mox ad ureteres, postremo ad vesicam deducatur, ut cum lotio excernatur. Quam opinionem etiam Diocli attribuit Andr. Laurent. *lib. 9. hist. anat. quaest.* 12. similiter & Galen. 5. *ejusdem operis*, pus in thoracis vacuitate contentum arbitratus est , primo transfundi in propagines venae sine pari , mox ad cavam venam , & ad dextrum cordis sinum , & inde ad emulgentes : & deinceps sequitur & Galenum Desider. Jacotius *ad aphor. lib. 4. sect. 2. Coac. praenot. Hippoc.*

Sed Gabriel Fallopius, Vir in anatome peritissimus , aliam per azygon viam exposuit, *libr. de obser. anat.* eo proposito, quod pars aliqua venae ἀζύγος tribus, aut quatuor, ramulis superioribus, posterioribus, & infimis, ad emulgentem adeat, frequentius tamen in ipsam immediate , unico tamen inplantetur : quam ob rem, si aliquando per lotium expurgari pleuritin videris , non amplius dices per venam cavam, inquit. Eidem opinioni adhaesit & Hieronymus Fabricius *libro de oper. chirurg, capit. de thoracis sectione in empyemate ;* qui tamen & *tractat. de vulner. cap.* 22. non Fallopium Praeceptorem suum , sed Nicolaum Novocomensem, auctorem ejus inventi fecit.

Verum quod ad Galeni placitum spectat, difficile non solum, verum etiam absurdum, visum est nonnullis acutus inspicientibus . Primum enim repugnare videtur dignitas cordis, & sinistri praesertim sinus ejusdem, atque utriusque robur & praepotentia: qua quid potius appropinquantem noxam accipiant, quam expellant? quid autem ut pulmo servetur, cor gravari debeat? quae autem haec via, quisve locus a natura selectus sit? importunus sc. & minime conveniens, contra rationem omnem crisis, quidquid puritas spirituum hoc minime consentit , quomodo enim vitalem illum fontem non conspurcabit illuvies purulenta?

At dices non esse, quod vereamur harum partium detrimentum & contaminatum, quod nullum, aut ne quidem dignum commemoratu est a transcurrente tantum , & non considente humore . Sed instо adhuc , quod fieri non possit , quin spiritus aura tenuis, & substantiae raritas, & possibilis qualitas, proprie afficiatur, perpetiaturque contagionem? potest autem fieri , ut penetrabilis, ac plane liquida utraque substantia non commisceantur & confundantur. An miraculo id faciendum voluit Galenus, qui miraculum in natura nullum admisit?

At memorabis naturam duarum materierum secretionem cum delectu facere. Sed pugnabo rursus, quod in summo illo sanguinis aestu , in tanto vasorum agitatu, neque hoc licet: deinde decursus ille in anfractuoso loco pro mora est, qui diuturnus alioquin est, & perennis.

Quae

Quae autem non symptomata, quae non mala consequantur ex appulsu puris in arcana penetralia, receſſuſque cordis intaminatos, & ſpiritus officinam vitalem? primum enim interrumpatur, ac diſtrahatur functio pulſifica, diſcurſuſque ſpirituum, oportet; quod ſi intercidentia ſanguinis in arteriis Eraſiſtrataeis phlegmonem, & febrem continuo pariebat, ut *lib. de tumoribus*, *& lib. de ſanguinis miſſione* Gal. refert, quid non longus puris adhaeſus in impedito conclavi cordis?

Deinde ſi obſtructio arteriarum apud Petrum Salium *cap.* 31. *lib. de affectibus particularibus*, tam gravis, & detrimentoſa eſt: quid non etiam purulentae materiae ſupra plenitudinem ſanguinis arterialis infarctus?

Praeterea ſi fuligines, quae putridae non ſunt & a naturali materia creatae, tam multum incommodae ſunt ſpiritibus & vitae ipſi: quid putredo ipſa faciat actuoſa? quod ſi Galenus impoſſibile putavit ei occurrere putredini, quae eſt circa cor, quid non difficile ſit cor putredinem ſuſtinere, quae intra ipſum fit.

Narrat Philotheus *lib.* 2. *aph.* 41. ex putri faetidoque intra pericardium contento pure, creberrimas animi defectiones homini fuiſſe: qui mortuus etiam inde eſt. Quid igitur intra cor ipſum faciat purulenta colluvies, & in ejus ſinu longa coinquinatio? Audi autem Jo. Fernelium *lib.* 5. *path. cap.* 10. narrantem, ex pulmonis vomica rupta, & pure ad cor penetrante ejuſdemque facultates opprimente, quemdam intra horae quadrantem ex improviſo nullis antegreſſis ſymptomatibus mortuum.

Haec & aliorum teſtimonia, & argumenta ſunt noſtra. Verum anatomica fide compertum eſt, arteriae magnae veſtibulo tres adſtare membranulas ſemilunares, intus quidem apertas, ut ſpiritui vitali exeunti pateant; foris vero clauſas, ne in laevam cordis ventriculum idem remeare poſſit, quod ſi penetrabilis, inquam, & naturalis ſpiritus, in limen aortae penetrare non poteſt; quid tetra & corpulenta materia? An vero neſcius ejus ſtructurae, vel oblitus fuit, Galenus?

Haec, licet & alia poſſint, contra modo narratam opinionem attuliſſe ſit ſatis: non parcemus autem his referendis, quae nonnulli produxere pro Galeni defenſione quae brevibus fuit haec; aliud eſſe criticos, aliud ſymptomaticos, fieri abſceſſus: atqui eſt haec expurgatio criticorum, quod cum afferunt hi, videntur quidem aut non advertere, aut oblitos eſſe criticarum admolitionum verarum adeo, ut de criſi faciant non criſin: & quae ſit inſuper omnino contraria criſi, cedatque res ſymptomatica vere, quae putabatur critica; nam quid cieri putredinoſum humorem per ſuperiora, perque digniora? majus autem quod memorant (inter hos Andr. Laurentius) eos, quibus ea facta affluxio eſt, commortuos: neque vident, ut oſtendant poſſe rem evenire, monſtrare ſe, quod evenerit cum morte: qua quae major ineptia ſit: quid igitur moliri naturam, quod funeſte ceſſurum ſit? ejuſmodi igitur opinio ſit ſequenda, quae tot mala invehat criſis?

Sed Galenica jam recognita opinione ſecundam recentiorum ſententiam dijudicemus. Illa quippe non videtur probanda complures ob rationes: primo, quia cum vena haec ſingularis ad latus tantum ſpectet dexterum, non eſt accommodata haec via, praeterquam in abſceſſu, & empyemate partis ejuſdem privato, par eſt autem tranſmittendae materiae viam ad utraſque partes communiter ſe habere: nam contra in ſiniſtris condita materia eo naturae beneficio careret. Secundo non eſt, neque aſſignari poteſt, aliqua ratio, per quam venae debeant, aut poſſint attrahere vel abſorbere purulentum illum humorem: vel cum non attrahant illum ad ſe ſe, difficile eſt declaratu, ut pateant ad ingreſſum, tranſcurſumque humoris.

Tertio neque opportunus venae ſine conjuge videtur ſitus, qui medii thoracis eſt, & longe ſuperius ſepto tranſverſi: quem locum pus alioqui grave, quale om-

nes requirunt, infima petens praetergreditur, ſuper diaphragmatis facie quietem, & conſiſtentiam, habiturum.

Taceo, quod cum Fallopius ſtatuat propagines hujus venae deſinere in venam adipoſam, & conterminas venas; hae quidem non pertinent ad interiores ſinus renis, ſed ad exteriores ejuſdem tunicas: quapropter via non eſt, quae ſatisfaciat. Rectius fortaſſe fuerit opinari nos ab oſculis venae ſine pari pus elicitum, hinc transferri ad truncum venae magnae adſcendentis, & inde demitti ad deſcendentem & emulgentes &c. ſed hoc neutiquam eſt a junioribus cogitatum aut expreſſum.

Reſtat nunc ut aliam, ſi quae eſt, viam nos inveniamus atque tradamus. Eſt autem mea quidem opinione nobiliſſima atque accommodatiſſima per venas phrenicas. Commoditas, inquam, prima, quia deſcendens ad ima pus, a ſubtenſo diaphragmatis corpore colligitur, & hoſpitatur, ultima veluti ſtatione & quiete. Secunda quia craſſitudo puris extenuari poteſt ac praeparari ſic, ut facile venas ſubire poſſit, interveniente motu perpetuo ſepti tranſverſi.

Praeterea cum in ſyſtole dilatatur ſeptum, tunc belle poſſunt adaperiri venarum oſcula quaque parte, atque ad ſe rapere materiam ſive ſponte, ſive natura procurante, & humoris tranſmiſſum admoliente; omnibus autem modis attractus ſuccedere poteſt, facilius ſub perenni diaphragmatis motu. Hunc autem, ut & hoc notem, plurimum adjuvare ſolet agitatus proximi muſculi pſoae: cujus plerumque cauſa equidem adverti frigidos Abſceſſus ad has partes creari. Nempe ad muſculos univerſos polychronii, fiunt Abſceſſus inſignes, quemadmodum in ſacro; regioque, Valetudinario Incurabilium experimentis quotidianis obſervavi.

Objicient fortaſſe, memorata primum craſſitudine puris, minores has ſepti venas, quam, ut patere tranſcurſibus hiſce poſſint: verum praeterquam, quod non tam parva ſunt haec vaſa, adjuvat, ut dixi, puris tranſitum motus. Quid, quod melancholicus humor, qui craſſus eſt, per exiles ſtomachi venas diſcurrit ad excitandum in ore ventriculi ciborum appetitum? quare cur per haec certe majora vaſa diſcurrere pus non poſſit? Poſtremo natura parat quacunque vult ſibi vias. Quod ſi per oſſa etiam expedit ſibi callem, quid non & per venas ſepti tranſverſi non obſcuras?

Ad has argumentationes, ad has rationes meas omnes (licet Ariſt. auctore 3. *topic.* a prudentium approbatione rem deduci) accedit & complurium Virorum in Urbe noſtra Graviſſimorum aſſenſus: quibus communicata primum haec noſtra excogitatio digna viſa eſt, quae in lucem expoſita judicium commune multorum, tum medicae, tum anatomicae rei, ſtudioſorum, experiretur. Sunt autem praeter principio memoratos Gymnaſii noſtri Profeſſores, ſi ſe nominari patiantur, hi;

Tyberius Carnevalis purgati Vir judicii, ac doctrinae.

Martius Schipanus, Vir arte, & facundia, clarus.

Stephanus Rivaldus, qui Caeſ. Scannapecum Praeceptorem ſuum celebrem uſu medendi refert.

Franciſcus a Ponte Philoſophus, ac Medicus, profitendo laudatiſſimus.

Franciſcus Nola praeter medicam quidem, & aſtronomicam rem, egregie profeſſus.

Joan. Dominicus Magliocchus, qui ſcriptis doctiſſimis medicinam locupletabit.


Franciſcus de Curtis, cujus Epiſtolas medicinales, vel ab exteris, expeti legimus.

Franciſcus Aſcellonus, qui Galenicam & Arabiſticam doctrinam cum Philoſophia conjunxit.

Horatius Theſaurerius antiquiſſimi Collegii Salernitani Doctor, & Medicus Neapol. excellens.

Eſt


M


D
E
F
I
K
G
L
B
C
M

Est autem Anatomica Demonstratio nostra haec.

A B C *Subtensum praecordiis diaphragma.*
D *Foramen diaphragmatis, per quod excurrit ad superiora elata vena magna.*
E *Lacuna & intercapedo diaphragmatis & peritonaei crudam sanguinis eluviem continens.*
F F *Rami primi assurgentis venae magnae, qui venae phrenicae sunt a loco nominatae, quae & angulares diaphragmatis portiones* B C *signatas perrigant.*
G *Truncus venae magnae descendentis.*
H I *Venae renales emulgentes dictae.*
K L *Urinae ductus.*
M *Vesica.*

ITaque patet facile fieri, ut per phrenicas illas venas fluere pus e superioribus delatum ad vias urinae possit; difficile vero & incommode per alias duas superiores vias permeare materia queat.

His alia quaedam pro coronide subnectemus. Propositum enim est indicare, quod ad pleraſque multas effluxiones purulentas communis est & haec via; adeo autem communis, ut & toti corpori possit esse, nempe ventribus omnibus etiam, capiti, inquam, pectori, abdomini, neque injuria meo quidem judicio corporis medium centrum obtinuit haec pars. Itaque si rite possunt suprema, rite possunt & media, riteque etiam infima; si haec & media via opus habeant. Quas ob causas neque angina, neque peripneumonia, neque empyema quodcunque, neque corporis totius cacochymia, cujus meminit Hippocr. *lib.* 1. *epidem. com.* 2. *text.* 8. quomodo per vias urinae repurgari possint, dubium nunc est. Quoniam autem peripneumonia crurium abscessu saepe finitur, neque humoris tam longa translatio, comprehensu difficilis erit his, qui norint delapsum pus ad cavam venam per iliacos ramos traductum ad crurales venas posse pervenire. Quam rem statuenti mihi venit in mentem historia Vincentii Canavacioli, qui cum emphyematicus ex vulnere jam a nobis curatus longo labore fuisset, post aliquod tempus abscessum ad crus dexterum expertus est.

Ex demonstratis autem credere par est, quod reliqua, quae in fundo thoracis & diaphragmate haesere, natura per phrenicas ad iliacas venas transmittit. Quod & Nicolao Angelo ab Elysaeis Medico & Scriptori Neapolitano doctissimo visum est.

Nanciscitur & hac via resolutionem quaestio, cur fiat, ut (quod docuit Hippocrates *in coacis*) abrupta in medio progressu dysenteria transmigret in Abscessum circa costas; humoris quippe facto transcursu: nempe de venis mesentericis, & intestinalibus, ad cavam, & hinc ad phrenicas, ut fiat Abscessus in costis inferioribus, aut ad azygon, ut fiat in superioribus.

Solvitur & hac eadem ratione problema, quod referam, exposita prius observatione frequentissima pariter & certissima, quae est haec. Compertum est pueris impuberibus aut puberibus consuevisse Abscessus ad latus dexterum, praecipue paulo superius cinctum, excitari: ita quidem accedit filio Antonii Bagnes, quem cum egregio Medico Sebastiano Vechiono curavi: itemque filio Josuae Amicangeli, cui cum collega Viro Jacobo Ferraiolo medicatus sum: atque etiam Margaritae Blanchinae, quam in nostra vicinia curavit, a me sectam, minister meus. Passus & ibidem loci suppurationem longam quidam adolescens, cui praestitit operam medicam Petrus Paulus Pinachius genere Graecus: & inter omnes generis claritate no-

nominandus Ferrandus Caracciolus Foroleti Dux Illuſtriſſimus, de quo Viro abunde teſtificari poteſt Marius Schipanus, Vir in re medica aeque & in bonis literis excultiſſimus. Qui omnes vel ad diaphragmatis angulos, vel ad fines ejuſdem, abſceſſum ſunt experti: taceo quod eodem loco licet opinari tuberculum lateris, ab Hippocr. *l.* 2. *de morb.* 58. deſcriptum atque enarratum. An autem cauſam ob aliam, quam quod a ſepti memoratis venis prompte ac facile potuit humor ad proxima derivari.

*Adverſantium argumentorum depulſiones.*

HAec nos quidem aliquandiu meditati non approbare atque amplecti ſenſibus omnibus non potuimus; quando difficultatibus implexa *nullis*, multa praeter haec probabilitate firmata videntur: ſed probabilitatem quidem oſtendimus; incommodum autem huic noſtro placito nunquid unum ſit, jam denuo perquiremus. Fuit quidem, qui diceret & non neceſſarium hoc afflictae partis excogitatum, & improbabile etiam. Non neceſſarium quidem, quia ſatis eſſet effectum, omne referre ad unam cauſam antecedentem, quae venis contenta, ac bipartita, duas in vias ſeceſſerit diverſas, altera quidem portio in Abſceſſum, altera vero per ureteres, & veſicam. Neque inquit, aliquid facit, quod puriore apparente urina madentius ſit ulcus, aut contra. Namque dolentem unam partem, per venas factus defluxus alter in alterum accedens, levat, omneſque etiam vacuationes e corpore alia quaecunque minuit, materiam in diverſum trahens.

Praeter haec & alio nomine probabilis haec opinio non videtur, propterea, quod ponitur extra venas putris materia nullo argumento aut indicio. Purulentae autem materiae, quae extra venas conſtitit, perpetua etiam per exteriora fit eductio: empyematis quippe, cujus pars per urinas effluit, nunquam certi eſſemus, niſi & per expuitionem effuſio exiſteret. Tertia animadverſio fuit, quod extra venas poſitam materiam non dubitavimus intro eaſdem deducere: rem quae per difficilis & apprime dura oppugnatori noſtro videbatur.

Haec ille: quibus equidem omnibus a nobis & ante proviſis ita ſatisfaciendum cenſui; inertis ignavique ingenii, paucique & vulgati negotii videri, communibus & univerſalibus cauſis inſiſtere contentumque eſſe, cum definitas, & certas cognoſcere detur. Quid autem logiatros & dialecticos ſpeculatores facit magis, quam ſumma rerum indagine philoſophari? quidve juſtius reprehendit in methodicis Galenus, quam, relicta partis affectae conſtitutione ac notitia, laxitatem illam conſequi causarum? quidve clarum Medicum, praeſertim in abditis morbis, facit, quam afflictae ſedis inventio? porro Galenus ad Hippocraticam doctrinam nihil addere dignius viſus eſt, quam locorum, qui male ſunt affecti, dignoſcendorum artem. Unde nullum ſane majus operae pretium in Hippocratica medicina fecit meo judicio, quam ſuo illo Topognoſias opere.

Itaque qua nos prudentia ſedem affectam nacti cum fuerimus, & ut credo equidem, praeter meam aliquam induſtriam, divinitus demonſtratam; hanc pro communi & vulgata ratione relinquamus? fatuum hoc quidem & viro ſapiente indignum. Quod ſi viam utramque ſpeculandi commetiamur, incomparabiliter praeſtantior haec noſtra futura eſt. Tantum enim abeſt, ut nullum uſum exhibeat, ut maxime neceſſaria ſit haec, extra venas conſiſtens, cavitas: quo modo enim putrida in promptu, & in actu, materia, quae alterne per matutinas, veſpernitaſque horas alternos locos ineat, & commutet? quin immo expreſſa mane vel veſperi ſanie multa de ulcere, continuo prima quaeque lotia clariora: ita videtur,

tam

tam brevi neutiquam putrefactam intra venas materiam , sed potius extra venas paratam eandem ; quid autem , quod tam diu stabulata atque hospitata , non per transmissum discurrens haec , intra venas actualis & confarcta putredo , minime tam debilis puellae sustentari potuisset , calamitosiusque cessisset . Quam enim febrem , & quae symptomata non intulisset?

Adde, quod sub actuali intra venas putredine febre aliquando vacare generosa puella non potuisset: atqui saepe vacavit, utique doctissimorum hominum , qui observarunt , testimonio , atque in praesenti , qui decimus est Martii dies evidenter vacat . Quo tempore cum adhuc urinae purulentae manent ; quaeso explices , ut interim nitidus puellae color est & caro plurima reparata , cum virulentae isti intra venarum sinum putredini conjungantur? Interea mitto num intra venas confici pus possit & num ad Hippocratis, Galenique sententiam hoc afferi liceat . Prudentes ergo nos, qui extra venas consistentem hanc virulentiam posuimus, aut verius a natura positam observavimus ; e ventriculo scilicet; & ejus ductibus ad eam partem transmissam . In nullo autem loco praeterquam in hoc sane persistere, neque aliunde , quam inde procedere sanies illa potest , ut discurrenti per singulas partes naturales facile patet .

Sed occurrimus argumento, quo adstruitur falsitas opinionis nostrae propterea , quod nunquam extare possit extra venas materia purulenta , cujus effusio etiam per ductus extra venas positos monstrata non sit : exemplo producto empyematis , quod nunquam adesse monstrabitur per urinas excretum , nisi & tussi rejectum : immo dicimus hoc aperte falsum vel experientia testante , per quam observare licuit vulnere thoracis diu vexatos a me superius nominatos , qui vivunt , remque narrare possunt ; empyos aliquando nil tussi rejeciisse praeter quos & innumeros alios in valetudinario nostro vidimus , videreque in dies licet vulneratos empyos nil pectore rejectantes . An non autem hi sunt ex vulnere empyematici : sed tales vel ipse Hippocrates , nominavit , *lib. 2. de morbis* .

Quamquam qui ego has rationes produxi paritatem admittens , quippe & multum discriminis intercedit inter cavitatem , quae respondere non potest venis ( haec in empyemate thoracis est vacuitas ) & inter cavitatem , quae venis respondere potest: certe intercapedo diaphragmatis , & peritonaei a primo Severino observata, ac publica in anatome demonstrata , haec obducta est , nec alias vias , quam venas ad expurgandum habens ; illa detecta quae ductus alios, quam venarum nacta est: hanc autem Galenus *in lib. 4. de loc. aff.* exposuit : altera ad hanc diem quidem omnes, at Magnum Hippocratem & nos hujus observatores , magno Dei munere , non latuit . Amabunt autem de invento me exteri , sicut confido, si minus populares & Comprofessores nostri quidam : complures autem , qui candide plauderent , comperi ; sed longe plurimos qui pedem ferant futuros alios non diffido .

Sed ad alias argumentationes devenio , quarum illa restat a simili contendens , solam ad rem ostendendam antecedentis materiae rationem esse satis : propterea quod facta in dextris fluxio , vel vacuatio, statim a sinistris avertit ; itemque suprema ab infimis revocant ; & anteriora a posterioribus, & contra . Ajo equidem etiam si hoc detur , quod saepissime non succedit, ut experimento quotidiano docemur : nihilominus non obstare , quo minus haec nostra reciprocatus investigatio vera sit : estque etiam multa disparitas , quando in causa materiae antecedentis non est ea reciprocatio, saltem tam prompta ac subita. Atque etiam in parte unde fit retractio, remanet semper materiae pars plurima ; in nostra vero causa pura saepe apparet urina cum manavit ulcus , siccumque fuit ulcus cum lutulenta

fuit

fuit urina ; prompta ſcilicet & expedita , quaſi vicinorum & affinium viciſſitudine ; quae neceſſitudo profecto non eſt inter partes diverſas , quibus materia communicat antecedens.

Sed jam occurrimus tertiae animadverſioni , quae contendit humores extra venas non poſſe remeare . Dicimus enim hoc difficile non eſſe , rationem oſtenſuri multorum principum Autorum. 3. *aphor.* 12. Galenus meminit expreſſe deſtillationis humorum a capite in venas , & arterias : atque , ait , intelligimus per deſtillationes omnes fluxiones , quae feruntur a capite per venas & arterias ad partes inferiores : ergo materia extra venas recipitur per venas . Et 3. *progn.* 38. ait Hippocrates , ſi abſceſſus deletur , & repetit periculum delirii , & mortis : ubi Galenus per repetere explicat materiam extra venas retrocedere in profundum corporis aut in aliam ſedem principem , unde commoti ſunt ſucci per vaſa , quia non poteſt fieri per aliam viam haec tranſmutatio ; imo ſi in cerebrum , advenit delirium &c. quae ſeq. Et 4. *aphor.* 75. ſi ſanguinem aut pus mejat ; ubi Galenus ait , mingi interdum pus , cum aliquod apoſtema in ſuperioribus diſrumpitur , & pus ad urinae inſtrumenta emittitur : apoſtema autem fit extra venas , vel in ſubſtantia hepatis , vel ſepti tranſverſi &c. Ergo poteſt pus extra venas genitum per venas expurgari a natura . Et 3. *acut.* 10. ait Galenus ſanguinem in phlegmone contentum , qui demigratus eſt totus propter partis accenſionem vena ſecta evacuari : ergo poteſt ſanguis extravaſatus iterum in venas recipi . Sed ſatis aperte definit rem hanc Gal. 7. *aphor. comm.* 30. ubi ait , humorem deſtillantem a capite in aſperam arteriam poſſe expurgari , vel per arterias ad vias urinae , aut alvum. Itaque humor hic tranſſumitur in venas , & 7. *aph.* 55. ait Galenus , aquam collectam in ventre hydropici purgari poſſe per vias urinae : ergo nihil prohibet humorem extravaſatum a ſepto per venas emitti . Et 6. *de locis aff. c.* 4. ait , apoſtema ſepti tranſverſi ſuppuratum , & diſruptum , per urinas purgatum copioſa puris evacuatione , & quibus aut renes dolebant , aut hepar , cum febre , deinde , rupta vomica in loco dolenti , vidit emitti pus per renes . Ergo nihil clarius , quod apoſtema ſit extra venas . Et paulo infra in eodem capite ait , nos autem pulmonis vomicam ſive abſceſſum per veſicam expurgari vidimus : & ibi ſtatuit Galenus viam per ramos arteriae deſcendentis ad renes ; pus etiam a thorace per cavam venam mediante vena , quae arboris caudici proportione reſpondet , in alvum ducitur : quare nil mirum a ſepto , a pulmonis vomica deſcendere pus in venas & arterias . Haec eſt concluſio Galeni in hoc cap. Verum admirandus eſt locus Hippocr. 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 84. ubi ait , parotides defluxerunt ad veſicam , ſic tubercula poſt aures non ſuppurarunt , ſed ad veſicam defluxerunt ; & Galen. *in commentario* , exemplum hoc , ait , parum frequens eſt , & memoria tenendum ; ergo eo magis tuberculum in ſepto tranſverſo poteſt ad veſicam defluere : & 3. *epid. ſect.* 3. *textu* 29. etiam *in Coacis praenot.* ait Hippocrates vomicam pulmonis expurgari per alvum lethale : & *ibidem* , abſceſſus , qui deſcendunt ad crura in peripneumonicis utiles omnes ſunt.

Hactenus jam objectis adverſus noſtram ſententiam argumentantibus ſatis fecimus . Aliae nunc ſuperſunt , quas nos ipſi praevidimus ; futuros nempe aliquos , qui ſedem hanc affectam non admittant propterea , quod ſpiritale organum non ſine diſcrimine experietur abſceſſum , nimirum tum inflammatio , aeſtus , dyſpnoea , febris acuta , dolor , & hujuſmodi gravia ſymptomata , non deerunt .

Cui objectioni occurrimus praeterquam , quod haec principio non defuere : ad haec diſcerni oportet affectus calidos a frigidis : nempe nos abſceſſum hunc frigidiorem , quam calidiorem ſtatuimus , cum quo alioquin ſedato affectu turbulenta

illa

illa symptomata non conjunguntur; praesertim quando abscessus ille non superna, sed inferna parte subortum est. Sed praestabit etiam quaedam, quae Petrus Salius, *l. de partium affect.* scripta reliquit.

Diaphragma cum tumore afficitur, dupliciter hoc pati solet: nam irruentibus excrementi ad ipsum potest tumorem & sine febre, & cum febre pati. Si sine febre afficiatur a principio dolor, & respirandi difficultas, continget; praeterea pulsus parvulus accedit, & durus. Quod autem ad crebritatem; quoniam in his necessitas non est adaucta, vel quid vel nullo modo mutatur, ut docet Gal. *l.* 4. *de praesagitione ex pulsibus cap. de septo transverso;* & haec excrementa debemus judicare esse cruda, & tenuia; quoniam crassa non possunt infigi in substantiam nervosam diaphragmatis. Quoniam autem haec excrementa carent nimia caliditate, hi tumores non possunt esse non tantum longi, sed etiam diuturni sicuti experientia vidi in Nobili aegrotante, cui ex crudiore, & subtiliore sanguine factus est tumor in septo transverso diuturnus; in quo cum dolor, & spirandi difficultas, pulsusque durities, & parvitas, adessent: ad eum tamen non subsequutum est delirium, cum hoc videretur rationabile ex eo, quod haec pars ad mentem, unde phrenes appellata est, plurimum faciat, quasi quod ad sapientiam conferat: quoniam materia & tumor erat frigidus & crudus: ex quo tandem mortuus est, cum prius fere ad tabem decurriffet, & in ultimo disrupto abscessu expuiffet cruenta, & cruda, aliquo modo tenuia, & quae nullam coctionem indicarent. Ad hunc eundem tumorem sequitur necessario tensio praecordiorum subvacua, quoniam tenduntur musculi ad diaphragma nulla existente in hypochondriis inflammatione, vel alio simili tumore. Et ut paucis hanc partem concludam: tumores hi longi, & diuturni, generantur a materia tenui, & frigida, quae tamen temporis diuturnitate in loco affecto crassescit; & ad hos sequitur dolor, difficultas respirandi, pulsus durus, & parvus, qui ad crebritatem vel parum, vel nihil, mutatur, & tensio hypochondriorum, nullo apparente in his tumore ad tactum. Et si his tumoribus aliquando adjungatur febris ut experientia pluries adnotavimus, non tamen acuta, nec delirium necessario subsequitur: quod tamen aliquando in adpropinquante morte vidi accessisse. Et hi tumores cum perseverant, & non solvuntur, patientes ad tabem deducunt: quod licet non fuerit a Galeno notatum, tamen testor ego verum esse hoc accidere. Et haec de tumoribus longis sine febre causatis a materia frigida.

Haec ille; quibus apparet, etiam affecto diaphragmate secundum proprium sui ipsius corpus, placatiora interdum evenire symptomata; quid igitur si illud ipsum secundum contiguum tantum ambitum affectum sit?

### *An Puris fuerit substantia, quae per urinas excreta est.*

DUbitatum autem est, num pus censendum id sit, quod per lotia solitum est excerni? difficile alioquin & incertum, ubi collectum, & unde ad has vias traheretur. Cum enim necessum esset alicubi scatere longum saniei proventum; pars haec sane, quae vitii fomes esset, nulli se declaravit, aperuitque. In cavitate porro magna & naturali videbatur alienam asservari; in alia vero, praeterquam in abscessu, par non erat, ut quis adstrueret, unde ad vesicam derivaretur: reliquum igitur, ut per venas, per quas ipsas cum insolens sit ferri pus, reliquum est ut saniem, sic enim cum antiquis appello nunc succum crudum, adhaec infrequens per urinae vias puris est expurgatio, ex qualibet vero alias quam purulenta, frequentissima, succus autem crudus, aut limosa & inquinata coctione

reſidentia poterat adſpectu primo videri multis, praeſertim quando virulentior excretior deſiſteret. Adde, quod pueris, & mulieribus, & ocioſis omnibus hominibus, & qui pluſquam coquendo par eſt, eſitant, compertum eſt ſubſidere plurimum excrementi, quod quia putredinis vitium non ſentit, haud puris nomine detrectandum eſt leviter.

Haec & alia hujuſmodi ſuaſerint quibuſdam crudum eſſe ſuccum, qui per urinas ſpectatum fuit: verum enimvero, ut non inficiar ſub polychronio morbo fuiſſe cruditatem plurimam, quae & puri alicubi gignendo materiam exhibuerit: & ut non negem etiam interdum ſuccum crudum apparuiſſe per eaſdem urinas; quo ſcilicet tempore pus alio tractum ſeceſſerit: tamen judico pus merum exſtitiſſe, quod cum ulcere reciprocationem habuit. In qua re certum me fecit Galenus *l.* 1. *de aliment. facult.* qua diſputat de tritico, qui notas ſucci crudioris, & puris diſcretrices, propoſuit has: nempe verùm pus, inquit, graveolens eſt, & lentum: craſſus vero ſuccus craſſitie, & dolore illi duntaxat eſt ſimilis, ut qui neque graveolens eſt, neque lentus. At qui quod nos quotidie ſpectavimus ſedimentum, varia hercle ſpecie ſe exhibuit: nam gravis halitus per colum transfuſo humore ſaepe nares feriit; reclinato vero eodem ichore, fundo adhaereſcens viſus eſt lentor quidam, qui productiore reclinatu recedebat, alius vero non item.

Praeter haec & aliud ſignum, quod comprobari haud quidem licuit, Jo. Baptiſta Donatus propoſuit *l.* 2. *de matur. materiae in morbis cap.* 24. quod eſt: Pus ſi noctu depellitur, lumen cauſa eſt, ut pus fulvum appareat, id eſt, eo plane colore praeditum, quo aurum apparet.

Sed de pure in urina noſtra haec fuerunt experimenta. Lotium quidem Heroinae inculpatius, ubi accommodata in vaſculum filtri ligula deſtillavit; reſiduum ſedimentum expoſitum Soli, exilem, & vix adſpectabilem, ſui portionem reliquit.

Lotium vero virulentius colo tranſmiſſum hypoſtaſin reliquit craſſiuſculam, quae camino ſuppoſita calido craſſitie ichthiocollae preſſa eſt.

Sanies, quae manare ex ulcere ſolita eſt, in urinam puram alius puellae indita, ſimilem ad unguem excretae naturaliter urinae purulentae ſpeciem reddidit.

Ex his igitur omnibus ſuum de purulenta judicium elici facile poteſt.

Sed aliquis nunc objectabit mihi memorans pus, Galeno docente, in *com.* 47. *l.* 2. *aphor.* ex ſanguine ortum habere, qui humor calidus & humidus, diverſa autem ab hac pituita. Cui argumentationi bifariam occurritur. Primum quidem hoc etiam eſſe pituitam in pus verti apud Hippocratem, qui *libr. de morb.* 1. & 2. ex diſtillatione a capite ſuppurationem in inferiore ventre perſaepe poſuit: quod & Galen. *in commentariis de ratione victus*, etiam profeſſus eſt. Joannes vero Fernelius Medicus, quidem non ſolum doctrinae amplitudine, ſed experientia clariſſimus, in ſenibus praeſertim pituitoſis empyema quoddam ex ſuppurato in pulmonibus phlegmate colligi affirmavit. Deinde ſi obtrudant, quod non verum ſit ejusmodi pus, neque ego item tale aſſevero fuiſſe, ſed purulentum & virulentum utrumque, tum ab ulcere, tum ab urina, recrementum appello; nam verum mea ſententia pus nuſquam exſtitit: aequale autem, aut vix diſſimile quod utrinque prodiit, dum corruptitiam eluviem urina retuliſſet.

## *Quod Abſceſſus vere ac proprie ſit hic appellandus affectus.*

NOminum uſus rectis diſciplinis rite tradendis neceſſarius, nedum conducibilis eſt. Etenim hae notae ſunt rerum: & niſi ſecundum ſenſum principio poſitum uſurpentur ambiguitatem longe maximam, & fortaſſe etiam infinitam parere

que-

queunt. Qua causa fit etiam ut unum pro alio nomen accipi non debeat : nimirum ita sensus temere confunderentur, & lux sua rebus , & doctrina non esset . Ob id quidem Graeci , Latinique , cultissimae nationes notas , & momenta nominum , exactissime distinxerunt , distinctosque sensus e vocibus elici voluerunt . Quam legem in medicina, ut servarunt optimi quique , ita non desunt barbari, & solaeci , & minus accurati , qui negligant & contemnant . Cujus rei persaepe notatae facere non possum , ut me non pigeat ; atque adeo affectum hunc , qui vere ac proprie Abscessus est , non patior ulcus laxa & vulgari voce dicatur . Equidem nescius non sum ulcus esse , quodcunque praeter naturam hiat : verum haec generalis nimium vox est, ac tyronibus digna. Ulcus vere non est, quod perennem & uberem non ex se quidem, sed ex ambitu manationem eructat, rectius is sinus, qui ulterior est character, appellandus videtur. Verum enim vero placet maxime Abscessum vocari, quo nomine dependens ab alio suus ortus arguatur: id enim (*από*) vel (*ab*) praepositio , terminum a quo, & radicem unde propagatus est , non obscure arguit . A qua relatione ut non separantur Abscessus cum sua causa conjuncti: sic etiam voce tenus separari non debent . Quod autem Abscessus hic principio fuit, causae, materia, forma, generatio, per me jam explicata, monstrarunt , ac deinde etiam conditiones Abscessus nunquam abjecit ; sed retinet adhuc firme, quemadmodum auctor ejusdem, seu morbus, seu natura, voluere.

*An Abscessus frigidus per Congestionem hic fuerit, an vero per Decubitum ?*

NOn difficile nunc dubitatio cadet in hominis cujuspiam curiosi mentem, num a *Congestu* sit hic Abscessus, quem secundum latus incurrit Illustrissima Puella . Enim vero cum hepar intemperatum , quemadmodum jam constituimus , illi sit , potuit humor ab ipso genitus crudior a natura repudiatus , in vicino loco paulatim congeri sic , ut demum in aliquam magnitudinem , quantam vidimus , coacervatus fuerit . Non dissentit autem hoc morbi genus a languescente habitu Puellae , quam audii ex Excellentissimo Prorege , jam Hispali morbo gravi correptam in cachexiam , & in tumorem totius ferme corpusculi cruriumque , devenisse . Visitur autem in hisce affectibus hujusmodi Abscessus.

Accedit, quod planus tumor, concolor , indolens , crudus , intime reconditus, ignavus, ut ita dicam, & usque ad extremum sedatus fuit. Praeterea hic Abscessus , ( quae superius dictorum omnium symptomatum causa fuit ) nullum caloris sensum exhibuit , & nulli inflammationi , pulsationive successit ; sed tum se ipsum prodidit , cum in aliquem cumulum acervatus humor tumorem evidenter extulit : quae omnia quidem *Congestus* signa posuit Gabr. Fallopius , *in 6. de tumorib. praet. natur. c.* 15.

Verum his nil operantibus , tamen Abscessus haud per *Congestionem* evincitur propterea , quod sequutus est febrem , cum qua necessaria conjuncta est inflammatio; materia autem , quae hunc Abscessum produxit , copiosa fuit , & acervatim fluens. Signa autem fuere dolores acres , gravitas circa latus, febris, atque vexatio: atqui singulis hisce symptomatibus caret Abscessus e *Congestu* , nullo neque vigore , neque dolore, sed neque febre, notatus , ut nostra est observatio. Neque tamen haec difficilia videri debent ; quando , quod sensim fit , nullam invehit affatu dignam , at neque sensibilem immutationem atque molestiam: sic neque rigor est , quandoquidem is humor fuse non transcurrit : febris potius a congesto toto succo , quam a paulatim defluente cieri debet . Confirmatur insuper haec opinio testimonio magni Hippocratis , qui dixit , Abscessum praecedere labores , dolores ,

ac laſſitudines: quae res quidem non inſunt Abſceſſui per *congeſtum*. Experta autem principio Generoſa Puella fuit nonnullos dolores, ut retuli.

Sed neque aliquid facit, quod nullam externo tumore paſſa eſt inſtammationem. Porro Galenus *l. de tumor. praet. nat. c.* 4. ſcripta reliquit haec; *Abſceſſus non perpetuo inflammationes ſequitur; ſed ultro etiam gignitur, & a principio, ſiquidem intro collectus humor temporis proceſſu partes excoriat, ac deducit.* Verum enim vero, ut haec vera ſint, ſuppetit ratio, qua factum utrumque ſuadeatur; illo primum propoſito fieri poſſe, ut materia uno in loco jam diu collecta ſit frigida quidem primo, ſed poſtmodum acceſſione calida ferveſacta, ſive quidem calida per ſe, ut bilioſa, ſive per accidens reddita calida, ut per infarctum computreſcentium humorum, & naturae nunquam vacantis agitatum. Igitur ſi humoris hujuſmodi coacervatio ſit circa locum nobiliorem, & principi parti proximum; fieri, inquam, poterit, & non difficile, ut natura partes munere digniores levans, ad viliores alias partes humorem eum tranſmittat; quod factum alioqui vere demonſtraturus ſum poſterius, ut meam opinionem producam; quae eſt ſcilicet coacervatum alicubi diu ſuccum computreſcentem, ad aliam minus praeſtabilem expulſum, atque tranſmiſſum.

### *Criticuſne an ſymptomaticus fuerit hic Abſceſſus?*

JAm autem quando, quid ſit hic affectus, expoſitum eſt, qualis idem ſit, ediſſerendum ſuccedit; hoc eſt criticuſne, an ſymptomaticus? *Criticus* autem a noſtris dicitur, qui productus a natura materiae translatione, morbum ad ſalutem determinat, atque praejudicat: non aliter, quam decreto ejus, qui praeſidet, reus abſolvitur. *Symptomaticus* vero eſt, qui peculiariter a vi morbi, & ubertate materiae proficiſcitur: neque enim natura ad eum producendum intervenit expelliendi functione, praeter quam irritata, & ad opus alienum, & quod ad ſe non attinet, exſequendum per vim, & orgaſmo ſuccorum inſolentium compulſa; ſed nos ſupra plenius utraque diſcrevimus: igitur ſi nunc velimus utrumque dignoſcere, cunctas in hoc *critici* leges expendamus oportet. Vere autem non videtur opus criticum, aut criſis fuiſſe, quod oſtenditur ſecundum criſis inculpatae conditiones, propoſitas a Gal. in *com.* 20. *l.* 2. *aph.* quae ſunt videlicet.

Prima, ut fiat per inferiorem evacuationem magis, quam per ſuperiorem Abſceſſus. Deinde per quam humor noxius, aut redundans, quam alius quiſpiam evacuetur. Tertio, quae recto fit tramite, quam quae non recto. Quarto, qui facile toleratur. Quinto, qui fit cum concoctione, & in decretorio die. Hos omnes operum criſis numeros non habuit hic Abſceſſus. Primo enim eſt in ſuperiore parte potius, quam inferiore, & partis quidem ulceratae oſculum exterius naturalem regionem attingit; interius vero extremum ad angulos adſcendit diaphragmatis; locus ſcilicet a quo putredo exhalans febriculam fovere facile poteſt. Eſt autem hic locus opportunus in fluxionibus pectoris, in quem venae ſine pari ſurculi privatę diſperguntur: unde licet facile ſuſpicari, focum putredinis primarium fuiſſe circa haec loca; ſic locus apparet minime laudabilis, & certe quis non exhorreat perfoſſum Abſceſſu latus, in quod digitalis magnitudinis peniculus adaptetur.

Adde quod Franc. Valleſius, in *com. prog.* ad alias Abſceſſus boni conditiones, requirit promptum effluxum, qui hic certe deſideratur, neque haberi poteſt, ut pote ſub cavitatem vadente ulcere, niſi valida, & vehementi abdominis, & ſubinde diaphragmatis, ut diximus, compreſſione.

Sed

Sed quod ad secundum caput spectat, est & humoris morbifici nulla excussa substantia: etenim & morbum finiisset, & tolerantia sequuta plenior fuisset; febricula abiisset, & omnes aegrae Puellae res meliores jam essent. Quo pacto autem sint haec quando minime cum coctione res acta est. Quinimo si rite summam subducimus, affatim magna crūditas a principio fuit, atque nunc est, Argumento est insignis morbi contumacia; deinde cruditas in pure. Cruditas in excretis, interdum etiam in dejectionibus, sed maxime, in urinis, quas mane ac vesperi cum succo crudo visere consuevimus: quid autem, primam Abscessus cruditatem non memoro, per quam unam nulla unquam apparuit in Abscessu coctio; sed immaturatio longa fuit tanta, ut vix se ostendisset Abscessus, nisi post longa tempora. Porro ut dicam, quod sentio, non minus valuisse morbus, quam natura, super hac Illustrissima Domina, videtur: febris; urina cruda, & purulenta; Abscessus; macies; fluxus ventris; & alia. Natura vero nullos aut sudores, aut hujus generis expulsiones molita est; quae poterant apprime conducere.

Sed, ut multitudinem Abscessus expendam; quis quaeso non videt imparem aetatem novenni Puellae fuisse, ad Abscessum tot jam menses inexhaustum? deinde cui non displiceat, quod perirrhaea, quae ad articulos Abscessus, tum quidem futuros, tum factos, tollit; nihilominus in hac nostra Generosissima languente, neque Abscessum anteverterit, neque minuerit? Hactenus quidem effectores, ac materiam Abscessus prodidimus: forma jam restat, de qua Hipp. *l. 6. epid. sect.* 1. *text.* 31. *tubercula foras extumescentia; & acuminata, in turbinemque gracilescentia, aequabiliter matureſcentia, non circumdura, declivia, & non bifida, meliora; contraria vero mala.* Atqui tumor minime acuminatus, aut declivis, sed planus, & retusus fuit; ergo malus, & *symptomaticus* non *criticus* vere fuit, neque ulceratus. Porro *cruda & incocta*, ait idem Hippocrat. *l.* 1. *epid.* 2. *& in malos Abscessus conversa, aut judicationis ablationem, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivas denunciant.*

Tertio interna ratio *critici* Abscessus non adest, quae est, ut ostendimus, humoris translatio. Nempe si verum est, ut verissimum apparuit, sedem mali primam diaphragma fuisse, & infimum hoc quidem, atque ubi primo conceptum est, ibidem etiam consedit, & hospitatum est vitium. Notam autem omnino bonam ostendemus, proximum esse Abscessum morbi domicilio: quare deficit & hac lege alia crisis.

Quarto quod ad finem institutum Abscessus pertinet, neque levasse visus est admodum: quando & febricula eadem & macies persistat, quod si aliquam euphoriam adstruat quis, id quidem non ulceris, sed potius perirrhaeae merito tribuerim; quemadmodum paulo posterius explicabo: deinde si levamentum concedamus Abscessui relatum, id quidem per accidens admittamus oportet: quia manans, extrorsumque effluens colluvies morbosa, se ipsam minuit & exhaurit, non quod naturae fuerit haec procuratio.

Haec quidem omnia non difficulter suadent Abscessum *symptomaticum fuisse*: quod equidem admittere non dubito, si de Abscessu per decubitum, quo fistulatum est latus, quaestio sit. Verum si effluxum alterum ex adverso spectemus; mea est opinio *criticum* illum esse propterea, quod non aliis quam curatricis naturae viribus factus est: quae vias accommodatas excogitarit ac delegerit; quae per vasa utilis humoris receptacula purulentam substantiam secernat, quae studiose accurateque diu noctuque propellat, & maxime quum exitum per ulcus materia non habuit.

Confirmat autem illud praeclare admodum & singulariter, quod *l.* 1. *epid. sect.* 2.

pro-

propoſuit Hippocrates ; multi urinas profundebant cùm dolore bilioſas , aqueas , purulentas , abradentes , ſtrangurioſas ; quae tamen nephriticae non erant . Quod ſi plurimi unquam evaſerunt ea perirrhaea , quae gravis , & acerba fuit , ſub mala illa tempeſtate conſtitutis ; quid haec expurgatio , quae nullo cum dolore , neque anxietate conficitur ? Vides hoc pacto conſpicue *criticum hunc effluxum eſſe , ſicut alioqui ſymptomaticum decubitum* . Atque adeo tum *criticum* , tum *ſymptomaticum* Abſceſſum ἐπιχοινῶς afferere licet , diverſa tamen hac , aut illa ratione , ſicut audiſti : quamquam eſt contra Ludovicus Duretus , *in l. 2. Coac. praen. c. 4. ſect. 45.* per haec ; *Natura ſi ſua ſponte res gerit Abſceſſum alterutrum procurabit, non utrumque & decubitu factum & effluxu :* verum non injuria ſic Duretus , qui de abſoluta & perfecta criſi pronunciatum id voluit , non de optabili quacumque : omnibus autem modis purulentus is effluxus immeritam mali Puellam ſervavit , ut equidem judico certus , ſine ipſo ſuccubituram ; ut mihi quidem viſi ſexcenti Neapoli ſuccubuiſſe ſalutaris ejus effluxus expertes . Recte igitur Yvannes Doctor Hiſpanus , qui ſummam in hac expurgatione fiduciam ponebat , Excellentiſſimam Puellam curans . Sed en , quod Hippocrates prodidit , modo citato loco *Coacarum ſect. 11. Tumores hypochondriorum recens obortos , inflammationis expertes , & inde dolores natos , ſolvit borborygmus fremens ſub hypochondrio ; maxime ſi aut ipſe per ſe ſecedat , aut cum urinis & dejectionibus : quin juvat is ipſe , ſi modo deſcendit.* Atqui ſimile habet noſtra cauſa : nam & urinae , dejectioneſque , quales diximus , exſtitere .

## *Praeſagium .*

PRaeſagium nos eventus venari volentes , complura ſuadent , ut deliberate ſalubrem concipiamus ; totidemque etiam ſunt , quae ſpei tutae nonnullam diffidentiam offundunt . Illa quae terrent ſunt haec : in morbo longo tum naturae imbecillitas , tum vis morbi ; quae morbi virium exſuperantia cognoſcitur ex Abſceſſu ſymptomatico , & excretione ſymptomatica , talibus a me judicatis propterea , quod a materiae morbificae copia videntur profecta ; deinde quia neuter Abſceſſus , id eſt , cum excretorius , tum per decubitum , inclitam puellam non levarunt febricula , quae & ſuo etiam nomine . periculoſa eſt , ne per hanc longe progredientem diſſipetur humidum nativum particularum , atque adeo corpus tabeſcat . Praeterea Abſceſſus , & excretiones iſtae , per urinam perpetuo majores videntur , quam ut a puſillis naturae viribus tolerari , aut vinci poſſint . In quam rem Ludovicus Duretus *in lib. 3. Coac. praenot. tit. de urinis num. 5.* ait ; *longa tempora , & multi labores morbi infracti , tum colliquatio mala naturae , Abſceſſuum cauſae ſunt , vel minorum , quam ut prodeſſe poſſint , vel etiam ſaepe majorum , quam , ut perferri queant* . Ipſa autem irrita proritatio in nulla ſpe criſis , nec judicata prius , ut certe judicari non poteſt ſine morbi infractione diebus judicibus ; ſemper cietur diſcritice , non raro etiam funeſte .

Neque etiam diſſimulandum illud eſt , quod ſcriptum reliquit Hippocrat. *ſect. 2. Coac. c. 11. ſect. 8. Abſceſſum lethales ſunt illi , qui pus effundunt intro* . Namque Duretus ait , hypochondriacarum partium ſuppurata diffuſa , ut omnia fere ſunt impura , ac magis a corruptione nata , quam a pepaſmo , proptereaque peſſima , ut ne dicantur lethalia ; ſic etiam majore motu terrifica eſſe ſolent , effuſione non tam purulentae , qnam virulentae materiae , quae introrſum delata , non minus ruinoſa etiam partibus , quam illis , unde manat , noxam contractam oſtendit .

Ad haec *ſect. 14. de hypochondriorum Abſceſſibus* , ait Hippocrates , *quae cadunt*

*in*

*in hypochondrium dolorifica mala, tum alias prava sunt, tum vero si faciunt profusiores alvos; propterea quod ferantur chylosae feces ab inflammatione jejuni, aut sanioſa proluvie, cum ab inveteratione causae morbificae jam taedet hepar sui officii.* Ita Duretus *in eo loco*. Atqui obſervatum eſt, ſaepe Generoſam Puellam in dies fere tentatam liquidis fluxionibus alvi, & nunc quidem liquido chyloſis, nunc ſubobſcure. Itaque non contemnendum eſt teſtimonium, hypochondriacum Abſceſſum eſſe, quo correpta eſt Illuſtriſſima Puella.

Verum confirmant noſtram ſpem aliqua ab eodem Hippocrate prolata. Primum *ex Coacis*; etiamnum illud proxime ſuccedens; *ſed tamen eorum, quae introrſum feruntur optimum quidem illud, quod neque dolore neque tumore, neque colore conſpicuum quicquam foris exhibet; contrarium vero peſſimum*. Vide autem, quae in haec Ludovicus Duretus. Deinde Hipp. *eod. tit. de hypoch. ſect.* 1. *hypochondrium eſſe decet molle, doloris expers, aequale*: tale autem ſemper decumbenti noſtrae. Tertium illud *in l.* 4. *epid.* 22. *an judicent autem maturi in morbis Abſceſſus ſignum eſt, ſi dum fervida ſunt mala non febricitarint, & dum moleſta ſunt, facile portarint*. Videtur ſimile quiddam eveniſſe Generoſae Puellae.

Cui, quantum ipſa faſſa eſt, atque ex functionibus apparet, nullus ſibi dolor neque noxa eſt, praeterquam haec tria modo memorata, id eſt, ulcus, urina lurida, & febricula, dictant: ſed enim febricula putribus haeret humoribus, & crudae illi pituitae redundanti, non ſolidarum partium ariditati, noctu dormit, & alia ſigna ſecuriſſima habet.

Sed illud Franciſci Valleſii prognoſtica exponentis ante omnia placet, quod eſt; *inter omnes pueri habent ſaepiſſime Abſceſſus; quia ob voracitatem congerunt ſuccos craſſos, & habent per eam aetatem magnum facultatis naturalis robur*. Id autem, quod maxime noſtros animos in ſpem erigit, eſt rei ſimilis eventus, relatus a Marcello Donato *in l.* 3. *mirabilis hiſtoriae medicae c.* 9. cujus hominis etſi aliquanto fuſiora ſint verba, libet, ut Illuſtriſſimo Excellentiſſimoque Proregi Puellae amantiſſimo Parenti gratificemur, hoc producere; *Vidimus Mae. Domini Romani Aragi amiciſſimi noſtri nepotem, annum duodecimum natum, poſt diuturnam a capite ad pectus decumbentem fluxionem, in qua in maciem univerſi corporis indeficienter aſſociante perductus fuit, derepente in ſaevam pleuritidem delapſum; qua ſuppurata, per tuſſim ſanies plurima excreta. Nihilominus ejuſdem affatu digna quantitas collecta in interiori thoracis cavitate; cujus expurgationem dum omni ingenio tentaremus, ſubortus in eadem parte inter quintam, & ſextam coſtam tumor inſignis, ab internis partibus ad externas, protuberans, qui ſuppuratus eſt: aperto, non ſolum ex tumore ipſo, ſed & ab interna cavitate, pus fluere cognovimus: qua de re opportunis medicamentis applicatis, & ſyphone injectis, licinniſque & turundis, foramine ampliato, & adaperto ſervato, per multos dies, tandem argentea cannula impoſita, ſanies quotidie effluxit; qua ceſſante cannulas demſimus: conſolidatum ſponte foramen, & puer impinguatus priſtinam ſanitatem non ſolum recepit, ſed & habitum meliorem corporis adeptus eſt*. Haec ille; cui ſimilem etiamnum pueri hiſtoriam, feliciter ex umbilici Abſceſſu ſanitati redditi, retulit Diomed. Cornarius, *obſ.* 31.

Sunt jam pro ſpei, metuſque, cauſa relata bina praeſagia: verum non ita ut noſtram ſententiam deliberate aperiremus. Hoc igitur ut libere faciamus, illud primo diſtinguimus, eventuros caſus morborum eſſe triplices, ſententia Celſi, *lib.* 5. *c.* 26. inſanabiles, promptam curationem habentes, & difficilem. Equidem ajo, e neutro externo genere affectionem hanc, ſed aegre curabilem eſſe ſic, ut periculoſa ſit, ne vires evacuationi tam multae ſuccubiturae ſint, & colliquatio ſit a

fe-

febricula ſequutura; nihilominus nil vacillans, ſed Hippocratis moniti reminiſcens ſtatuam; Abſceſſus ad ſuppurationem, & circa laterum mollitudinem diuturnos, atque aegre curabiles. Quoniam autem ita tempus definitur, non exitus; ſi finem atque modum urges enunciem, eo propoſito, quod docuit Joannes Heurnius, citato loco, in cruda, & contumaci materia, & meatuum anguſtia, non criſis quidem, ſed Abſceſſus potius fit, modo natura viribus integris propugnet: ſi illa fatiſcat cachexiam expecta & corruptionem, niſi tamen poſtea exacerbentur, ut in Cleonactide octogeſimo. Revoco in memoriam Puellam hanc ad augmentum properare virium, & ad caloris nativi modum acutiorem. Itaque fieri poterit, ut adveniente majori robore naturae crudiuſculam hanc materiam ſubigat, concoquat, expellat. Adjuvabit autem ad hoc rei proximum ver, quod hoc noſtro coelo eſt tepidiſſimum, & ſuaviſſimum. Favebunt & remedia, quae mox referam annuente numine. Sed prius indicationes inveniamus.

### *Indicationes curandi.*

QUoniam quidem principio conſtitutum fuit, caput, & ventriculum huic Illuſtriſſimae Puellae non nihil a mediocritate qualitatum, & aequa temperie receſſiſſe, debilitatemque nonnullam adſciviſſe, unde cerebrum quidem fluxiones ad ſubjectas partes ſaepe mittit; ventriculus vero, & naturalis haec oeconomia diminute concoquit; unde e caeliaca interdum, & crudum in urinis excrementum emanat: interea vero ſic ulcus, & febriculam obſtructiones in infero ventre, fovent. Ob haec conſentaneum rationi fuerit, & maxime requiſitum, ut caput & ventriculus roborentur; quo vividior redditus calor nativus, alimentum & primum, & ſecundum, tertiumque, concoquat, emundet ſuperfluitatibus ventres ductuſque; ut quae inde alitur febris retroſublabatur ac deleatur.

At ulcus interim ut coaleſcat, debent exhauriri fomenta, purgari ambitus eidem, & intemperies omnes eximi.

### *Curandi ratio.*

HI quidem omnes ſcopi multa, & gravia remedia poſtulant. Verum quia tenuiſſimo corpore viribuſque puſillis eſt, quaſſata bienni malo Puella: commodum fuerit, & maxime commendabile, ſi & paucae numero ſint medelae, & ſine vi praeſtabiles & efficaces: adhaec magis ut naturam defatigatam & languidam inſtaurent, reficiant, roborent, atque confirment, quam conturbent, vacuent, faſtidiant, & humores cum vi percellant. Sunt quidem aſſumenda per os pharmaca, quae craſſa incidant, obſtructa reſerant, ſuperflua vacuent: ſed lenia ſunto, & quae a natura non inique ferantur. Hujuſmodi fuerint *Serapium Nicol. Florentini*, *compoſitum e Cichorio*, *&c.* qui omnibus noſtris votis ſatisfaciet. Hoc ad omnia vix aliud inveneris praeſtantius: poterit autem ſi libeat duplicata doſi commiſceri *rhabarbarum*, quod tam probatum eſt, & a doctiſſimo noſtro Archiatro audio tam impenſe laudari. Hoc, in hebdomada bis aut ſemel, modica licebit offerri portione, dum interim *aquam decoctae rad. Chinae* & ad febriculam & ad maciem tum in prandio, tum in caena potarit. Roborabitur caput interne *Julapio Myrobalanorum*, *vel Myrobalanis ipſis*, *conditis Chebulis*. Externe ad ſtephanaeam *emplaſtro Dialimacum Alexan. Tralliani*: ſtomachi regio *gummi Tacamahacae emplaſtro*, quod miris laudibus exornant rerum Indicarum ſcriptores. Hiſce medicamentis tranſiget hyberna, quae reſtant, tempora. Appetente autem jam vere, & menſe Majo, & Junio, cum erumpent Aenariae remedia,

dia, ad haec accedito ; Puella mergenda in multos dies Balneo Gurgitelli , cui mirae sunt dotes restituendi lapsa corpora , vindicantque a malis multiplicibus . Porro naturalia non immerito dicta sunt haec remedia , tum quod naturales vires habeant instaurandae salutis humanae , tum quod naturam corporis languentem ab omni periculo tueantur . Has ob res confidenter his uti praesidiis debebit : fiet enim per haec rite recteque adhibita, ut optatam opem sentiat .

Post haec in balneum, quod dicitur fontanae, triduo se demerget: cujus aquae natura medicatae, corporis omnem intemperantiam coaequare creduntur.

Hanc equidem confido futuram rationem , qua dignissima salute Puella plenissime convalescat, & sua Parentes Illustrissimos, Excellentissimosque, & nos omnes addictissimos suos homines, compleat immensum duratura laetitia.

*Exitus morbi supremus .*

HOc quidem universum nostrum affectionis examen , judiciumque fuit , nulla sui parte, sic me Deus amet , immutatum , neque recusum hoc tempore , quae inclinatio est morbi. Cujus ejusdem status praesens ne in ancipiti relinquatur, docendus est quisquis historiam curiose legit . Scire igitur licet Excellentissimae Puellae hodie , qui decimus est Martii , post multa quidem , abiit febris , obductumque est ulcus sua sponte, neque impeditum propterea , quod nil ad dies viginti duos manaret , contractumque in se apparuit , sed nihilominus lotia nec dum hypostasin abjicere limosam , interdumque violentam : quam rem advertens doctissimus Santorellus , & expurgandum resiguis superfluitatibus corpus , & *lac Asininum, ferumve Caprinum*, propinandum proposuit; aliis volentibus totum naturae negotium permittendum, cauteriumque excitandum. Sed hi quidem in tibia, hi vero in brachiolo, capiti consulentes, excavandum volebant. Ego praeter haec usum *Aloës lotae in catapotia* , quod praestantissimum adversus urinarum virulentiam, a Carolo Clusio, historiae stirpium exoticarum scriptori, positum est medicamentum plane mirificum; nec non *decoctum Rusci*, quod ad ducendas urinas, a Dioscoride propositum est, laudavi; caeteris omnibus ad primam meam sententiam remissis.

Atqui his extremis diebus saturnalibus status fuit, usque ad nonas Aprilis, quae mensis aut paulo amplior intercapedo fuit ; quo tempore non adhuc plene obducta cicatrice (quod equidem aliquando suspicatus fueram, sed ne malum ominarer aperire abstinui ) dirupit ex improviso nocturna manatio , qua fasciolae & interula non leviter maduere ; verum tamen sine ulla vel praecedente , vel subsequente febricula, vel dolore: & quae vetus non tam admiratio , quam observatio , nostra fuit, purissima & inculpata urina mare prodiit; non sic autem postridie, ac deinceps , quibus diebus non tantopere manavit ulcus , quod tamen expresso ambitu non nihil reddidit exili forulo, ac vix adspectabili . Interim Puella nil ulla parte mutari, vel quid incommodi sentire, sed quasi nihil obtigisse, laeta vivere, colludere cum suis, & jocari, salire etiam rithmice & cursitare, sicut animi gratia fit, & agilis esse, quod Excellentissimis Parentibus nullo non solatio fuit.

Adeo scilicet ex crudis superfluitatibus; & e locis ventriculo affinibus, manatio haec subputrida proficiscitur , ut equidem principio statui : neque aliquid in dies novum apparet aut fit, quod nostram de affectus sede, deque affectus generatione, opinionem etiam atque etiam non confirmet.

FINIS.

# DE ABSCESSU PER CONGESTUM

Liber Unus, qui est Operis de Abscessibus II.

## MARCO AURELIO SEVERINO

## AUCTORE.

*Commendatoria Libri Praefatio.*



Criptores, qui de re medica, miseraque aegrotantium sorte bene mereri studeant, eos maxime affectus enarrare, rectèque curandos docere debent, qui plurimum seu gravitate, seu contumacia torquent: de mediocribus malis satis esse possunt, quae vel unusquisque tradiderit. Non est me judice leviter, & obvia quaque mentis cupidine, inficienda pagina. Quae plurimi momenti sunt, ea duntaxat ad posteros sunt transmittenda. In re medica chirurgicaque qualem hodie faciunt, vitium est solenne multorum in his, quae perviae sunt notitiae, laborem, & operam, ponere; quae remotiora sunt a vulgata plurium comprehensione non attingunt. Itaque tumores secundum quaternionem unum humorum ordinaria ratione conscribunt, atque disceptant: selectiores, & usu vel dignoscendi vel curandi difficiles, minime perveſtigant, aut tradunt. Calidos igitur unusquisque versat, &, qui sunt per influxum, frigidos: at vero qui private creantur congestu, neque norunt omnes, neque aliis noscendos est qui curet. Desideratur autem haec contemplatio non parum, tum quod obscuri sunt hi, tum quod mediocri diligentia tractati, vix elevantur quicquam, & infringuntur; nimirum obsistentiore causa nituntur. Horum igitur comprehensio cum tanti referat curando, visi nobis sumus operae pretium facturi, si quae comperta sunt nobis e re ista, nostros homines, qui dignarum rerum studio tenentur, non celarem, verum accommodate quantum licet, rem aperirem; licet autem brevi & simpliciter: nam satis est indicasse necessaria. Porro non mea fuit unquam scribendi ratio, quae non summopere in rem faciunt undique corradere, & comportare; veluti, qui stomacho, & gulae quaecunque sapiunt, immittit vorax: sed faciam, ut qui sobrie tantum accipit, quantum est satis.

### CAP. I,

*An sit ejusmodi Congestio.*

Est nostrum argumentum Tumor a Congestu, cujus thesis particula prior quantum exploratissima est, tantundem obscura est altera; quae, judicio meliorum, est coacervatio humoris vitiosa paulatim in aliqua parte corporis facta, dum tumorem creet; res, inquam, adeo incomperta, ut fictitiam & imaginariam censuerit Joan. Argenterius: cujus quidem rationes nisi nos audiamus principio, frustra fortasse nostrum totum opificium exstruamus: praesertim quando sunt ejusdem firmamenta tam solida, ut rem videantur eviciſſe; praeterquam quod haec contro-

troverſia, & alio nobis utilitatis uſu, cernenda eſt: nam quemadmodum ex chalybe, ac ſilice, colliſis invicem ſalit ignis, ſic ex diſcuſſa plurimum, & exercita, duarum opinionum ambiguitate, vivida quaeſiti veritas eluceſcit.

Eſt Argenterii prima ratio deſcripta *in commentariis artis medic.* quod novus hic in partem caſus tumoris, non a parte oriri, vere cenſendus ſit; quando quidem haec ſibi ſimilis fuit: niſi autem fuit perpetuo, ac paulo etiam ante ſimilis, unde quaeſo nova illa labes fuit? Si ergo conſtans diu ſibimet ipſi fuit pars, huic extrinſecus aegrotandi fuit occaſio, non intrinſecus. Igitur ab affluxu, non a congeſtu. Rurſus ſi vitio corruptae nutritionis fit tumor parti, quomodo idem non & interiori ſubſtantiae partis innaſcitur, ſed externe inducitur? Item quomodo non excreſcit in immenſum, ſi non emendatum eſt ſemel nutritionis ejuſdem vitium? Has ob res contendit hic vir figmentum hoc eſſe rationis, non conſtans opus: a quo errore maxime cavere jubemur monito Hippocr. *lib. de decenti ornatu; & l. de praeceptis.*

Haec, & alia quaedam, congeſtionis evertunt modum. Nihilominus Galen. 2. *diff. febr. c. ult.* & 13. *meth. c.* 3. & *in c. de therapia per ſang. miſſion.* & *l. de cauſis morb. c.* 7. in primis vero in *l.* 2. *ad Glauc. c.* 10. perſpicue profitetur, & congeſtione, & defluxione procreari tumores, his certe verbis; ſive inflammationibus etiam Abſceſſuum affectio conſtitit ex multitudine quorundam humorum, aut ſpirituum vaporoſorum, ſive in ipſis patientibus partibus generentur, aut ex aliis confluat ea ratione, qua fiunt illa, quae decubitus vocant.

Nec tantum Galenus, ſed & exteri, & contrariae factionis viri, congeſtionis rationem tuentur. Primum nomino Fernelium virum, qui Galeno nulla in re parcit *l.* 7. *pathologiae cap.* 1. haec ſcribentem. *Congeſtio* praeter naturam ſenſim fit ex humoribus in partem alimenti vice diſtributis. Quum enim pars vel ita imbecilla eſt, ut id ipſum corrumpere, nec genita excrementa a ſe propellere queat; neceſſario praeter naturam congeſtio quaedam fit. Meminit & per congeſtum tumoris Ludov. Duretus graviſſimus enarrator Hippocr. *coacarum praenot. l.* 11. *c. de hypoch.* §. 2. cum tumorem definiens ait; Moles contra naturam, vel quae humoris affluxu vel congeſtione aſſurgit. Hujus etiam ſententiae videtur, & Avicenna *c.* 1. *ſen.* 2. *doctr.* 2. *&* *c.* 1. *ſent.* 4. *do.* 5. *c.* 25. & hunc auctorem ſequuti enarratores omnes, Dinus, Gentilis, Jacobus de Partibus, Nicolaus & Thadeus, *in artis medicae l.* 3. *text.* 155. Petrus Aponenſis *in commentariis ad probl. Ariſtot.* ſed quid Medicos nomino, quos poſſem numerare quam plurimos? Favent & ipſi Philoſophi; primus Averrhoes qui *l.* 7. *colliget c.* 5. inquit, apoſtemata generari in membris duobus modis; uno modo quando expellitur vel defluit ad aliquod membrum humor; alio modo generantur apoſtemata, quando membrum non poteſt dirigere cibum, quod ei mittitur, nec ipſum permutare in quantitate, aut qualitate, nec ipſum poteſt expellere: tunc materia augmentatur in membro illo taliter, vel accipit dilatationem in omnes tres dimenſiones, & extinguitur ejus calor naturalis ejuſdem membri; & generatur in eo calor praeternaturalis, propter neceſſitatem materiae extraneae.

Sed & ipſe Ariſtot. *ſect.* 9. *problem. ult.* ut & Nicolaus Florentinus interpretatus eſt, collectionem humoris citra defluxum confirmavit apertis verbis, quae non erit abs re plenioris teſtimonii gratia recitare. Cur ictus (ait Philoſophus) tumorem livoremque ſuſcipiunt? An quod de loco percuſſo humores diſjecti in loca proxima ruunt, in quibus offendentes retorquentur? Itaque conjuncta, conglutinataque humorum copia, tumor per collectionem exſurgit, &c. In quo loco Petrus Aponenſis tradidit & ſuam ſententiam, quae eſt. Fit tumor in parte vulnerata,

quia cum membrum ſit infirmum, fit aliorum membrorum ſuperfluitatum receptivum. Rurſus, quia ſuum non poteſt dirigere nutrimentum, & ſibi aſſimilare, convertitur in ſuperfluitatem apoſtemantem &c. Ejuſdem ferme ſententiae fuit & Jul. Guaſtavinus Profeſſor Piſanus, Philoſophus & Medicus aetatis noſtrae praecipuus. Habes jam Philoſophorum, Medicorumque, ſuffragia: quibus omnibus conſtabilitam de neceſſitate congeſtionis opinionem, velis ipſe propter unum diſſentientem Argenterium non amplecti? objecta autem hujus viri dilues facile, ſi non dubitaveris illud firme tenere, quod eſt; non e partis vitio praeciſe humoris evenire generationem, ſed ex adveniente etiam alimento, aut recremento ejuſdem tum modice, tum etiam maxime, peccante, cieri Congeſtum. Conficeret autem argumenti vis, ſi quando nos a parte tantum formaliter vitium evenire ſtatuiſſemus: ad illud autem, quod excitaretur intimae partis ſubſtantiae tumor, equidem dico, & ita interdum evenire, ut in Abſceſſibus oſſium, quae & apoſtema pati controverti quidem acute, ſed non negari vere, poteſt. Ph. Ingraſſiam legite ea de re *l. de tumor praeter natur.* ſed & *Conciliatorem diff. 96.* Demum quod ad illud attinet, quod excreſceret in immenſum tumor, ſimiliter & hoc aliquando fieri concedimus. Nempe videre licet Neapoli *naptam* in ilio cujuſdam egeni, quae utrem ex arietis corio aequat.

Caeterum Argenterius neque meminiſſe videtur ejus Congeſtus, qui debilitato jam, ſed ſano poſt ictum membro, diutiſſime ſuccedit. Hunc autem ſi inficietur, nemo eſt, qui pervicaciae intolerabilis hominem non inſimulet.

## CAP. II.

### *Congeſtus aliquot genera, & Tumorum ejuſmodi plurimorum enumeratio.*

HAec pro defendendo communis ſententiae Congeſtu produxi; jam non dubius, quod impar tot Virorum teſtimoniis unius Argenterii apparuerit opinio. Quod ſi quis homini ſuffragatus obſtinate placitum ejus retineat, anne igitur ex toto, rogaverim, Congeſtus nomen eſt abolendum? An vero ſecundum idem nomen non diſplicebit fortaſſe quod poſſit eſſe Congeſtus quidam cum pauciſluo aliquo, ſed longo, defluxu: ad hunc modum Hippocrati, 3. *epid.* & Lud. Dureto, *in lib. 2. coac. c. 11. §. 10.* duplex eſt fluxus, *ἰρμώμενος καὶ συνισάμενος*, id eſt, concitatus, & conſiſtens: concitatus quidem eſt, qui paulatim & ſenſim, ſed neque ſenſibiliter fit adeo, ut poſt multum temporis tandem, non ante, adſpectabile cognoſcatur ejuſdem incrementum. An igitur hos ex lento affluxu Congeſtus conceſſerimus? quid ni, inquam? ſed appellativos, & ut dicunt denominative generationis via productos tumores plane quam plurimos, quos poſtea recenſebimus, admiſſos, ut videtur a Fallopio, *l. de tumo. c. 15.* Joannes quoque Heurnius *in comment. aph. 60. l. 6.* congeſtionem mucorum in Iſchiade cognoſcit.

Poſt hos erunt & alteri proprie dicti: id eſt, quos legitimus, & evidens Congeſtus, conſtituit.

Tertii autem erunt utriuſque, id eſt, tum Influxus, tum Congeſtus veri participes, & promiſcui.

Quarti dubii quidam fuerint, id eſt, num hujus, num illius ſoboles.

Haec equidem ita diſtribuere viſum eſt, ut cunctis medicae rei ſtudioſis unum quemlibet iſtorum ordinem, veniente uſu, diſtinguere, diſcernereve, ſit facile. Placuit autem eadem doctrinae perſpicuitate, atque evidentia, ſingulorum digeſtis quaſi tabulis ſeriem aliquam exponere ad hunc modum.

Ex

*Ex paulatino, quem dicunt, influxu.*

Rhaeas.
Palpebrarum ſcirrhi, verrucae, chalacia, ordeoli.
Polypus, & verrucae, narium.
Strumae, glandulae, bronchocelae.
Haemorrhoides vulvae, condylomata, mariſcae.
Therminthi, tophi articulorum.
Unguium fici.
Scirrhi, & verrucae partium extremarum.
Ganglium Aeginetae.
Tubercula in ulceribus ſubnaſcentia per hyperſarcoſin quandam: cum quibus ulceribus tum fiſtulas, tum vulnera, comprehendo.
Verrucae unguium.
Cornua.
Cercoſis, nymphomegethos, mola ſchirrhoſa a crebro, taedioſoque, partu.
Perniones, & calli pedum.
Luis Venereae gummi.

*Proprie dicti.*

Tumores ex imbecillitate partis etiam poſt longum tempus ictae.
Atheroma, ſteatoma, meliceris, ut ſentit Fallopius, *Tr. de tumor. cap. 4. & cap. de nodis, quod eſt ordine XV.*

*Promiſcui.*

Tinea.
Parulis, epulis, ventoſitas ſpinae.
Napta vaſtiſſima.
Thymia.
Varices.
Scroti recidiva ad hydrocelem, & ſarcocelem.

*Dubii.*

Hydrocephalon.
Talpae, & teſtudo.
Abſceſſus frigidi vulgo dicti.

## CAP. III.

*De materia Congeſtus propria.*

QUidam opinati ſunt Congeſtionis nullam eſſe materiam forma gaudentem humoris, ſive nutritii, ſive excrementitii naturalis; ſed omnino eſſe ſuperfluitatem improbam, quum reduci tamen poſſit in formam humoris analogi ad alimentum, cujus eſt ſuperfluitas: ſecundum quam analogiam quaedam ſuperfluitas dicetur bilioſa, quia refert naturam bilis; deciſa ſcilicet de alimento maxime bilioſo. Alia ſuperfluitas eſt ſanguinea, quae referet naturam ſanguinis; deciſa ſcilicet de alimento maxime ſanguineo. Alia eſt ſuperfluitas pituitoſa, quae referet naturam pituitae; deciſa ſcilicet de alimento maxime pituitoſo. Alia demum eſt ſuperfluitas melancholica, quae referet naturam melancholiae; deciſa quippe ab alimento maxime melancholico. Profecto ſcripſit alicubi Avicenna ſuperfluitatem omnem referre ſemper id, cujus eſt ſuperfluitas.

Alii voluerunt, materiam congeſtam eſſe ſuperfluitatem unam e tribus humoribus; puta bilioſam, pituitoſam, melancholicam, at non certe ſanguineam: ex hac enim materia nequaquam dant fieri congeſtione phlegmonem. In quam rem, inquiunt, inſpiciens Galenus, 13. *meth. med.* dixerat, phlegmonem omnem ex defluxu fieri ſanguinis. Quem locum ex adverſo interpretantes alii, quorum primo facta eſt mentio, dicunt id intelligi ſecundum plurimum fieri phlegmonem ex defluxione; raro autem congeſtione.

Alii

Alii tertio crediderunt congeſtionis omnem materiam eſſe pituitoſam ſuperfluitatem, perſuaſi ab eo, quod potiſſime congeſtionis cauſa eſt imbecillitas partis, quam imbecillitatem copia ſequitur pituitae, non aliorum humorum. Interim non advertunt hi materiam, quae in cavitatibus & conceptaculis corporis communibus acervatur, poſtquam adaucta capi ab his aut contineri non poteſt, refundi ſtatim ad cavitates, & poros loci particulares, & huc conjectam excitare larga congeſtione tumorem. Horum mihi ſententia omnium probatiſſima videtur.

Hae materiae ſunt Congeſtus ſecundum ſententias aliorum; qui tamen haec aſſerentes, intellexiſſe videntur ichores humorum, qua autem cauſa certum non eſt; at fortaſſe, quia tenuiore ſubſtantia minime videntur accommodati, ut loco conſiſtant, & compingantur: ad quem effectum craſſities, & lentor, apprime facit, ſed enim poſſunt ichores ex craſſis humoribus deducti, tum conſiſtere, tum adhaerere; praeſertim cum extra locum proprium refriguerint: dicuntur autem hi tenues non ſimpliciter, ſed ad ſuas primigeniorum humorum ſubſtantias comparati; nam & ſudores craſſi ſunt interdum, etiamſi dicantur ichores: itemque puerorum achores, ceria, favique, ſunt quidem ſanguinis, & humorum ichores; tamen craſſi ſunt ita, ut cruſtulas, & ſquamulas, producant. Denique ichores humorum mali ad externum habitum corporis propulſi, cutaneos affectus, graves, & contumaces parere conſueverunt; qui non fierent utique, niſi craſſitiem nonnullam haberent iidem. Jam igitur ſi craſſities requiritur Congeſtibus, & haec ichoribus non deeſt, poteſt & ex ichoribus Congeſtum eſſe materia. Atque hactenus naturalis omnis humorum ſyſtaſis ſubſtrata jam apparuit Congeſtibus, & comparata.

Praeter haec autem & ſpirituoſam horum affectuum interdum dari materiam, non eſt quod vetet; deprehendi autem hujus rei notitiam, quod ex ictu debilis reddita pars reſtat inflata diu, atque etiam in longam aetatem, & perpetuo: quae res evenit Reverendo Sacerdoti Benedictino, D. Petro Neapolitano, cui ex fortuito caſu diruptum tranſverſum mentum, qua dentium & barbae confinium eſt, coalito jam ulcere, poſt multos annos reſtitit aedemate ſic, ut multis remediis tractatum inſigni perduret extumeſcentia notabile.

Superſunt humores a natura alieni, & jam putres, quos dubites, num ad Congeſtum faceſſere poſſint; ſed videtur tamen affirmandum propterea, quod tubercula exſurgentia in ulceribus ex Congeſtu ſaepe, non ex influxu videntur profecta. Item eorundem ulcerum ſordes, quemadmodum obſervatione quotidiana comperimus & ipſi, in tuber coaleſcit: ad haec, humores Venereae luis inquinamenta etiam in Congeſtum, abductumque mediorum oſſium, abire faſſus eſt Gabriel Fallopius, princeps noſtri ſaeculi Phyſicochirurgus.

Eſt inter haec ventoſitas ſpinae connumeranda; tumor ex congeſtione naſcens humoris putridi, partim pituitoſi, partim ſanguini reſpondentis. Argumento eſt, quod vitium pueris eſt familiare, de quo ſi dabitur, etiam poſt haec tractabo.

His oſtenſionibus omnibus conſtat, vix aliquem eſſe ſuccum a natura alienum, qui congeſtionem ad eum, quem dixi modum, committere non poſſit.

CAP.

## CAP. IV.

### *De Cauſis effectricibus.*

HUc uſque de his fere, quae pertinent ad materiam pleraque diſputavimus: ſuccedit nunc, ut cauſas effectrices explicemus, quas effectrices, quoniam quidem ante dixeramus facultates particulae malae affectae praeſidentes. Tempeſtivum erit in praeſenti definire, quarum vitio fiat Congeſtus; neque enim omnes auctores una in re conſenſerunt, & in varias ſententias abierunt. Galenus enim primus, & hunc ſequutus Avicenna; locis a me principio recitatis, cauſas non agnoverunt alias, quam imbecillitatem concoctricis, & expultricis facultatis, ad particulam incubantis. Alii vero, inter quos eſt Jacobus Vecherius, *in pract. medic. generali*, vitium retulerunt ad alteratricem. Alii vero ad aſſimilatricem, incerta ſuorum ſententia an ſecreverint has potentias a concoctrice. Sed & Gabriel Fallopius, *lib. de tumor. praeter nat. c.* 3. cauſſam aliam recenſuit anguſtiam meatuum, qui non pateant excrementis excutiendis; atque ita, inquit, extumeſcere comperti ſunt teſtes obſtructione meatuum naturalium; atque, addit ad deficientem tranſmiſſum excrementi craſſitiem, exemplum ponens ſeminis, quod, cum ſua ineptitudine non expellitur, teſtium excitat tumorem. Ad haec numeravit & validam retentricem, quae non ſolum id quod utile, ſed etiam id, quod inutile retineat. Verum ego Fallopium quaero, quare & non validam attractricem accenſuerit pariter, cum nullum ſit inter utraſque diſcrimen; neque major ratio ſit unius, quam alterius? Mea brevibus eſt opinio, cum antiquis ſentiendum, id eſt, in concoctrice & expultrice conſiſtendum: viae autem ad expultricem referri commode poſſunt.

## CAP. V.

### *De Cauſis aliis ſpeciatim.*

HAec de praedictis cauſarum generibus ſatis ſunto, quae communiorem & promptiorem habent apud omnes contemplandi rationem; ſecretiores enim & exquiſitiores ſunt, quae mox ſequentur. Enimvero una eſt cachexia, quae veluti fons uber ſolet plerumque materiam ſubminiſtrare crebrorum abſceſſuum, ſive ſit vitio male affecti pulmonis, ventriculi, jecinoris, lienis, uteri; quam unam cauſam attigiſſe viſus eſt Hippocr. *l.* 2. *prorrhet.* 17. Porro ex phthiſi obſervavi equidem multos, tuberculis externo pectore infeſtatos, inter quos unus quidam adoleſcens auditor meus, cui mirum quam multi hinc atque hinc exſurgerent: propterea crede, quod aura illa venenata quocunque exſpiraret, humores, carneſque inficeret, & ſuo veluti fermento ſublevaret: mirum enim ut nulla unquam in abdomine atque inferioribus artubus *Phymata*, ſed ſolo thorace anteriore, poſterioreve, & brachiis, creberrima ſpectarentur; uſque adeo ut eſſet miſerabile, ut uno vix finito mox erumperet alterum. Quam Abſceſſuum facilem eruptionem etiam obſervare ſolitus ſum ex vitiis internorum oſſium, ſeu brachiorum, ſeu crurium, ad exteriores horum partes obrepere. Intima quippe mephitis continuo exſpirans, ſimilem ad ſuam putredinem exteriora trahit; neque poteſt una pars corporis praecipua communitate, quam cum univerſitate habet, reliquum ſanguinem non inficere; ex quo adjecto pro nutricatu partis & minime commodo, ſed alieno, movetur jam ferveſcente ſuppuratio. Itaque partim halitus virulenti coinqui-

na-

natione, partim ſanguinis & humorum putrium materia, ut & malus corporis habitus, iſthaec *Phymata* procreare poteſt. Item poteſt, & cauſa eſt, ſanguis infectus a lue Venerea confirmata, cum quo marceſcens etiam corporis habitus conjungitur proprius.

Ad haec & veneni, quod non occidit quidem reſidua vis, ſed, quod corporis intimi ſtatum dexterum evertit: poteſt ſiniſtre coaffectum alterum externum pravorum ſuccorum affuſu, & fermento, *Phymata* ſuſcitare; ſic & morticinae carnes, & cibi cacochymi, cacochymiam parientes.

Poſtremo, quando cauſae omnes hae deſint, eſt una & a paucis (ut a nullo ne dicam) obſervata, quam primus Hippocrates docuit, ſuique ſtudioſi comprehendunt; tradux, inquam, a parentibus character, quibus ſcilicet genitura fuit humidior & vitioſa: quemadmodum enim figuram partium communicant genitor, genitumque, ita & aliis conditionibus, quae ad bonam malamque valetudinem, robur & infirmitatem, ſpectent; ad ſummam enim ſemen materia eſt, quae manet & a mala ſemente non eſt laeta ſeges exſpectanda: quo Mantuanus Poeta poſterior,

*Qui viret in foliis, venit ab radicibus humor;*
*Sic patrum in natos veniunt cum ſemine morbi.*

Fit tamen interdum, ut cum neque pater apoſtemoſus fuerit, tamen apoſtematum patiendorum materiam filio tribuerit; cacochymo alioqui ſpermate. Et fieri etiam poteſt, & cum apoſtemoſus ſit parens, talem etiam filium produxerit: quam utramque rem obſervavi quidem non ſemel.

Praeterieram, quae tamen affinitate rerum ſubiit, cauſam aliam, neque etiam a noſtris animadverſam, aut ſaltem nunquam, quod audierim, memoratam, male perpurgatorum exanthematum i. e. variolarum & morbillorum, itemque ſuperfluitatum, quae pueris & infantibus ſolennes ſunt, naturae valentis excretiones: quas, qui non experiuntur, eorum nemo peculiares quoſdam Abſceſſus (poedarthrocacen a nobis vocatam affectionem) evadit: tamque mihi certa & explorata res eſt, ut cum pueri offeruntur hiſce malis vexati, continuo divinare poſſim, certus eaſdem vel paucas vel relapſas intro ſenſiſſe hujuſmodi excretiones: fit autem ut, ſuppreſſis hiſce putridis excrementis, coinquinatus ſanguis, cum a natura vividiore perceptus eſt & adverſus, diſſimulari non poſſit labes; ſed e verriculo quodam ad habitum carnium, coacta congeſtionis aliqua ſumma, trudatur.

## CAP. VI.

### *De Forma, & Proprietatibus iſtorum Abſceſſuum.*

A Vicenna *l.* 4. *fen.* 4. *tr. c.* 1. cum ad differentias tumorum deſcendit, hanc Abſceſſus diviſionem prodidit; nobis Apoſtemata omnia aut calida ſunt, aut non calida; quaſi volens quidem Abſceſſum omnem eſſe, aut ex humore calido, aut frigido, extremis iſtis qualitatibus abſolute ornatum: verum quod equidem adverti velim, dicere maluit non calidum, ſignificans, ut metipſe *l.* 1. *fen.* 2. *doctr.* 1. *cap.* 5. declaravit, Apoſtemata omnia non calida; quidem per eſſentiam, ſed ex continenti frigida cauſa profecta non ſic omnino eſſe frigida, ut putreſcendo ac ſuppurando nequeant reddi calida; quemadmodum multa temperamento quidem frigido, vetuſtate fiunt rancida, atque adeo calida: quippe ſicut haec materiae ratione ſunt frigida, ita accidens nomine ſunt aliquo pacto calida. Sic porro admiſit ex accidenti calidos, & eos, qui perpetuo perdurant frigidi, non excluſit e tumorum genere.

Por-

Porro nos congeſtiles hos Abſceſſus frigidos natura ponimus ; quippe qui diuturni perpetuo frigidas cauſas agnoſcant, oportet. Deinde videtur & ipſorum propria peculiariſque ratio frigiditas ; propterea quod nullus generando dolor , nullaque febris, aut febris praenuncius rigor, inſequitur . Hae quidem a cauſis , & a generatione ſunt a priori oſtenſiones : ſunt autem & a poſteriori , quod frigidas omnes ſymptomatum exhibent notas, & nullas omnino calidas ; puta doloris , inflammationis, ruboris, pulſationis, atque uno verbo dicam , fervoris , & acrimoniae ; verum diuturno tempore ſi in ſuppurationem abire debeant , hoc tacite facient ; concolores erunt, compreſſi planique facie, minimeque ſecundum cutem extenuati : ſaniem vero crudam , ichoreſque aperti reddent ; ſeu duri ſeu molles in parte corporis laxa, proclivi, debili, & manus digna , nati ; eſt & his peculiare inſenſile incrementum ; *creſcit occulto velut arbor aevo* , quod alicubi Flaccus ait . Contra vero ſe habent , qui fluxione procreantur : ſiquidem haec , ut praemonuit Fernelius affatim fit , & ſenſum ſui permovet , & mutationes graves , & non occultas refert, maxime ſi calida ſit : nam & clara etiam indicia ſui profert a ſucco frigidiore manans .

Habes jam de frigida Congeſtorum natura demonſtrationem ; verum ideo non inficiamur hos interdum accendi ſic , ut colorem concipiant , & ſuppurationem experiantur. Etenim in aliqua paratiore multiplicis humoris congeſti portione ſuſcitata ex obliquo putredo, fermenti modo totam & ſui ipſius permiſtione & halitu maſſam infarctam in ſuam , quae calida & ſemiputris eſt , naturam trahit ac rapit ; verum accidit etiam ejuſdem materiae inertia , & acrimoniae vacuitate, ut nullum unquam ad putridam affectionem arripiat gradum : quod utrumque tum in Abſceſſibus atheromatum, tum in luis Venereae gummi videre licet .

Alius quoque character iſtorum Abſceſſuum eſt , quod in una quapiam civitate private ſe congerunt iidem , id eſt, inter cutem, & carnem ; inter carnem & vaſa ; inter ſpatia muſculorum & alia. Porro ſunt & alterius generis Abſceſſus, qui calidi cum ſint inſigniter , carnes inflammatione correptas, & in pus verſas, atque liquatas cum nobili ſubſtantiae detrimento relinquunt : quod in Abſceſſibus ſub cavitate naturali congeſtis non reperies ; niſi ſi ex longa ſaniei coinquinatione , & contrectatu , id evenerit . Porro *Cyrtomata* haec appellaſſe mihi viſus eſt Hippocrates , quod ſublata e carnibus cute, gibboſin quandam varicibus ſimilem referunt .

## CAP. VII.

### *De Generationis modo.*

PHiloſophi , diſquiſitores naturae rerum exacti , lapidibus , metallis , unguibus, & pilis ; corporibus nimirum , quorum nulla vegetatio eſt ; etiamſi vulgo appareant augeri , nihilominus legitimum augmentum denegantes , decreverunt illa , quae ſenſus monſtrat , incrementa fieri ; quod his ſubſtantia conſimiles particulae . a ſua ſingulorum ſcaturigine, aggregentur, & compoſitae compingantur , extrinſecus quidem non intrinſecus additis incrementis . An igitur ad hunc modum fit Congeſtus noſtri procreatio ? ſed certe ſecus apparet inſpicientibus nobis intime rem : differunt autem utraque in pluribus . Primum enim ante ſuppoſitio, quod in re noſtra generatio eſt, & nutritio : ſic ſuccus nutritorius, quamvis inquinatus ſit, & ſuperfluus, tamen adhuc eſt in naturae ſinu . Quare dirigitur ab iſta , & per poros intrinſecos effunditur agitaturque alimenti vice ; ſicuti loquutus eſt Joan.

Fernelius, & hoc quidem citra congeſtionem : quando vero ſupra ſphaeram particulae congeritur, & coagmentatur, hic humor, neque etiam indiſcrete ac temere fit, & vulgo ; ſed praeſenti calore commaſſatur, & componitur utilis materiae modo. Argumenta ſunt anomali tumores, atheromatum, ſteatomatum, & meliceridum; quibus non ſine congeſtu creatis, propterea cyſtis inducitur, quod non deſtituit iſta calor. Itaque vides diſcrimen longe vaſtiſſimum inter imperfecta, meteoraque, corpora, & congeſtionis noſtrae materiam cognoſcis inſuper & modum, quo generatio iſta procedit.

## CAP. VIII.

### *Definitio Congeſtus.*

EST ex his omnibus ante productis una definitio colligenda, quae veluti compendium quoddam, & ſumma ſit omnium, quae contemplatur homo, ſuo nomine *Congeſtus* intelligere debeat. Si igitur memoria nos non fallit eorum, quae ante ſtatuimus; *Congeſtio eſt coacervatio lenta humoris in parte, quae nutritur, inquinati, ac ſuperflui, vel vitio advenientis materiae, vel uniuſcujuſque facultatis naturalis, ſive quae non perficiat, ſive quae non expellat, vitio :* haec *Congeſtus* morboſi definitio eſt ad ſententiam Ariſtotelis, *lib. 4. meteor.* & Galeni, *in opere de naturalibus facultatibus*, tradita ; quam facile ad tumorem ipſum congeſtilem, ubi lubeat, accommodaveris.

## CAP. IX.

### *De differentiis Tumorum a Congeſtu.*

JAm dixi duplicem Congeſtus modum: alterum, qui ſolius concoctricis facultatis vitio commiſſus eſt; qui ſimplex Congeſtus, & proprie dictus eſt: alterum vero, cum congerit quidem pars non a ſe manantem humorem, ſed aliunde profectum, & non concitatum quidem, ſed conſiſtentem. Si placet igitur haec diviſio, poterit haec ex his doctrina conſtitui. Uterque modus & ſuppurabilis eſt, & ſuppurationis expers : hoc in Libro nos eum, qui ſuppurabilis eſt, potiſſimum exponemus; quippe qui minime tractatus ab aliis eſt ; & majoris momenti videtur.

Addidit, & Gabriel Fallopius *in tract. de tum. cap.* 5. differentiam alteram, quae eſt : congeſtionis tumores alii ſunt ab intemperie occulta, qualia luis Venereae ſunt gummi; alii ſunt vitio debilis expultricis, valentiſque retentricis; quam rem in tumoribus ex ſemine diu retento ſe dicit obſervaſſe. Hae ſunt inter plurimas differentiae *Congeſtus*, quas ſemper ſpectantes ſingulariter ad curationem nos Medici deligimus.

## CAP. X.

### *De modis Magnitudinis, & Formis.*

HORum Abſceſſuum univerſe commenſorum mea quidem obſervatione modi, qui ad magnitudinem ſpectant, ſunt quadruplices ; ſinguli ſedibus, cauſis, & ſymptomatis, diſtincti. Quidam vaſti ſunt ita, ut ſi artus corporis occuparint, plu-

plurimam horum partem ſint circumplexi. Manum homini Eubaeo uſque ad cubitum ſuppuratam meminit Hipp. *in* 5. *epid. num.* 16. Si vero corpus medium, quod infrequentius eſt, obſederint, late ſe exporrigent; ſub cutem, ut plurimum, integram fuſi, neque intra muſculorum interſtitium defixi: de quibus haud equidem ullum comperi de Graecis auctoribus, qui explicate ſcripſerit. Secundi magni ſunt quidem, ſed iſtis plerumque minores, quorum effluvium e media muſculorum intercapedine videtur exilire, *Apoſcemmata* vocata Veteribus; febrium longarum ſoboles. Maximus ex hoc genere praefectus eſt a me, ſub inguen, Reverendo Patri Bibae Sacerdoti Jeſuitae, cum copioſa ſaniei viridis manatione, cujus nulla apud quoſdam alios Medicos fuerat opinio. Tertii ſunt mediocres, atque exſtantes, quam alii magis, certis tuberum capitibus interſtincti; quos propterea equidem *Cyrtomata* conſuevi dicere; non autem generali ſignificatione tumorum omnium praeter naturam: quae vocata per Hipp. ut cenſuit Gal. 2. *prognoſt. comm.* 4. ſunt quaedam *Phymata*, non plus ovo intra anſerinum, & gallinaceum excedentia, ut parotis: ſunt autem, & qui multo minores ſunt, ſed crebritate parvitudinem compenſantes; qui plurimum per ſuperiores partes corporis viſuntur, ſuppuranturque non ſine rubore, cum ad id, quod non brevi fit tempore, perveniunt; ut in Joſepho Thomae Portii filio, & in Joſuaei Amicangeli Neapolitani cauſarum Patroni filio: ſunt autem, & hi recidivi Abſceſſus plerumque; quod in Franciſco Antonio puero Vincentii Vulturalis filio, atque in aliis nonnullis, comperi. Subeſt autem his (quod Celſus ait) ex ſanguine & ſanie concreta caruncula, putris fungeum & mucoſum concrementum ferme referens; unde & ſtrumoſa vulgaribus putatur affectio.

Poſteriores hi duplices cum febre non ſunt neceſſaria conjuncti, quae priores perpetuo ſolet inſequi; poſtremi cacochymis, alii, ſi apoſcemmata exemeris, cachecticis, & inopibus; qui duriter cubant, frigoriſque & ventorum, & ſubdiales patiuntur injurias, per famem omnia ingerentes, laboribus ad ſummam, & aſpero vivendi genere, confecti. Ex his obtigit nobis in Valetudinario curandus quidam, qui & in ſummo capite, & facie, id eſt, gena & oculorum angulis, & cervicibus, & jugulo multos ejuſmodi abſceſſus, pertulit: res, quae plurimam admirationem paremque miſericordiam pleriſque movit, homo paluſtris in Capuono cultor & incola. Adnumerari & his praecipue mediocribus ſpinam Arabum, & gummi Venereae contagis, licet; quae utraque peculiari quadam & inſolenti conditione tumoris oſſa prius, quam carnes, vitiant & corrumpunt.

Sunt hi quidem vitii contumacia mali, ſed nihilominus vitae ſua natura vim non inferunt.

Haec brevi de frigidorum Abſceſſuum formis, & neceſſaria tota dignotione. Interim vides, eſſe nobis longe aliam opinionem, quam Euſtachio Rudio; qui *Congeſtionem* ad tumores, quidem magnos raro, frequentiſſime vero ad exiles, cenſuit ſpectare.

## CAP. XI.

### *De Sedibus Congeſtus communibus.*

QUas autem partes corporis obnoxias, & ſubditas huic affectioni dicemus? certe illas, quae debiles, & imbecillae ſuapte natura fuerint, id eſt, quae calore nativo, & carne, ac ſanguine, laetiſſimis fabricae noſtrae portionibus, minime participant: talia autem ſunt oſſea, cartilaginea, membranea, nervea,

& ut ſemel dicam, partium albarum omne genus. Praeter intemperiem nativamque debilitatem, eſt laxitas, utpote articulorum & adenum, adenoſorumque locorum, intercapedinum omnium, compaginum, & contexturarum, & praecipue muſculorum, & vaſorum. Tertio, quae ſunt in extremo, & infimo corporis loco; quae veluti Septemtrionis partes a Sole, ſic ipſae maxime diſtant a fonte caloris. Ad haec, quae agitantur, & motui ſunt obnoxia, ut carpi manuum, in quibus recte dicunt omnes fieri ganglia, lupias vulgo dictas, melicerides, atheromata, ſteatomata & hoc genus. Poſtremo loco omnia, quae doluerunt, aut aegrotarunt impenſe; ictus, alliſus, contritus, graves contrectatus, diſtractus, diſtentus, gravatus, exagitatus, & violatus ex vulnere, ulcere, fractura, & Abſceſſu, omnes denique offenſas recepere, ac ſuſtinuere: hoc omne genus non naturale, ac naturale, partium ſic deſcriptum, conſuevit eſſe Congeſtibus opportunum.

## CAP. XII.

### *De ſignis Congeſtus.*

INdicia, quae Congeſtilem Tumorem oſtendunt, auctore Nicolao Florentino, Viro in deſcribendis tumoribus omnium diſertiſſimo, ſunt haec.

Primum praegreſſa cauſſa, quae non proximo tempore partem infirmarit, debilitaveritve.

Secundum, lenta progreſſio de minima extumeſcentia ad majorem, ſed occultis tamen incrementorum momentis; atque haec, ubi apparuerint non in dies, ſed in menſes, & longa temporum curricula.

Tertium, nulla extumeſcentia venarum, quae in ambitu ſunt, inſignium aut mediocrium. Verum enimvero venarum capillarium, quae prius quidem non exſtabant, jam exſtant; non ſine iſtarum, licet exiguo, propter diſtenſionem, dolore.

Quartum, nulla apparens plenitudo corporis, aut partis ſuperioris ſive ſitu ſive dignitate.

Quintum, pars a principio, uſque ad computrefactionem humoris, concolor cum toto, & aequalis temperiei: a putrefactione vero, non concolor, & inaequali intemperie, dolens impenſe. Coge haec verſibus, dices;

*Haud praeit; augetur lente; non vena tumeſcit;*
*Non plethora ſubeſt pars concolor undique toti.*

## CAP. XIII.

### *De ſignis ſuppurati Congeſtus.*

QUoniam vero praemonſtratum fuit ad ſuppurationem plerumque verti *Congeſtus*, quod nos genus inſtituimus praecipue curaturi; ob id trademus hic brevem dignoſcendorum eorundem rationem: quae quidem facilis admodum non eſt, neque aliorum communis: vidi equidem pleroſque Viros in arte medendi non parum exercitatos in hac re falſos, nimirum, qui ſuppurationem non cognoviſſent, quae jam erat; uſus autem, ut aliorum multorum, ſic & iſtius rei magnus magiſter, & demonſtrator, eſt. Quaeres autem unde difficultas? ſed hanc docet Hipp. *in aph.* dicens; quod pus in Abſceſſu latens, vel propter loci craſſitiem, vel propter profunditatem, percipi non poteſt. Nihilominus praeſens aliena ma-

materia ſe declaret oportet aliqua ſui affectione, pertinente ad ſenſum tactus, viſus, auditus, vel ad ſenſum interiorem: unde inquit Hipp. *lib. de off. med. princ.* Aut ſimilia aut diſſimilia, a principio, a maximis, a facillimis, ab his, quae undiquaque penitus cognoſcuntur, quae & videre, & tangere, & audire licet, quae & viſu, & tactu, & auditu, & naribus, & lingua, & intelligentia ſentire licet: quae & quibus cognoſcuntur omnibus cognoſcere licet. Itaque quod ad tactum pertinet, impoſitis utriuſque manus digitis, & viciſſim nunc illic compreſſis, atque ſublatis, fluctuatio inter utroſque exploratores ſeſe monſtrabit humoris: deinde unius etiam manus digitis prioribus longis cedentem aliquem mollitudine locum comperies: ſic & viſus aliquam inaequalitatem cognoſcet: auditu vero reſcies ab aegroto, ſi quod pondus aut mobile, vel reſpondentem his aliquam affectionem per id loci perſentiat. Ad deprehendendam vero ſuppurationem Hipp. *l.* 1. *de morb. n.* 12. *& l.* 2. *n.* 27. & *Celſus l.* 8. *c.* 9. docuerunt imponendam terram figulinam aqua commaſſatam, ut hac poſt aliquod tempus abſtracta, cognoſcatur, qua parte magis reſiccata ſe monſtret: ubi enim ſiccior reddita fuerit, ibi ſuppuratio reſpondebit. Diſertius autem de hac eadem re nos in opere de *Inermi Chirurgia* pertractavimus.

## CAP. XIV.

### *De Praeſagio.*

PRaeſagiendi ratio, quae communis eſt Abſceſſibus aliis, non eſt, ut a me pluribus attingatur; Praeſagia duntaxat majoris momenti perſequar.

Non carent periculo Abſceſſus omnes a *Congeſtu*, qui cum cachexia ſunt conjuncti; ſic horum propago mala eſt, & veluti radix.

Febricula, quae his aſſiſtit & mala eſt ipſa, & malos etiam Abſceſſus arguit. Rari autem ſunt Abſceſſus diuturni, quibus febris non ſit adjuncta: & partim quidem communi utriuſque cauſa cachexia, partim puris inexhauſti perenni exſpiratu; quod quidem pus in magno Abſceſſus ſinu affluat.

Declarat pus infinite manans commoriturum cum morbo aegrum; praeſertim ſi cum malis aliis indiciis enerves hominis vires appareant.

Circa ſpinam dorſi mali ſunt omnes Abſceſſus magni. Apoſtema magnum dorſi ſpinam attingens, hanc plerumque diſtorquet in gibbum, ut obſervavi in Margarita Blanchina; in ſcolioſin vero, ut in Jo. Baptiſta Joſuaei Amicangeli filio.

Circa articulos ac nervos conſiſtens hoc vitium, ni mature praevertatur, mutilet membri mobilitatem time.

In diuturnis exile malum eſt fiſtula, ſi vitae periculum nullum ſit, ut in Abſceſſu noſtrae Heroinae RIBERAE.

Si febris abſit minime pernicioſus eſt morbus.

Tumores per Congeſtum ſingula ſua tempora quam longiſſima habent, Roder. Fonſ. *com.* 1. *conſ.* 31. *p.* 111.

## CAP. XV.

### *De Praeſervatione.*

QUoniam quidem duplex Medici providentia eſt; altera praeſentem morbum eximendi, altera vero futurum, aut recidivum, praevertendi: cadit haec poſterior cura ſingulariter in liberandam congeſtili vitio particulam; utpote quae fa-

facile redire in ejuſdem mali ſervitutem, & incurſum poteſt: nam ſi debilis a principio vitium ſubire potuit, quanto etiam magis cum a morbo reddita eſt multo debiliſſima; itaque & hoc quoque ſtudium exercendum in hac re eſt, ut ne recidivam aliquando recipiat particula: quod ubi facere volueris, via prompta eſt, occurrendo cauſis opificibus, & eas turbando, ne Congeſtum perficiant; quoniam autem affectus procreatio ad concoctricis, expultriciſque, debilitatem refertur, utraque autem, ut Hieron. Fabricius *in l. de tumor.* advertit, ad unam intemperiem cadunt, eapropter inventam hujus qualitatem ſui contrarii remedii uſu corriges. Quoniam autem ut plurimum frigida eſt, quippe quae una cruditatis & torporis fautrix, & altrix eſt; deinde non ſicca, ſed humida, propterea quod cum materia non expulſa conjuncta: ob haec remediis aliquanto calidioribus, & ſiccioribus uteris; verum ea lege, ut eum adſtringendi roborandique alia facultate ſint conjuncta: tale ſingulariter Indum *Gummi Tacamahaca*; *& Gummi Guajacan*, eſt, *Agallochum*, *Bryonia*, *Calamus aromaticus*, *Crocus*, *Cypreſſus*, *Cyperus*, *Lentiſcina reſina*, *Roſmarinus*, *Succinum*, *Vernix*, & alia hujus generis. E compoſitis maxime probantur *oleum e Lateribus*, *Crocinum & juniperinum*, *exſtillata*.

## CAP. XVI.

### *Curatio Tumoris a Congeſtu in univerſum.*

TUmori quidem a Congeſtu, licet, quatenus tumor eſt, conveniat materiae tranſpoſitio, de qua re fuſe Nicolaus Florent. ubi de curatione Apoſtematum generali; nihilominus haec, praeterquam quod plane non ſuccedit, etiam detrimentoſa eſſet: ſiquidem eo conceſſo, quod *Congeſtilis* quicunque *tumor* producitur plurimum vitio concoctricis, & expultricis, partis ejus, in qua eſt; ſic humor tumorem creans frigidus, & pituitoſus eſt; itaque craſſus, viſciduſque, & valde impactus, quem quidem in ſpatiis mediis partis, & extra vaſa, contineri diximus; ex quo loco ſic haerentem, quae repellens medicina tranſponat? Quin etiam ſi repulſus ſucceſſerit, incommodus erit: quandoquidem applicitus frigidorum, concoctricem partis alioqui debilem, amplius debilitare poſſet, & nonnullam Congeſtioni cauſſam addere. Adde quod poſteaquam congeſtus totus eſſet humor, tumorque redditus magnus, aliud ex pulſu ſequeretur incommodum: nam dato, quod ſuccederet per pulſum evacuatio, haec & dicta humoris craſſitie, & loci profunditate, & partis impotentia, fieret admodum pauca; & interim reſidua portio magis incraſſaretur, addenſareturque, ad alias tum artis, tum naturae vacuationes, contumax: quas ob res major ex his eſſet noxa, quam adjutatio.

Similiter & tractus in Congeſtis inutilis eſt, vanuſque perſpicue; nam ſi pulſus proxime non cedit humor, quo pacto ceſſerit tractus e longinquo?

Verum enim vero tranſmiſſus in Congeſtione tollenda non vulgariter commendatur, quin neceſſarius eſt, & ſingulariter proficuus; quo ſcilicet & partis infirmitas roboratur, & laxitas cogitur: quibus adjumentis ipſa & quod congeſtum eſt aliqua parte trudere, & quod congerendum erat, caſtigato vitio non concipit. Veruntamen ut haec vera ſint adhuc, nonnulli voluerunt in tribus caſibus adminiſtrari poſſe tranſpoſitum, in unoquoque tumore per Congeſtionem creato.

Primum quando certus eſſet Medicus, quod per tranſponendi operam congeſta materia derivaret ad membra viliora.

Secundo cum nulla exiſtente plenitudine in univerſo corpore, etiam neque haec ineſſet parti communicanti, cum extumeſcente loco, & tumor interim eſſet parvus.

Ter-

Tertio cum materia congesta esset calidior ac tenuior, & a causa calidiore producta, puta intemperie; quamquam casus hic perrarus est, & insolens. Adde si eadem materia sit pauca, sic enim tuto liceret hanc repellere.

Addunt & nonnulli quartum, quando scilicet esset dubitatio de complicatione fluxionis a parte aliqua, quo casu licet uti tractu, licet & uti transmissu; nec alii excludunt repulsum, praesertim in viis mediis, cum aliqua stypticorum admixtione parato medicamento.

Verum enim vero misso transpositu, qualis est descriptus, tutissima inter omnes, atque expeditissima curatio est per discussum humoris & excussum. Discutientia autem late pateant, ut in nostro *Pharmacochirurgico* expositum est; illa intelligo, quae conjuncta sunt cum attrahendi facultate. Talia autem uno nomine dixerunt Veteres absorbentia, quae raptum a se humorem ea, qua gaudent dissolvendi vi dissipant & absumunt sic, ut exhausta, & libera, pars restet; sunt autem haec *cit. l.* descripta.

## CAP. XVII.

### *Curatio specialis Abscessus a Congestu suppurati.*

PRoprium, & peculiare est Abscessuum, quos primo posui mole maximorum, ut subsit his profundior alienus humor sub cute: haec vero nil vitio subjacente detrita, vel extenuata, quin plerumque turgidior, altiorque sit humore aliquo in se ipsam absorpto. Admirabile id quidem, at non ei, qui consideret ignavum, & minime acrem, aut erodentem, ichorem adversus densum compactumque corium nil posse praevalere; sed stagnantium aquarum modo potius in latum, quam in sublime, divagatur. Ob id igitur quod crassa, & inviolata cutis est, sub hac altius infixo scalpro, distractisque incisione partibus, gravis excitaretur dolor. Quam ob causam consultius visum est fieri nostris Professoribus, si candente ferramento aperiantur hi Abscessus. Quam rem cum & nos approbamus, illud tamen observandum volumus, ut, simul ac suppuratio prima appareat timidus non sit, neque tardus ustionem admoliri, Chirurgus; quin etiam si me audiat, comperiet saepe numero suppuratam plane materiam, quam vix suspicatus fuisses Abscessui propinquam. Illud ad unguem comprobatum est in Abscessu, qui sub homoplatas ortus est Caroli Franciſci Mirabilis Medici vigilantissimi filio: in quo cum suppuratam materiam minime crediderunt omnes, adhibito per me acuto cautere, copiosa reddita est a vomica sanies; quantum autem periculi, dum dormitat Chirurgus, si exterior Abscessus cum interioribus communicet, & in ventrem finiat anabrosis. Quo Cardanus *in arte parva p.* 251. exteriores Abscessus, qui interioribus communicant, antequam suppurent, sunt secandi: minus enim periculum est in difficultate sanationis exterioris ulceris, quam in corruptione viscerum a sanie. Haec ille, quae res ad unguem comprobata est jampridem in Matthia Cedruto Marilianensi perillustris Viri Domini Prosperi Suardi famulo, cui natum, juxta superiores vertebras lumborum, Abscessum, cum crudum judicasset famatissimus quidam Chirurgus Neapolitanus, in nosocomium nostrum advecto secantes nos scalpro candente penetrantem in cava pectoris invenimus; argumento quod in cruentam & albam saniem vis compulsi spiritus identidem redderet. At neque si crudior sit Abscessus, nihilominus per ignitum scalprum aliquid detrimenti feceris: verum inimicae putredini fomentum, qui calor est conclusus, abstuleris, & partem in dies exhauriendo, atque exsiccando, nervos, tendines, musculos a vitii con-

contage vindicaveris. Imo si vero de gummi syphiliis sermo fit, & cariem anteverteris ossium subjectorum, quae mirum quidem ut vitiata reperiantur saepe, nullo forinsecus apparente, quod te id docere teredinisque certum reddere potuisset. Comprobatum autem & ratione, ut id fieri possit non difficile, & re ipsa factum persaepe vidimus. Ratio quidem ea est, quod interdum humor antipathiam habeat peculiariter ad os, quemadmodum usu venit, & in spina morbo ab Avenzoar, *l. 2. c. ult.* vocato, in quibus utrisque morbis, spinae inquam, & Venereo, visum est per virulenta illa seminia prius ossa vitiata, quam carnem aut cutem, ut propterea mirum non sit vitiata primum dura quam mollia, sive id factum sit computrescendo, sive corrodendo; quod in Agnello Josephi Pagani filio vidimus, cum Francisco Nola Medico Neapolitano, quem honoris caussa nomino; atque in Josepho quadrimo filio Thomae Portii, cum Mario Schipano Medico plane nobili. Sed & Catharinae filiae Joannis Gregorii Bibliopolae, sedtem annos natae, duplices Abscessus & in sinistra gena, & in pectoris osse, procreati; vix crediti fuerant ab ullo suppurabiles, nec dum jam vere suppurati, cum a me discissi ferro candente reperti sunt os vitiatum continentes: adeo scilicet imponit ejusmodi causa continens multis. Res autem dum ageretur & postquam acta est, cognovere probatissimi nostrae Urbis Medici, Joannes Dominicus Comes, Matthias Magliocchus, & Horatius Thesaurerius, Collegii Salernitani Medicus; qui testificari alias potest, me sibi filium primogenitum ex immaturo brachii Abscessu, maturo id est praepropero, ne musculi contererentur, insectu praeservasse.

Haec prima curandi ratio chirurgica est ad Abscessus, cute adhuc integra obductos: medicamentaria ad jam apertos restat exponenda, quae suas etiam adversiones recipit; praesertim vero penes nostros Medicos, qui vel non discreta vel neglecta causae continentis, & morbi, natura, contraria atque inversa, quam indicationis recta ratio petat, medicamenta adhibent. Incredibile apparet, quin potius miserabile, quando non intelligunt contraria contrariis esse adhibenda; axioma, quod nemo agyrtarum, & circumforaneorum Medicorum ignorat. Sed hoc ignorare videntur aperte propterea, quod Abscessus calidos ac frigidos unis eisdemque pharmaticis aeque tractant: nimirum ex *oleo Rosaceo*, *atque Ovi luteo*, misturam utrique tumorum generi inflammatorio, postquam aperuerint, indiscriminatim adhibentes. Digestivum igitur hoc, quod vocant, vel calidum, vel frigidum: utrumque dixerint, vel calida calidis, vel frigida frigidis curant hi homines. Dicent hoc neutrum extremorumque medium, sed nihilominus instabo; & quomodo absolute extrema neutris aeque curanda? an exquisite medium est illud? sed hoc plane falsum, nam frigidum verius, quam calidum; nec dico quidem actu, quod etiam problema exercitari posset, sed etiam potestate quippe & numero, & quantitate superant & praeponderant frigida, id est, rosaceum ovi vitello. An uon igitur horum mistura, quam adversus calidos Abscessus usitarunt, ad frigidos saltem intendere calidis additamentis, quale *Crocus*, *& Propolis*, *& Styrax*, *& Mel*, est deberent? Sed quod inexcusabilem istorum imperitiam facit, est, quod non quatriduo vel octiduo medicamenti finiunt usum, sed ad unum alterumque etiam mensem. Etenim, ut tum humoris assidui conditione, tum medicamenti, non coquitur sanies, sed tenuis iu longum manat: ipsi, qui credunt concoctorium medicamentum, ut coquat, etiam in longum tempus imponunt; id quod cum praestare nequeat, infinite etiam adhibeant oportet; donec, quod saepe fit, aut errata mendis corrigat natura, vel in fistulosam speciem abeat ulcus; quod quale detrimentum malumque sit judices Lector. Ita quidem hi homines, quod Gal. *l. 3. meth. meden.* de Thessalitiis conquerebatur, sanabile brevi sua natura vitium reddunt

dunt insanabile. Estque hoc quod narro non raro quidem a Chirurgis nostratibus patratum, sed vulgo etiam & quotidie; atque id equidem adversus celebrem quendam hominem, nam Medicum appellare religio est, adverti Februario paulo prius exacto cum doctissimo Medico N. N. nostri Gymnasii Professores; qui ut homo est tam ingenuus, quam eruditus, non admirari non potuit turpem hominis ignorationem, nostrumque seculum, gentemque nostram, qui nomine omni praeterquam recta scientiae aestimatione moventur, ut indoctos homines pro praestantibus habeant atque praedicent; praestantes vero judicii ineptitudine, & perversitate, pro iis, quales vere sunt, non agnoscant. Sed mortuos sinamus, ut ait Servator, sepelire mortuos suos, ad causam nostram redimus. Debent emmota, quae frigidis Abscessibus imponuntur, constare calidis, quae tum concoquant, tum expurgent. Sed prius quidem concoctoria exiguntur, tum humoris frigidi, qui creavit Abscessum, nomine; tum etiam quia praematura fuit operatio, quae paulo minus quam crudum tumorem aperuit, ejus rei studio & cautione, quam dixi. De concoctoriis nos in nostro *Pharmacochirurgico*, quod propediem edetur plene differuimus: itemque & de expurgatoriis; quae concoctoriis succedunt. Ibi locorum pleraque usu maxima de hac re leges. Interim scire licet ulceri ambusto tres dies, *Olei Amygdal.* & caeteri compositione curato, mox immittendum in penicillo *ceratum aureum oleo cerae*, vel si id non placet *oleo ovorum*, dilutum; quibus satis nutritum, ut Celsus vult emollitumque vulnus, post haec expurgantibus vacuandum. Usus ego saepe feliciter sum *Barba capri madefacta per oleum*, *aut cum succo Cyclaminis*, si medicamenti vires intendere velis. Quo purgato ulcere sequitur, ut impleatur, id quod pulvere sarcotico belle fiet: aegroto, commodam, honorificam tibi, viam hanc experieris,

## PERORATIO.

HAec ego raptim quantum ingenii mei tenuitas comprehendere potuit, conscripsi: quae equidem proferre libuit non tam ab exacta rerum commeditatione, quam fida in multis hominibus observatione profecta, cum autem ego primus, & sine duce rem hanc tractarim, si qua in re minus satisfecerim, aequior mihi judex esse debebis Lector.

## FINIS.

# DE ABSCESSIBUS ANOMALIS

## *LIBER UNUS.*

Qui eſt Operis, de ſelectis Abſceſſibus, III.

# EODEM SEVERINO AUCTORE

## PRAEFATIO.



Abſceſſuum *praeter naturam* omnium duplex ego genus facio; Simplicium ſcilicet & Multiformium. Sed ſimplices quidem nullos opinati ſunt alii, qui cenſuerunt Abſceſſuum naturam eam eſſe, ut comprehendat omne genus morborum in unum acervum aggregatorum. Verum aliter nos, qui volumus ſimplices eſſe, *quorum omne vitium fluxile eſt, & qui ad unum praevaricatum, atque etiam alienatum; referuntur humorum, qui de conceptaculis exierint vaſorum, & in loco quopiam coacervati fuerint, ſive per Effluxum ſive per Congeſtum*. Multiformes vero diximus eos, *qui praeter humorum interventum, qui obſcurus & diſcors a communi plurimum eſt, ſubſtantiae inſuper ſolidae praeter naturam praeſentia ſunt inſtructi*; quod, quia praeter communem omnium rationem legemque fit, ob id placuit *Anomalos* appellare: de quorum inſolenti natura, cauſis, procreatione, atque univerſa ratione, nemo ante nos plene diſputavit; ſed pauca admodum, & obiter unuſquiſque de his attigit: quod factum judico non ſine artis detrimento, atque injuria rei, quidem inter multas digniſſimae ac plane mirandae adeo, ut, propter enormium contentorum varietatem, Magicis haec artibus fieti vulgus opinetur. Quam ob cauſam adverti in hanc rem animum, notavique aliquot, quae ſubiere, ſic ut libellum confecerim. Utinam autem, ut non parum laboravi in argumento difficili ac novo, ſic eam rem pro dignitate fuerim aſſequutus! utcunque exercebis tu me legens judicium amice, ſuſcitaverim ego tuum, aut aliorum, ingenium, ad excogitanda meliora.

## CAP. I.

### *Diviſio Abſceſſuum, & qui ſint ex his pertractandi.*

EX ſolutae unitatis, & magnitudinis auctae, genere compoſito, (quod commune Medicorum omnium decretum fuit) conflatur apoſtema, ſive apoſtaſis graece, Abſceſſus latine: ſic quidem dictus auctore Galeno, *in l. 2. ad Glauc. cap. 5.* quod hujus vitio abſcedant a ſe ipſis, quae ſe invicem contingebant corpora, humida, vel alituoſa, vel miſta, ſubſtantia diſſolvente. Et humor quidem contiguas partes diſtrahit, vel dilatata cavitate, in quam incidit, naturali, vel alio, & inſolenti ſibi comparato ſinu, poſtquam ſuppuratas carnes liquavit, quas prima inflammatio corripuit: hoc quidem uſu frequentiſſimum genus Abſceſſus eſt, cum phlegmone conjunctum. Alterum vero, ipſo adnotante Galeno, *lib. 14. meth. med. cap. 12.* eſt cum, nulla praecedente phlegmone, humor aliquis ſtatim ab initio,

iſque

ísque alius ſpecie alius, caeterum omnino acris, in parte aliqua colligitur. Porro excoriat hic circumpoſita corpora, ſpatium videlicet ſibi moliens, vel inter duas tunicas, vel ſub certis membranis. Excoriat autem omnino ipſa copia diſtendens; interim vero acrimoniam quandam putredinoſam tempore contrahens. Sane inveniuntur in hujuſmodi Abſceſſibus, cum ſcalpello ſunt diviſi, proprietates quaedam non paucae, nec humorum modo, ſed etiam ſolidorum quorundam corporum. Siquidem unguium, pilorum, oſſium, teſtarum, lapidum, & pori, fragmentorum ſimilia, inventa in his corpora quaedam ſunt. Ac humorum ipſorum alius veluti lutum, vel coenum, vel olei quidam limus, vel vini faex; alius adeo graviter olens, ut omnes averſentur: verum haec rarius incidunt. Frequentiſſima vero hujus morbi ſunt tria genera, quorum ſingula propriam appellationem graece ſunt ſortita. Ea ſunt Atheroma, Steatoma, & Meliceris, a ſimilitudine contentarum in tumoribus ſubſtantiarum dicta; eſt enim aliud eorum veluti ſevum, aliud veluti mel, aliud pulticulae, quam atheram vocant, ſimile; quae quidem teſte eodem *l. de tumoribus p. n.* ab aliis inter Abſceſſus reponuntur, ab aliis vero ad aliud genus referuntur: haec ille; quae verba quidem autographi modo ſemel in hanc rem producere viſum eſt nobis, qui pertractantes iſtiuſmodi Abſceſſus ſine phlegmone naſcentes, quando communi nomine careant, operae pretium rati ſumus facere, ſi illud adinveniremus. Ad extremum autem unum vocavimus *anomalorum* propterea, quod ad unam aliquam quaternionis ſive humorum, ſive tumorum, principum ſpeciem referri, praeterquam per aliquas ambages, non poſſunt; quos eoſdem Abſceſſus vocavimus & *Foetabula*; cujus nominis ratio commodiore mox loco referretur, prius enim aliqua praemonſtrare oportuit.

## CAP. II.

### *Ad ſecundum naturam, an praeter naturam ſit haec affectio.*

DIfficile autem deliberatu videtur, num ſecundum naturam, aut praeter naturam, cenſenda ſit corporis haec affectio; utrumque enim affirmari fas eſt: ſecundum naturam affectum aemulari apparet propterea, quod inter omnes tumores maxime ad naturam accedunt, amiceque, aut minime omnium hoſtiliter, in multos annos, nobiſcum hoſpitantur: quod ſi ullam aliquando moleſtiam inducunt, id quidem non pravitate ſua, ſed incremento ac diſtentione accidit. Deinde membraneis amiculis veluti res utiles, & veluti foetus momenti eſt, ut venis hiſce nutriculis perpetua ſuggeratur alimenti materia, veluti matrix quaedam ſubdita eſt. quam & radicem interdum appellavimus: quod conſervandae rei ſtudium in natura provida non minimum arguit: quas ob res non inepte neque inconſulto puto factum, ut *natae* graeco *phymati* reſpondente nomine fuerint deſignata; quam vocabuli rationem amplexus eſt & Fallopius, *lib. de tumor. praeter natur. c.* 10. Aſt Natam Joannes Manardus & Jo. Tagaultius ſub Steatomate cenſuerunt; falſo autem & citra etymologiae dignitatem *naptae* ab aliis quibuſdam; *napthae* vero Jo. Manardo *l.* 7. *epiſt.* 2. & a Jo. Lang. *l.* 3. *epiſtol.* 4. ſunt dictae. Licet autem quidam hanc ipſam *natae* nomine, ut Joan. Langius; alii *naptae* ut Theophraſti interpres Dornaeus; alii vero *naſde*, & *napae*, ut Conſ. Tigurinus vocaverint: attamen cum hujus nomen nullius certae originis videatur, niſi quod ipſa naturae nomine ſe tueatur, hinc docti Viri, quo referrent nomen, incerti fuerunt. Illud tamen demonſtrationes omnes ſuperat, quod cauſae in his procreandis ſunt omnes naturales; efficiens, quae natura formatrix; materia, quae ſuavis & mitis, ut pinguedo & mellea ſubſtantia; forma, quae membraneum opificium; finis, qui

Foetabulum quoddam, & Germen eſt. Verum enim vero, contra eſt Galenus, qui *lib.* 3. *meth. med. cap.* 1. *& l.* 14. *ejuſdem cap.* 13. *&* 17. tumores hos dixit toto genere praeter naturam, & totis ſubſtantiis, ut ipſemet explicet, diſpares, id eſt, a conſtituta naturae corporis idea diſſiti; heterogenea & aequivoca ſolidae ſubſtantiae concrementa, quod uno verbo alienum proprie dictum, appellavit auctor *Iſagogici c. poſtremo*. Aliud etiam retulit Hieronymus Fabricius memorato jamdudum loco, quod eſt, quia vena ſola nutrix obſervatur ſine arteria; unde fit, ut materia, quae his Abſceſſibus eſt, non vertatur in naturam humorum, aut formam ipſius partis, quae deſtituta eſt calore naturali, ac vitali, qui communicatur per arterias, qui in his Abſceſſibus nullae ſunt; haec iſte. Verumtamen haec non faciunt, ut *Germina* & *Foetabula* quaedam, ſecundum aliam communiorem naturam, eſſe non poſſint eadem.

Ad ſummam autem mihi videtur illorum natura inter alienam & animatam conditionem media: nempe natura procreatrix neque hanc in animantium ſortem, in quam comparata non erat, dignata eſt: neque prorſus abalienavit, quae nil in caſſum abire permittit: eam excogitavit formam, quae conjugium utriuſque retinuit; materia ſcilicet ſe ſubſternente, quae non ſic ex humida proprietate infirma ſit, quae calori putrido ſubjiceretur; neque tam firma, quae plena valeret obſiſtendi virtute. Itaque cum viſciditate non nihil etiam utilis ſucci comprehendentem hanc maſſulam, neque in totum a natura diſſentaneam, aliquando dignatus calor, qui corpori nutricando, & his quae ad nutricatum ſpectant, praeeſt, non abjecit; ſed ſepoſitam ſuis interdum radiis illuſtravit, atque aliqua formationis ſorte donavit. Quibus apparet communem formantem facultatem ab ipſo formationis tempore non deſtitiſſe, ſed ad omnem vitam munus ſuum extendiſſe; quemadmodum acute monſtravit Laurentius Jubertus, *in paradoxis*; nil contra operantibus quibuſdam doctis, qui placitum exercuere: cui placito niſi fallor & Gabriel Fallopius acceſſiſſe videtur, *l. de tumor. c.* 15. Ad hunc modum membrana, quae in tunicam ſervitura Germinis illius erat, conformationem accepit. Hac item ratione fit, ut peculiares laudabilioribus hiſce *phymatis* radices ſint, id eſt, venae & fibrae; unde perpetuum incrementum capeſſant eaedem.

## CAP. III.

### *Ad Animantium, an ad ſtirpium, naturam accedant hi Abſceſſus?*

INveſtigantibus igitur jam nobis Abſceſſuum iſtorum naturam, & conditionem, id, quod primo ſe offert eſt ipſorum auctio a parvulo; quae auctio quemadmodum inſpectio docuit, non eſt quidem per continuam particularem appoſitionem, vel per dilatationem, impletionemque, pororum, & ex infarctu diſtentionem; ſed per nutricatus veri conditionem, qui dubius tamen, & anceps, eſt, num plantarum, num animalium modo fiat. Animatae quidem rei videtur generatio, quia vena quadam nutricula, velut umbilicalibus vaſis, ſuggeritur in hoc nutrimentum; ſed nihilominus non animatae rei nutritio eſt, ſiquidem arteria venae comes deeſt: quod acute advertit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, *lib. de tum. append.* Quoniam igitur appendiculum quoddam eſt hocce genus; an fit veluti muſcus in arbore, vel viſcum, quod non ſua ſeminat arbos? atque adeo ſtirpium inſtar erit hujuſmodi accretio? praeſertim, quando ad extremum corporis habitum plurimum excitari conſueverint haec Phymata. *Phymata*, inquam, proprie dicta, ſecundum graecam literaturam, id eſt, communia quidem illa, non qualia ſpeciatim a noſtris

Me-

Medicis uſurpari conſuevere . Rurſus autem , quia germen eſt quaedam fructus ſpecies , ad ſtirpium privatas partes referemus ; qualis vel ulmi folliculus eſt , vel pruni fructus ſine ſemine, quae anticipans eſt arboris luxuries . At ſatius rectiusque fuerit fortaſſe utramque & ſtirpis , & animantis , agnoſcere productionem . Non ſtirpis quidem ſolius , quia vena ſubeſt , non animantis vero ſolius , quia germen praefert & fructum proprie dictum . Omnibus autem modis *Foetabula* magis, quam *Germina* , mihi videntur haec appellanda ; ſiquidem in animante ſunt genita .

## CAP. IV.

### *De proprietatibus Cyſticorum Abſceſſuum , & horum definitio .*

His ſic expoſitis , apparet quatuor proprietates ineſſe his Abſceſſibus . Prima, quod ſubſtantia quaedam ſolida ſit eorundem materia : quod & Gabriel Fallopius ex Galeni ſententia teſtatus eſt , *l. de tum praeter nat. cap.* 15. itaque ad numerum auctum referri liquido poſſunt iidem : quo factum eſt , ut Gal. 3. *meth. med. c.* 1. *& cap.* 13. profeſſus fuerit , hos toto genere praeter naturam . Deinde proprium eſt horum Abſceſſuum comprehendi folliculo , ſive cyſti : qui ipſe quo conſilio , quave materia , productus ſit poſterius inquiremus. Adhaec venis quibuſdam ſuppoſitis nutriuntur atque augeſcunt foetabuli modo . His autem venis , & hoc poſtremo notem , ortus & ſcaturigo eſt ex una ; quae ſeu radix , ſeu matrix eſt , quemadmodum ante audiſti . Ex quibus omnibus conflari poteſt facile definitio , quae ſit ; *Abſceſſus Anomali ſunt concrementa quaedam ſubſtantiae ſolidae , quae , foetus cujuſdam modo , venis ſuppoſitis nutriuntur , augeſcunt , & folliculo comprehenduntur .*

Hactenus iſtorum Germinum dum vivunt , & nihil manu violata fuerunt , proprietates audiſti : caeterum exemptorum aliam , quam equidem obſervavi , ſingularem conditionem accipe .

Namque ipſorum nulla longos in annos corrumpuntur ; ego autem maximos , quos abſtraxi folliculos , quorum picturas paulo poſterius viſes , hoc eodem opere exſculptas , jam ad ſeptem annos , & ſupra ſervo . Argumento ſcilicet non obſcuro , quod ſint ſubſtantia ſicca ; quamobrem judicioſe Fallopius refert omnium originem , tum ad pituitam ſiccam , tum ad melancholiae portionem ; auctoritate uſus Aetii , *l. 6. cap. 68.* & Avicennae *in l.* 1. *fen.* 2. *doctr.* 1. *& in l.* 4. *fen.* 3. unde neque abſurde vulgus hominum , omnis medicinae rude , Tubercula haec omnia melancholicum humorem appellare conſuevit .

Quod autem Steatoma privatim adipoſae rei ſpeciem referat , id non te moveat, neque perturbet ; quando & offa ex pingui plurima , ſed exuſta materia , conſtare nos certos fecit Hipp. *l. de carnibus* . Quamquam autem neque ipſe nego pinguedinem ineſſe Steatomati (aeſtivo namque tempore reſolutam adipem e Steatomate , quod aſſervo domi , manaſſe comperi ) nihilominus eſt cum eodem adipe plurima fibroſa portio conjuncta . Verum enim vero aliud relatu dignum adnotabo , neque Steatomata omnia ſingularis ejuſdem ſemper ſubſtantiae , vel formae videri ; ſed aliud iſtorum uvidius & pinguius , aliud exſuccius & denſius eſſe , quod enim Caenobitae Franciſcanae juniori de jugulo exemptum eſt , pinguiſſimum ; quod Monacho Carmelitae ſeniori , de poplite reſolvimus , exſuccum eſt magis , quaſi ſecundum ſexus , aetates , corporis loca , diverſa eſſe debeant haec concrementa . Sed & Fallopius in Steatomate , quod ipſe aperuit , medio liquorem quendam cryſtal-

ſtallo, & adamante lucidiorem, reperiſſe teſtatus eſt : ita multiformis ſubſtantiae ſunt haec omnia. Atque hactenus materialis, & cauſae aliae, & procreandi modus, ſecundum noſtram opinionem, tibi patuere.

## CAP. V.

### *An Melicerides tunicatae ?*

ILlud nunc expendi ſubit, ad rectam curandi rationem non inutile futurum, num omnibus his aeque Abſceſſibus ſua membranula indita ſit ; enim vero ſicut aliquorum certiſſima, ſic cujuſpiam obſcura & dubia eſt. Atheromati inquam, quae materiam pultaceam continet, & Steatomati, quae ſebacea conſtat, longo noſtro experimento ſemper amiculum comperimus : quod ipſum etiam auctores omnes veteres ac poſteriores affirmavere : verum Meliceridi num neceſſarium ſit involucrum, haud plane diſcerno. Nimirum omnes uno conſenſu volunt ; ſi curatis, id eſt, exciſis hiſce tuberibus, tuniculae vel pauca portio reſtet, fieri, ut quaſi reſiduis radicibus exſultet rurſus germinatio, recidivuſque fiat Abſceſſus : id equidem in Atheromate Alexandri Beltrami Petiliani, viri legum periti, licuit obſervare ; quod ab ineunte aetate ſecundum ſupercilium exterius geſtatum, & medicamentis omnibus ab uno quodam Chirurgo exagitatum, nunquam curari potuit : a me vero cauteriolo peruſtum viſum eſt ex toto ceſſiſſe ; nam plene ſiccatum, & obductum eſt cicatrice ulcus : ſed nihilominus uno poſt anno ſponte erupit, & donec diſcerptim membraneae portiunculae prodiiſſent e ſuo ſinu omnes, neque unquam exſiccatu facile, neque ad obducendum comparatum fuit ulcus : quod ultro tamen fieri viſum eſt, cum deſiit vitium. Rem quidem, quam accurate mecum obſervavit Horatius Lumbiſanus, Medicus, qui ſui ipſius ſcriptis inclaruit. Contra Meliceris ad carpum nata, & mihi mea ipſius manu per aculeum paſtinacae marinae compuncta, vix exacto quatriduo curata eſt ſic, ut nunquam redierit : quod & ſorori Andreae Manſi Scribae Praetoriani, & aliis accidiſſe comperi. Quid autem, quaeſo te, reſponderis, quod affricatu vehementi diruptae ſaepe Melicerides ac diſcuſſae ſunt, neque amplius recurriſſe ſunt viſae : noſti autem & nonnullos Auctores ad demoliendas, atque delendas eaſdem, plumbeos verticillos impoſitos tradidiſſe : quin vero & alia iſtiuſmodi tubercula, & Gal. *l.* 14. *meth. med. c.* 13. & Aetius *tetrab.* 4. *ſem.* 3. *cap.* 78. & Paulus *l.* 4. *cap.* 34. medicamentis quibuſdam, exſolvenda propoſuere. Qui idem Paulus & ſtrumas, quod etiam mirum eſt, tunica velut Melicerides, Atheromata, Steatomata, contectas & medicamentis diſcutientibus exhaurit ; ut & *modo citato loco*, & *cap.* 25. ejuſdem libri docuit : quo autem pacto, niſi educta fuerit univerſa membranae portio, nunquam curabiles eaſdem dixit, *l.* 6. *cap.* 35. An igitur ineuntibus duntaxat his, ſunt aliqua valentia folliculum atterere, ut diſſolvatur ? inveteratis vero his, & obduratis, non item ? quod etiam judicaſſe propemodum viſus eſt Hieron. Fabricius, *in c. de Meliceride*.

Verumtamen, quod experti nos ſumus, id affirmare profiterique poſſumus ; neque aliud aſſeverandum audemus. Adde, quod Gal. *de tum.* ut plurimum tunicas poſuit.

CAP.

## CAP. VI.

*Quid commune habeant hae tres Abſceſſus ſpecies: & in qua re differant.*

PRaemonſtratum antea fuit, praecipuos tres iſtos tumores, quos nos *foetabuli* nomine deſignavimus, ſingulos ſua peculiari, & propria materia conſtantes. Atheroma, quod pultem frumenti, & caſtaneae fructus moliti materiam refert. Steatoma, quod ſebacea. Meliceris, quae mel referente ſubſtantia conſtat. Tria haec commune illud habent, quod ſuo ſingula folliculo ſunt amicta, teſtimonio Galeni, Aetii, Pauli, & juniorum omnium; ſed diſcrimen ex adverſo illud habent, quod Atheroma, & Steatoma ſolidam nacta fuerunt ſubſtantiam; Meliceris vero fluidam naturam retulit: tametſi vero Gal. 14. *meth. c.* 11. cauſam omnium humorum poſuit; nihilominus recto ſuo ſenſu intelligendus eſt hic auctor: nimirum principio frigidus, & pituitoſus humor eſt, qui ſe procreandis hiſce tumoribus ſubjecit; quod poſtea concreto, & craſſiore in dies facto, tum agitato caloris, qui parti inſidet, tum membranarum amplexu frigido, ſortem aliam comparârunt, concrementi, atque foetabuli, qualia nos ſaepe deſcripſimus. Una tamen Meliceris in abſolutum, atque perfectum craſſamentum non abſceſſit, materiae certe liquidioris conditione. Major & admirab lior differentia fuit Atheromatis, & Steatomatis, quorum hoc inculpatius, & naturalius, ſi dici conceditur, ex pingui craſſamento formam tulit; alterum vero magis alienum, & corruptius concrementum, accepit: uſque adeo, ut ſaepe vermes, muſcas, pilos, ungues, carnem hebetem, ſoleas, calcem, carbones, apud quoſdam exhibeat: quae quidem omnia jure merito Galenus toto genere praeter naturam aeſtimavit, *citatis loc. meth. therapeut.* Quod quidem judicium, cum ad mitiores alios duos Abſceſſus extendit, injuriam his profecto videtur feciſſe; niſi fortaſſe vis, quod & tunicam cum ſingulis hiſce conjunctam ſpectavit; quae ſane alienum quid eſt proprie dictum, ac propterea per Chirurgiam eximendum. Praeter haec iſtorum Abſceſſuum diſcrimina ſecundum alios haec ſunt: Abſceſſus cum folliculo alii habent materiam in unico, & continuo, folliculo, qui non habet exitum; alii, qui habent materiam fluxilem, habent illam inter duas tunicas, ut illi, qui non habent materiam fluxilem, ſed coactam. Haec Hieron. Fabricius.

Verum digna ſunt haec animadverſione: commentum enim videtur, quod ullis, id eſt, compacti concrementi Abſceſſibus, duplex tunica ſit; ſeu verius, ut ipſe loquitur, duae ſint tunicae, juſtius autem fluxili meliceriae ſubſtantiae debita eſſet diplois. Quod autem Fabricio impoſuit, oratio fuit Galeni, *l.* 14. *meth. cap.* 12. ſub his verbis: Porro excoriat hic circumpoſita corpora, ſpatium videlicet ſibi moliens, vel inter duas tunicas, vel ſub certis membranis. Senſus eſt, ut poſſint Abſceſſus, adurgentis vi materiae, deduxiſſe ſpatium inter duas tunicas, puta inter duram, & tenuem cerebri membranam, & poſſit diduxiſſe ſpatium ſub membrana, exempli cauſa, tenui cerebri: ſermo autem Galeno eſt de Abſceſſu primi ſignificati, non autem de anomalo, ut putaſſe Fabricium certus ſum. Confirmatur autem interpretatio noſtra vel ejuſdem Galeni verbis proxime ſubjectis, quae ſunt; excoriat autem omnino, &c. quae nequeunt adaptari Anomalis, quorum acris, & putredinoſa conditio non eſt; Steatomatis praeſertim. Quamquam objicies, quod ſubinde meminit Galenus contentorum in Abſceſſibus unguium, pilorum, oſſium, teſtarum, lapidum, & porri, fragmentorum; quae omnia reperiuntur in Abſceſſibus quibuſdam.

At hic communis multorum error eſt, inquam, & hallucinatio credentium, haec

haec per Galenum ineſſe Anomalis. Subſtantia Meliceridis ſola eſt mellea; Atheromatis propria pultea; Steatomatis peculiaris ſebacea: fallimur autem facile, cum his alia, quam aſſignata per ſingulorum voces contenta, tribuimus; confundimuſque ſic Anomalos cum praedicti ſignificati Abſceſſibus, & utrorumque naturas, ignorare nos ipſos prodimus. Diſcrevit autem haec genera Galenus manifeſte, cum ſubdidit; verum haec rarius incidunt; frequentiſſima vero hujus morbi ſunt tria genera, quorum ſingula propriam appellationem graece ſunt ſolita, &c. ſed ad differentiarum rem redeo. Aetius tumores ait quidam ſunt elevati, & ad motum, & contactum expoſiti, facileque curabiles; quidam vero inſerti, & ad motum non expoſiti, & in Chirurgiae aggreſſione ſummam diligentiam expetentes, propter imminentes ſanguinis eruptiones, ac nervorum puncturas.

Praeter has, & alia differentia eſt; quod Steatoma ſuppurationem nunqnam ſubire paratum eſt; cujus non ſunt expertes Atheroma, atque Meliceris.

Poſtrema eſt & alia, ſed ad curationem ſpectans Steatomatis, a reliquis differentia notata per Aetium, *Tetrab.* 4. *ſer.* 3. *c.* 8. quod in Steatomate praeſecando non ſic, ut in Atheromate, ac Meliceride, tunicae ſectionem timemus: nimirum adeps, quidcunque feceris, effluere paratus non eſt; ſed communitates & diſcrimina Cyſticorum Abſceſſuum habet jam omnes.

## CAP. VII.

### *An praeter tria celebria Foetabula ſint Strumae, Bronchocelaeve?*

INter haec omnia nobilis ſe offert quaeſtio; num Strumae de Foetabulorum ordine ſint, & cum Anomalis Abſceſſibus accipiendae? porro ſi Galenum audimus, qui 14. *meth. med.* Strumas dixit eſſe ſcirrhos in glandulis, videbuntur & Strumae ad certum humoris pituitoſi, vel melancholici vitium referendae; atque adeo intra quaternionem eſſe humorum: cui teſtimonium accedit Celſi, qui *l. 6. rei medicae cap.* 28. dixit, Strumas eſſe tumorem, in quo ſubter quaedam ex pure, & ſanguine, quaſi glandulae oriuntur: quo auctore vides Strumas ad ſanguinem referri.

Tamen ex adverſo Paulus Aegineta *l. 6. cap.* 35. diſertis verbis pronunciavit, Strumam intra tunicam contineri, quemadmodum Atheromata, & Steatomata, & Melicerides; & quemadmodum etiam haec curari, nec curabilem quidem, ubi exciſorum portio quantulacunque remanſerit: & Aetius *ex Leonida lib.* 13. *cap.* 5. cum voluit Strumas eſſe carnes ſubcandidas, facile angeſcentes, in membrana contentas, etiam aperte videtur faſſus, Strumas folliculo contineri, atque augeſcere. Accedit autem ad haec teſtimonium & tertium Guidonis Cauliaci, qui tectas membranis Strumas admonuit; ut cum haec curantur, nulla reſtet portio membranae continentis. Sed & folliculum provide detrahendum eſſe Strumis admonuit Hieron. Mercurialis *l. de morb. puer. c. proprio.* Nos vero Strumas cum folliculis, & pultea ſubſtantia, obſervamus in Hieronymo Caphorio, Calabro Oriolenſi. Experimentum autem abunde monſtrat, quod, niſi tota membranae portio eximatur, non ſuccedit curatio; ac ſi obducatur ulcus, denuo recrudeſcit, & recidivum fit vitium id: quod comperimus cum doctiſſimo Medico Franciſco Noma, anno 1630. in filia Marcelli Muſcettolae, Viri Patricii Neapolitani: cui adoleſcentulae ample patefacto ulcere, & impoſitis acerrimis medicamentis, atque trochiſcis, viſum eſt quidem ſatisfactum extirpationi radicum: ſed fibrae tamen exiliſſimae ſub carne latitantes intimius oculis impoſuere, atque, occluſo jam ulcere, poſt aliquod tempus vitium inſtauravere. Verum enim vero ſiquidem recte inſpicimus conditiones Anomalorum, quae ſunt concrementa ſubſtantiae ſolidae, quae foetus cujuſdam modo venis ſuppoſi-

positis nutriuntur, & augentur folliculo comprehensa; certe pleraque istorum Strumis desunt, nam ne nutriuntur quidem Strumae; siquidem vena nulla ad nutriendum est subdita: quod autem augeantur apparet quidem; verum per pororum infarctum est ejusmodi accretio, non per legitimum augmentum; ut ego autumo.

Major ambiguitas est de Bronchocelis, quae videntur etiam sub *Foetabuli* genere concludendae, quandoquidem & solidae partes sunt tunicula comprehensae; & cum in immensum excrescant, neque per pororum infarctum augeri, sed per suggestum alimentum, est probabile: insuper etiam mellea, pultacea, & sebacea, substantia contineantur, ut credit Aetius *l.* 4. *sect.* 3. quod etiam asserit de gummi Syphiliis Fallop. *l. de morbo Gallico*, ubi *de gummis* agit. Verum neque ad Anomalorum aliquam speciem Bronchocelas referemus, (cum multifidae sint & glandulas contineant praeduras & rubentes, ut observavimus 1625. in cadavere cujusdam puellae, per nos in domo templi, Visita Pauperes dicti, dissecto) sed ad carnosos tumores, quod in praesenti non explico: suus enim de his sermo paulo posterius erit. Simile quippiam videtur de Batrachio, quod Celsus *l.* 7. *c.* 12. §. 4. sub Abscessuum genere reponit; ejusdemque materiam ad Meliceridis naturam accedentem; membranula seu folliculo contineri expresse *ibidem* testatur: ob quam causam fortasse πολυδρινῶν recidivum fuit Clerico Neapolitano cuidam, Acolyto templi sanctimonialium D. Pobiti; itemque infantulae cuidam, cui bis pariter recurrit; utrumque candente scalpro consectum; sed compresso abunde tuberculo, sentientes se liberos & immunes, medicam subinde manum ambo spreverunt, nec ante vitii recursum ad me redierunt; qui, *spuma duorum draconum* imposita, fibras cysticas convulsi ac delevi, quoniam secundam ex obtuso ferramento ustionem non ferebant: evomuit hians Clerici ranula aquatum ovi rancidulum, infantulae vero praenigrum; cui rei astitit Paulus Aemilius Ferillus, Archiater Gallorum Reginae meritissimus.

De Nodis autem quid sentiendum; cum & hi ipsi colem non praetererant, verum eundum saepe offendant, ut scriptis prodidit Petrus Argelata *l.* 2. *c.* 4. *tract.* 3.? Sunt autem Nodi Arabibus auctoribus, & Arabistis, idem fere quod Anomala tubercula nobis & Galenice sentientibus.

## CAP. VIII.

### *De triplicis Abscessus materia communis scholae placitum.*

PRoducturi nos hoc loco tum nostram, tum aliorum, novam opinionem de natura Foetabulorum, & materia; factum iri rectius putamus, si communem etiam multorum sententiam prius exponamus: quorum primus Galenus differens hac de re, *lib.* 4. *meth. med. c.* 12. Fallopio interprete, statuit humorem, qui gignendis his Abscessibus praebet materiam, esse varium; id est, qui triplicem, triplici Foetabulo producendo, materiam substernat; crassissimam scilicet, & pinguissimam Steatoma; fluxilem, & lenem Meliceridi; mediam, & inter omnes siccissimam Atheromati: est tamen antequam concrescat in Abscessum unus humor, e venis exiens, tum pituitosus, tum melancholicus. Avicenna vero *in l.* 1. *fen.* 2. *doctrina prima*, sermone instituto de tumoribus a melancholico succo profectis, in his recenset Nodos, e quibus sunt Abscessus, a nobis in praesenti tractati: quae opinio videtur & Aetii, propterea, quod *lib. 6. cap. 68.* Meliceridem curans capitis, offert pro purgando corpore *serum caprinum cum Epithymo*, quod accomodatum est humori melancholico perpurgando medicamentum. Sed enim Avicenna

*lib.* 4. *fen.* 4. ad curationem Nodorum ait ; etiamſi nonnihil humoris melancholici contineant, tamen plurima conſtant pituita ſicca : in quam ſententiam iviſſe videtur & Aetius, qui, loco citato, *Colocynthidis* dilutum in curationem approbat, peculiari naturae conditione, phlegmagogum. Quid igitur, contradicuntne ſibimet auctores iſti? Non opinor equidem ; ſed quod elici ex utriſque poſſe videtur, illud eſt; pituitam potiſſimam eſſe cauſſam, quae modo craſſior, modo dilutior ſit: accidit autem non raro, ut cum plurimae pituitae nonnulla portio ſe inſerat humoris atri, a quibus ſuccis excluſos habet, tum ſanguinem, tum bilis quamcunque ſpeciem: atque ex hujuſmodi materia variam coctionem, aut corruptionem, nacta fiunt humores ſpecie varii, ex quibus Abſceſſus iſti proficiſcuntur.

## CAP. IX.

### *De naturae conſilio, in obducendis tunica Foetabulis.*

ILlud vero pleroſque ancipites habebit; quod opifex natura non vulgari videtur ſtudio membranam hiſce Foetabulis induxiſſe : tegmentum alioquin utilis, ac neceſſariae, rei cujuſpiam, qualis certe trium Abſceſſuum nullus eſt ; quin etiam materiae faedae plurimum, & abjectae: Sed enim hujus ſcirpi nodus ſic ſolvitur.

Haec concrementa veluti monſtra ſunt, corporis ſuam aliqua parte fabricationem nacta. Aut dicamus, naturam ſibimet ex hiſce fomitibus proponere quaedam animalcula, atque foeturas.

Ova, membranulis obtecta tenuiſſimis, viſa refert Laurentius Scholtius, apud Joannem Schenckium, *obſerv. medic. l.* 5. ; & ab Abſceſſu femoris ejectum ovum majuſculum, refert Marcellus Donatus, *l.* 4. *med. hiſt. mirab. cap.* 30. & Ambroſius Paraeus, *l.* 9. *Chirurgic. operum cap.* 3. ſcripſit ova etiam reperta in Abſceſſu dorſi. Atqui huic rerum generi univerſo membrana veluti chorion requirebatur. Aut (quod omnium eſt maxime probabile) dicamus ; neceſſariam omnino viſam opifici membranam, qua & Foetabulum illud ſuis ipſius terminis concluderetur, diſcluderenturque a proximo ambitu partes inculpatae : quod autem ad priorem hujus placiti partem attinet, confirmatur ; ſiquidem natura quidquid initio gignit, ſuo ſemper involucro, ſive quidem diſcreto, ſive cum corpore cohaerente, concludit: quam rem quidem rite cognoſcere licet in Animantibus quibuslibet & harum partibus; in ovis horumque particulis, in fructibus, pomiſque, & horum partibus, & in ſeminibus : quin etiam in pomorum interiorum quibuſdam plicaturis, mirum eſt ſane, ut parens omnium communis, minuta illa ſegmenta ex integro conveſtiverit ſuis membranis perinde, ut periculum aliquod incurſuris tunicam, & munimentum, adponens. Quod vero ad diſcludendos affinium terminos, ante aſſertos, ſpectat, facit in hanc rem illud, quod adnotavit eruditiſſimus Ambroſius Paraeus, *l.* 6. *fine*; concreari circa aneuriſmata cartilagineam, aut etiam oſſeam tunicam, quae, aggeris modo, furentis ſanguinis, ſpirituum vitalium copia turgentis, impetum frenet; ita curante Dei miniſtra natura.

## CAP. X.

### *De procreatione Cyſticorum Abſceſſuum opinio Ambroſii Paraei.*

JAm autem requiri videor, ut diſputetur, quid de horum Abſceſſuum generatione, generandique modo, ſentiendum ſit. In qua re primus de his, quos le-

ge-

gerim, Ambr. Paraeus memorat nobis, quod in homine mirabilis est omnium, quae naturae lege, imperioque, continentur, amplexus; atque adeo, quae magnus mundus ampliſſimo ſuo ſinu coercet, hic parva, velut tabula, compendioque, cogit, atque aemulatur. In hoc enim non archetypa, non coeleſtis, non elementaris regio defuit; quas res, qui non intelligunt, hi nullis philoſophiae partibus ſunt imbuti. Praeterea ut meteorum, ita & miſtorum omnium in ſe & abditas imagines refert, & perſaepe etiam aperte retexit: quare & animantium vim omnem continet, & ſtirpium lapidumque formas, & quae ſupra terram, infraque gignuntur, ea omnia mira quadam ratione in ſe geſtat, & profert. Itaque quid miremur, inquit, quod ſeu Foetabula, ſeu Germina iſta quacunque ſui parte, & varia in his, & enormia contenta gignat, & ſervet, homo; in quo foecundiſſima parens natura univerſae materiae, qua macrocoſmus conſtitit, varias particulas, & ſemina, condidit? Itaque in eo ſibi placere, ut omnes actiones, motuſque, quos obire, atque edere in majoris illius Mundi ſcena ſolet, in hoc parvo etiam effingat; nunquam in nobis ocioſa, modo ne materia deſit.

## CAP. XI.

### *De materia Foetabulorum opinio Felicis Plateri.*

ALiam opinionem amplexus eſt Felix Platerus, diligens naturae veſtigator, qui *Prax. medicae tract. 3. c. 3. §. de cauſis*, decrevit crudiorem ſuccum, quam carni nutriendae convenit, hujuſmodi concrementorum materiam eſſe; quod autem aliena pleraque connaſcantur, fit, inquit, quod nutrimenti alterius partis, quae craſſo admodum ſucco ali debuit, portio ab ea abſcedens in carnoſas ſedes, cum illarum nutrimento delata, talem duritiem in illis gignat. Quae res inde comprobari poteſt, quod in ejuſmodi Abſceſſibus, ex illis tumoribus genitis; aliquid aliarum partium ſubſtantiae ſimile invenitur; nunc pilum, nunc unguem, nunc os, nunc glandulam, referens; quae vix dum ex aliis, quam ex ſucco, haſce partes illic in cute, vel carne vicina nutriente, huc cum proprio carnis nutrimento delato, naſci potuiſſent; uti & ſi ſaevum referat, pinguiorem ſanguinis partem, quae pinguedinem efficit, huc quoque perveniſſet, ex eoque ſic concreviſſe veriſimile videtur: vel ſi pultem, aut mel exprimat ſuccum carneum non in pus tale, quale in calidis tumoribus per ſuppurationem naſcitur, ſed ejuſmodi humorem magis tenacem maturatione, vi caloris excoctum fuiſſe: qui ſi ulterius torreatur, ſuccuſque ille magis terreus ſit, aliud quid, ut carbones, vel calculos ſimiliaque referet. Haec ſi propria incluſa ſint membrana, & illa quoque a membranoſo ſucco ſimiliter, uti de caeteris partibus dictum, huc perveniente naſcetur. Quae ut in tumore in Abſceſſum degenerante ita fieri poſſunt, ſic & alterius craſſioris, durioriſque partis, ſuccus carni inſertus. Addidit & his denique confirmationem Platerus; nam ſi ex ejuſmodi, melancholiae ſcilicet, & pituitae, excrementis, tale quid miſceretur, non tam ſtabile, ſed putredini, & corruptioni obnoxium eſſet; ſicuti etiam in aliis tumoribus, quos ab iiſdem humoribus proficiſci exiſtimarunt, oſtendimus; haec ille; quorum poſtrema ratio non parum inſolens, & improbabilis, futura eſt apud multos; propterea, quod omnium a communi ſchola deflectit; niſi, quod non melancholicum aut pituitoſum ipſum ſuccum, ſed horum excrementa refutavit hic auctor.

## CAP. XII.

*De eadem re ſingularis opinio Gabrielis Ferrarii.*

SEd & de materia nova eſt opinio Gabrielis Ferrarii, viri quidem & ſi non omnibus medicinae partibus exculti, nihilominus ſcriptarum rerum firmitudine ſic approbati multis, ut & omnes ejuſdem libros pluribus editionibus viſendos Itali, & latine lectitandos voluerint Germani. Ita non indignus viſus eſt nobis, qui ſcriptis interdum noſtris citaretur. Hic *libr. primo chir. adverſione* 27. profeſſus eſt Natas dictos Abſceſſus oriri ex ſuperfluitate copioſi ſpermatis. Indicia ſunt: primum, quod hae in vaſtum excreſcunt; ſumpto videlicet alimento ex venis capillaribus deducentibus (quae ſecunda eſt ratio) ſanguinem ſubſtantiae coactioris, ex quali & ſperma procreatur. Tertio, quemadmodum in prima embryonis conceptione, ex tenuiſſimis, & varie confluentibus, venulis, unus veluti caudex conflatur, indeque haurit perpetuo nutricatum foetus; ad eum prope modum, venularum, ſi dici licet, radicatio eſt his hemizoophytis. Quarto, reperiuntur in horum conceptaculis, aut digitus cum ungue unus vel alter, aut brachiolum, aut pes, aut auricula, aut mamma, nunc pilis obducta, nunc ſimplex, interdum, & qualis, ſpinae dorſi medulla innaſcitur. Haec ejus viri ſunt argumenta, firma quidem parum, verumtamen haud continenter explodenda, quin prope interpretanda, aut caſtiganda, cum ſua ejuſdem prolepſi; nimirum, quod non ſpermatica ſit aliqua cyſtularum ſubſtantia, ſed ſpermatis certe materiam, & ſuggermina, aemulantur.

## CAP. XIII.

*De procreatione iſtorum Phymatum, & Tunicularum, Opinio noſtra.*

NOſtra nunc inter has omnes proferenda ſententia eſt, quam equidem confido Viris candidis ſimul, & doctis non vulgariter placituram; ſic veſtigiis haeret naturae, ſic probabili nititur obſervatione rerum. Conſtat affectum hunc oriri ſemper ob plenitudinem, vel non ſine ipſa; eſſe tum, ut tumores quidem omnes communiter, tum privata etiam ratione. Porro plurimum hominibus inexercitatis, ocioſis, ac plenis ſaltem excrementorum, quales Coenobitae ſunt, etiam corporibus partibuſque horum venoſis, & laxis, & in quas ad ſummam promptior eſt defluxu, atque luxuries, Phymata iſta naſcuntur.

Alterum etiam advertendum eſt, humorem jam memoratum, qui exuberat, ſubſtantia craſſum eſſe propterea, quod obſervatione longa comperimus, ſuccum hunc e cute effluere non poſſe, ſed infra ipſam perpetuo conſtitiſſe; fortaſſe autem a natura plerumque ad effluxum deſtinatus erat: at vero, quia nimius, & craſſus eſt, quoniam diſcuti, aut diffiari nequit, conſiſtat in ſe ipſum oportet. Inſuper vero craſſitudo monſtratur, quod ex ejuſdem ſui ipſius ſubſtantia tunica conflatur craſſa, & corpulenta; quod utique non fieret, niſi craſſities ineſſet.

Tertio ſtatuendum ſuperfluam quidem, ſed nutritoriam hanc materiam plurima parte eſſe. Argumento eſt, quod placida, & miti praedita eſt natura. Verum contempta ſuperfluitate, tandem a naturae complexu recipitur, & in aliquod concrementum praeparatur. Quoniam autem in legitimam corporis humani partem abire non poteſt, quia ſemel rejecta eſt ab unaquaque parte aliena; ob id in eam formam deducitur, quae maxime ſubſtratae materiae conſentanea eſt; ſeu tenuior,

ea-

eademque viſcida, & pituitoſa ſit, qualis mucilago e mucaginoſis ſtirpium ſeminibus, partibuſque aliis ipſarum, elicitur; ſeu craſſior eſt ſpecies excrementii ſanguinis; ſeu craſſa, & incocta, & luculenta, qua pituitae glaſteae reſpondet. Triplicem enim hanc effuſam materiam agitans calor partis cujuſpiam, potiſſimum a proximis arteriis adjutus, commodiorem in aliquam formam immutat; quae ſane rotunda eſt, aut ad hanc accedens alia. Illud autem cum fit, quoniam unicuique ſuam vivendi ſortem jam nanciſcenti, obſervatione a nobis ante producta, tunicula ſua debetur: ob eam rem ſedula natura, ſeu de lenta tenacique ſuppoſitae materiae portione, ſpiritus vi ſufflantis, opificis vitrarii modo, ſicut Hippocrates, *in l. de carnibus*, docuit, veſiculam exhibet: ſeu quod Hieronymo Fabricio placuit non exordio, nec plane funditus id rei creat; ſed cum adverſam illam ſubſtantiam ſentit, continuo de membraneis nexibus tunicam extendit. Jam vero venula, vocata nutricula, ſuboritur ex eructato primum copioſo ſanguine, quem natura, nil utile abjiciens, & omnia meliorem in formam trahens, & ſua etiam adoptata cuſtodiens, vi ſpiritus, ut modo diximus, in vaſculi formam educit; ut educatum ſuum foetabulum in vita manere queat, & a caeteris partibus diſcludatur. *Nata* etiam ex nutrimentitiis propriis membri liquoribus originem ducit, eorumque a quibus provenit liquoribus, ſimilitudinem recipit, ut inde ſequatur, aliquas eſſe cartilaginoſas, aliquas carnoſas, & nonnullas ligamentoſas, aut aliis membris ſimiles, ut oſſibus & articulis: Haec Paracelſus, *Chirurg. min. l. 3. de Steatomate c. 15. quod inſcriptum eſt de Glandulis & Naptis*. Caeterum ut in his Abſceſſibus venae ſuboriantur, operae pretium eſt dignoſci: equidem non ita certa fide cum Hieronymo ab Aquapendente ſentio, ſicut arterias hiſce Abſceſſibus negatas, ita venas iiſdem datas nutriculas aſſerit; ut non credam poſſe dubitari non inepte, num aequivoca ſint vaſa iſta; atque adeo dico probabile, ut ſimilis ſint iſta conditionis cum venis Zebel vel Sebel, Arabibus Medicis auctoribus dictis, quae in tunica oculi adnata ſaepe ſolent oriri. Sunt autem auctore Avenzoar, *in 1. theiſir. tract. 8. cap. 28.* contextura quaedam rubra, facta in ſuperficie conjunctivae ſive albi oculorum, & nominantur in Arabico venae Altheben, & non ſunt venae procedentes ab hepate, nec arteriae a corde venientes, ſed aſſimilantes, quae involutae ſunt, & contextae ſupra albedinem; & aliquando in tantum extenduntur, quod nigrum cooperire reperiuntur: haec Avenzoar, quem ſecutus videtur Averrhoes, *in ſecunda parte cantic. comm. 87.* per haec; Zebel eſt quaedam textura venarum innaturalium ſuper conjunctivam oculi facta: Hunc vaſorum fortuitum exortum cum profeſſi fuerint uterque auctor, nihilominus haud quidquam de generandi modo prodiderunt; quem modum explicatius aperuit Philip. Ingraſſias, *in lib. de tumoribus p. n.* ubi ait. Quoniam ſcilicet tam venae, quam arteriae, naturales ibi exiſtentes, mirum in modum craſſiori ſanguine replentur: dein vero ex reſidente paulatim e vaſis glutinoſo ſanguine, in primis juxta illas venas & arterias, quaedam exterius lineae ac tanquam novae venae & arteriae depinguntur; non quidem, quod verae venae aut arteriae ſint, ſed cum rubeae lineae ſupra venas jam arteriaſque exterius emineant, illarum penitus vel gyros, vel rectitudinem, conſervantes, earum quoque effigiem minus exquiſite intuentibus repraeſentant. Ita quidem Philip. Ingraſſias, cujus eandem rationem gignendis Anomalorum vicibus accommodari, nihil eſſe, quod vetet, arbitror: quod ſi naturalem iſtorum exortum retinere placet, certe me non latet, Galenum *in 1. de ſem. c. 3. P. & 14. m. m. cap. 17. F.* profeſſum, ſaepe ſibi viſas venas & multas & amplas in ulceribus renatas. Quod ſi calor nativus id praeſtare poteſt ſolus, quidni valeat idem cum extraneo conjunctus? Haec ſunt, quae in obſcura,

at-

atque arcana alioqui re, ut gratis equidem in commenta non abeam, certiora judico, & de venarum procreatione ſufficientia Lectori exiſtimo : quod vero ſpectat ad radicum primum exortum, quemadmodum creatis ex putri materia fungis, & aliis pleriſque, ſponte ac ſine ſeminio, ſed ab humoris genio naſcentibus, natura fibras & radices, quibus alimentum e terra trahunt, ſummittit ; ita & Atheromatum, Steatomatumque.

## CAP. XIV.

### *De varia magnitudine iſtorum Abſceſſuum.*

POſt haec vero magnitudinem, ac formam, quae in his Abſceſſibus ſaepe viſi conſueverunt, expediemus. Parvum quidem eſt *Steatoma* trium librarum, de quo retulit Joannes Schenckius *l.* 5. *cap. de Strumis* : ſed idem narrat *eodem lib. cap. de cervice*, natum homini cuidam ea parte tuber rotundum capitis humani ferme magnitudine, bicipitis hominis ſpecie. Ad haec Lupiam octo librarum, etiam capitis magnitudine, cervicibus exſectam narrat Ambr. Paraeus, *l. 6. ſuorum operum cap.* 20. Itemque Jacobus Hollerius refert *in obſervat.* de Ganglio concreto in inguine, quod pueri caput aequabat. In qua parte, & viginti quatuor librarum alteram obſervaſſe ſcribit Amat. Luſit. *cent.* 5. *c.* 88. Aliam vero Naptham ſeptem librarum, veluti pulvinar expanſam, in humero ſe vidiſſe profeſſus eſt Theodoricus, *lib.* 3. *chirurg. cap.* 31. vaſtam, ac immanem viſam adeo, ut ipſe reformidarit reſcindere. Aliam, quae ſextarium aequabat, geſtandi labore intolerabilem, exſectam a Chirurgis ſui temporis, ſcriptum reliquit Antonius Muſa Braſavolus *ad aphor.* 27. *lib. 6. aphor. Hippocr.* Vaſtiſſimas denique alias hujus generis excreſcentias ſcripſit Marc. Donatus, *mirabilis hiſtoriae medicae libro* 5. *c.* 3. Sed extra normam omnem, & fines, evagata videtur fuiſſe illa, quam Anton. Benivenius, *l. de abditis*, & Jo. Langius *l.* 3. *epiſt.* 4. narravit ſexaginta uſque libras pendentem. Ad ſummam, quod ad magnitudinem eorundem ſpectat, has in tantum ſaepe vidimus excreſcentes, ut admiratione fuerint omnibus, & incredibiles ſint relatu. Haec tibi de Abſceſſuum iſtorum magnitudine ſufficiant.

## CAP. XV.

### *De varia eorundem Forma.*

FOrmae vero apprime variae ſunt a nobis obſervatae, & ab auctoribus ante deſcriptae. Guido enim *tract.* 2. *doct. prima cap.* 3. retulit aliquando referre melonem, aut cucurbitam, aut natem ; unde *natas* dici volunt nonnulli, quanquam hoc etymon alii alio referunt. Praeterea vel lata baſi ſunt, ut mammae, vel tenuiore pedunculo exortae in majorem aſſurgunt molem, quo fit, ut ficus, aut piri, aut fructus cujuſpiam figuram propemodum habeant. Interdum etiam compreſſae ſunt adeo, ut non facile ſe prodant ; longo etiam ſchemate obſervare licuit ; itemque tuberoſos, ut pleraeque *bronchocelae* ; aliquando rotundos ; aliquando forma nucis caſtaneae, nucis juglandis, ac teſticuli ; alias lupini ; alias glandis modo ſubſiſtentes ; non raro etiam multiformis, & compoſitae figurae, ſe proferunt cum appendiculis, & ſtriamentis quibuſdam, qualia Franciſcanae, & Carmelitae, Coenobitis, ejecta tubera depinguntur. Adeo videbis multa Foetabulorum, luxurie ac varietate, incertas iſtorum formas.

CAP.

## CAP. XVI.

*De enormibus contentis, atque foeturis.*

ETsi equidem aliquando dixi, consentaneos non nihil humanae conditioni tunicatos Abscessus; nihilominus hoc, facta collatione ad alios cum dolore, inflammatione, putredine conjunctos, & de recentibus, & maxime de privatis, *Steatomatis* dixisse volui; nam neque desunt etiam in his alienae ac praeternaturalis conditionis argumenta. Quorum illud maximum; quod tanta his interdum inclusa putredo est, ut extreme foeteat adaperto folliculo; quod nos experti sumus in Atheromate Tyberii Coppulae, alias a nobis memorato *in physico chirurgicis cap.* 12. cujus per novendecim annos conclusae materiae tam gravis exhalabat odor, ut non, nisi applicitis ad nares odoramentis, potuerim equidem fibrarum laboriose evellendarum operam administrare. Qua tanta Abscessuum exstante putredine, cui mirum in his innasci vermes, & animalcula, quae semper ex putri subdita materia proveniunt. *Strumam* amplam pediculis refertam casu curatam memoriae prodidit Jo. Schenckius, *libr.* 5. *tit. de cervic.* & alibi. In inguinis Abscessu vermes reperit Gabriel Fallopius; & in alio etiam animalcula multa Bartholomaeus Cabrolius, *observat.* 27. Praeter autem animalcula ex putri genita, quot & quae, tum insolentis materiae vitio, tum putrifici caloris opera, substantiae non coalescunt sub his lacunis? Dicam de mirabilibus quibusdam rebus innatis, quando nulla fere spurcitiei species est, quae, his veluti stagnis & matricibus, concretae non offendatur: ungues, inquam, ossa, pili, testae, lapides, & porri similia fragmenta, & ligni ramenta; humidorum vero generi respondentia & lutum, & coenum, & olei amurca, & vini faecula; item substantia rasae cartilaginis, carnis hebetis, & cruentae. Item cuidam adolescenti, famulo Alexandri Pellicciae Tropiensi, eductus, adunco scalpro de gena subjecta, folliculus cum inserto ovo pusillo, nascente jam in matrice gallinae, reticulatus, & implexus amphibliſtroidi membranae, modo; in cujus ulcere die quinto & septimo, atque deinceps, secuta sanguinis profusio vix compressa est; sic motibus obnoxio loco, non prius autem quam quadragesimo sanitas restituta. Sic carnosam in Abscessibus materiam vidisse testatus est Philip. Ingrassias *l. de tumoribus, in fine.* Ad haec creta, limacum cochleae, spicae, cornua, carnes tum durae, tum spongiosae, atque alia complura: & quia carnis hebetis, cruentae, mentio facta est, similis rei narrabo historiam, quae est. Carunculas, muci lutei concrementa, expressi de *Atheromate* supra genu, quod duos jam annos conquesta fuerat venerabilis in Christo Soror Antonia de Siano, Pharthenophilacii Spiritus sancti Abbatissa: de qua re compertum est Aloysio de Gratia, & Francisco Laviano, praestantissimis ejus domus Medicis, atque etiam Joan. Andreae Basilio, Medico Collegii Neapolitani, atque urbis, primario.

Atheromatis vitio concretas albas crustulas desquamatiles, & ovorum testulas, si tantum has molliores animo conceperis, offendi in homine, quem Jacobus a Salvatore, Chirurgus Herniarius Neapoli percelebris, curaverat, & ad me relegaverat An. Christi circiter 1615. Dictum vero cum est, de stoebe multiplici, lapideas item inesse quis credat? at nihilominus omni figura sunt in his repertae, id est, varia sorte effigiatae, quadrangulae, triangulae, ovales, multiformis & incertae figurae; quemadmodum Joannes Centimanus *in libello de calculis*, Marcellus Donatus, Ambrosius Paraeus, & Joannes Schenckius, suis scriptis prodidere.

CAP.

## CAP. XVII.

*Nullum corporis esse locum, qui hisce Tuberculis non sit obnoxius.*

NAscuntur quidem hoc genus Tubercula variis in locis corporis. Verum secundum caput visuntur, tam frequenter, ut plures sint, quam ut memorari debeant, singulares homines, qui secundum id loci sunt haec experti. Fronte media, sed qua capillus attingit, *Atheroma* excussi Thomae Lautitio Lucano, ex oppido Sancti Mauri.

De intima superiori palpebra, visum oculo integro praecludentem *Meliceridem*, testudinis ovo majorem, Romano cuidam advenae, nostro in Valetudinario, detraxi; cujus alioquin magnitudine memorabilis exsculptam aere imaginem suo loco dabimus. Itemque pone canthum oculi exteriorem *Atheroma* Vincentio Caesario, adolescenti ex oppido Sancti Anthymi. Ad externum angulum oculi dextri *Atheroma* palumbino minus ovo gestat Josephus Albasius Neapolitanus, vir & legum scientia, & hac nota conspicuus: contentus autem abunde sua studii claritate posset esse, qui jam pridem invenerat hominem, qui facile tuberculum exemisset.

*Atheroma* Aureliae Vitalianae, M. Antonii filiae, post autem excussi, rem approbante Joann. Thoma Jovino, docto Philosopho, ac Medico Neapolitano. In auriculae vero pinna Paulo Nannio, Jurisperito, & civi Tarentino ornatissimo.

Sed & sub maxilla inferiore *Steatoma* natum erat Moniali cuidam D. Potiti, Coenobii Neapolitani vetustissimi, cui cum efficaci Medico Francisco Ferruccio consultavimus.

Vitalianae in cervicibus *Atheroma*, longos jam annos, gestat spectabilis patricius Neapolitanus Octavius Laynus, quod a parvae avellanae magnitudine in semipugnum excrevit.

Matthaeo Soccolino Caesenati Theatino, Pictori Illustri, viroque ingenioso, qui rheumate diuturno atque asthmate, non sine phthisis suspicione, vexatus fuerat, *Atheromata* duo de paristhmiis extraxi, in Sacris aedibus SS. Apostolorum, Sebastiano Vecchiono Medico clarissimo spectante. Sed & calculos ab hisce partibus excidisse refert Langius, *l.* 2. *epist.* 57.

*Atheromatis* sub lingua meminit Conradus, *histor. gener. animant. pag.* 8. & Felix Platerus *Prax. medic. tract.* 3. *tit. de exuberantia pag.* 224.

De jugulo resciissum *Steatoma* Gratiae de Philipis, sodali Franciscanae, in Sacris aedibus Jesu Neapolis, pictura expressum paulo posterius dabo.

Cujus ejusdem Coenobii vetula sacra virgo, Eugenia Suarda *Steatoma*, sub spatula, habuit.

In dorso *Atheroma* curavi Lucretiae Cacaci Moniali Parthenophilacii Spiritus sancti, cujus materia alba foliata velut artocreae.

Super ensiformi positum *Steatoma* Dominico Riccardo, puero Abellinati.

Toto costarum spatio exteriore plurima Ferrandus Brunus, Francisci filius, in Valetudinarium curanda detulit; quorum unum testudinis terrestris majusculae magnitudine costas medias occupabat.

In media manus vola ex ictu, collisuve, multo ante praegresso, *Atheroma* grani Indici modo Ursulae, sodali Franciscanae sacri Coenobii Jesu Virginum, exemi.

In cubiti flexura *Atheroma* curavi Joanni Alphonso Gryllo, Calabro, viro podagrico.

Ad

Ad interiorem pollicis ſupremi canthum, qua manus tuber maximum attingit, *Meliceridem* geſtaverat Adamus Marchius Valetudinarii noſtri Medicus excellens.

In metacarpi flexura naſcuntur ſaepiſſime *Melicerides*; ex quo genere unam mihimet ipſe radio paſtinacae marinae Pithecuſis aperui: humor autem prodiit albuminis ovi tenuitatem, mellis albi colorem (inde Meliceridem dictam puta) olei vero amygdalini lenitatem, referens. Aliam ibidem corporis Leonardo Ciccono Abellinati, rei medicae doctori. Aliam Andreae Manſi ſorori.

In digito vero Joanni Fontanae, picturarum ex minio coloratori.

In extremo indice *Meliceridem* Julio Caeſari Capacio, clariſſimo Muſagetae noſtro Neapolitano, curavi.

Aliud e genu Capucino, cui nomen Stephano Calacenſi, detraxi; cujus imaginem paulo poſterius ſub conſpectum dabo. In genu etiam utroque non mediocre *Steatoma* ſuſtuli Domino Franciſco Antonio, Principi reverendo, Sacerdoti Neapolitano; ex cujus tuberculi apertione moriturum hominem convulſione praedixerant inexperti Medici quidam.

Inguibus & Abſceſſus hujus generis exſectos ſe vidiſſe perhibet Jo. Arculanus, *in com. ad Razem cap. 69.*

In crure vero compertos eoſdem refert Joh. Centimanus, *libello de calculis.*

De poplite magnum *Steatoma* Eugenio Calleſano, Madritenſi, Carmelitano Sacerdoti, detraxi; de cujus forma, & magnitudine, poſterius te docebo, viva ad hanc rem imagine repreſentata.

Hactenus habes Abſceſſuum Anomalorum locos, quibus quidem certis partibus, & numero definitis, contentos nos eſſe decet. Enimvero partem corporis, quae ab hiſce Tuberculis immunis ſit, ſiquidem exactus in pervidendo fueris, prorſus invenies nullum.

## CAP. XVIII.

### *De Cauſis externis, quae praenarratos Abſceſſus interdum inducere ſolent.*

SAtis jam de praecipua rei natura: deinceps ad caeteras affectiones, & proprietates enucleandas accedamus. Quoniam quidem Anomalis his Abſceſſibus *Phymatum* nomen accommodavimus; continuo ſe ſpontaneam declarat rerum iſtiuſmodi procreatio. Nihilominus non deſunt, mea quidem obſervatione, ac judicio, quorum ab exterioribus cauſſis primus fuit initus, & origo. Sic a verberibus, & alliſu crebro, jumentis praeſertim equini generis, per aliqua membra corporis exſtantes, & pendulas, has formas ſaepe vidi. Sed ut privatum de noſtra hominum gente ſermonem faciamus; ſpecta primum ad quoſdam religioſos, orationi genubus ad terram demiſſis factitandae aſſuetos, ſic, ut articuli diu fatigentur, & obſtupeſcant: ex hoc vitae genere maxime Capucini, atque obſervantioris voti Auguſtiniani, Carmelitanique, ſunt. Hi, quam ſaepiſſime, genus hoc mali ſolent incurrere. Sed ex percuſſu etiam, qui parvulum *Atheroma* retulerit nuperrime narravi; praeterquam quod & Ganglium, conſimile Tuberculum, in carpum ex vi, atque ictu, proficiſci teſtantur Graeci omnes, & Paulus Aegineta, *l.* 4. At ſi Ganglia ex ſilva noſtra rejicis, ſunt & *Melicerides*, quas ex oblata ſimiliter cauſſa, pleriſque ſub carpo, naſci comperi; affectu videlicet conſentaneo, qui ad dolentes, infirmataſque particulas, praeſertim ad articulos, qui laxi ſunt, ſuccos evocet e corpore: qui ſucci poſtmodum, decernente calore, in hanc, aut illam, for-

mam tranſeunt ; atque ita , & *Atheromata* , & *Melicerides* , exhibita extrinſecus occaſione , accidere poſſe jam apparet : de *Steatomate* idem , quod neque hactenus obſervavi , aut auſim dicere .

## CAP. XIX.

### *Normae diſcretrices Anomalorum .*

GEnerales autem Iſtorum *notae* ſunt hae . Ex parvulo incipiunt , & diu paulatimque increſcunt , & tunica ſua includuntur , fereque ſine dolore ſunt : quid intus habent ut conjectura praeſagiri poteſt ; ſed ex toto cognoſci , niſi cum ejecta ſunt , non poteſt : maxime autem in his , quae ſi reſcinduntur , aut lapillis quaedam ſimilia , aut concreti confertique pili , reperiuntur . In his vero , quae cedunt , aut melli ſimile aliquid , aut tenui pulticulae , aut quaſi raſae cartilagini , aut carni hebeti , & cruentae ; quibus aliqui dolores eſſe conſueverunt . *Atheromati* humor ideoque preſſum circumfluit . *Steatomati* pingue quiddam , idque latiſſime patere conſuevit , reſolvitque totam cutem ſuperpoſitam ſic , ut ea labet ; cum in caeteris ſit adſtrictior . Haec Cornelius *l. 7. cap. 6.* Sed hos omnes ita diſtinxit Aetius Tetrab. 4. *ſerm. 3. cap. 7. &* 8. Eſt *Atheromatis* tumor ſpecie , & figura , oblongus , ſublatuſque , & ad compreſſionem digitorum ob humoris craſſitudinem tarde cedens , & amotis digitis tarde revertens . *Meliceris* differt ab *Atheromate* figura , & humoris eſſentia ; nam & figura rotundior eſt , & humoris eſſentia tenuior , & hujus tumor magis revertitur . *Steatoma* eſt tumor tactu levis , & in principio quidem puſillus , ſed temporis progreſſu amplior .

Sed Paulus Aegineta *l. 6. cap. 36.* Abſceſſuum iſtorum notas , & indicia , breviſſime deſcripſit his verbis . *Steatoma* aliis durius eſt , tactui renititur , & baſin habet ſolidiorem . *Meliceris* laxi cujuſdam corporis modo ſubſidet , & tarde quidem funditur , cito vero rurſum ſuccreſcit .

## CAP. XX.

### *Quae ad futura ſpectant judicia .*

ABſceſſuum iſtorum praeſagia ſummatim , & paucis , attigerunt omnes , qui de his tradidere : nos autem de univerſis optima deſcribemus . Quod ad *eventum* pertinet , hos omnes periculo non carere pronunciavit Celſus : verum non ita quidem alii poſteriores , e quibus unus Julius Caeſar Arantius , in *l. de tumor. praeter natur. cap. 3.* refert , tum cauſtico medicamento , tum ferro frigido , aut candente , tractatos ex his aliquos interiiſſe ; propterea , quod inflammato pericranio , craſſa cerebri membrana coaffecta eſt . Et Vidus Florentinus , in *oper. de curat. gener. part. 2. l. 12. c. 11.* eventus , ait , ſalubris expectari debet , ubi curetur Abſceſſus , priuſquam valde increſcat : qui admodum grandis eſt , vel non curatur , vel hominem diu torquet , vel cum periculo curatur , ne venae , & arteriae magnae , violentur , & homo effuſo ſanguine decedat . Sed Gabriel Fallopius , loco ſaepius memorato ; ſi capitis , inquit , aliqua parte occupata ſic haeſerint , ut loco moveri non poſſint , oſſis timenda corruptio eſt ; maxime ex *Atheromatis* , luis Venerae fructibus ; manet , inquam , vel oſſis , vel membranae , corruptio , ni mature ſuccurrat , praeveniatque , Medicus . Eſt item difficilis , & verenda curatio , ſi tumores hi guttur adorti ſint , ampli potiſſimum . Ex adverſo , qui ſe quocunque

tra-

trahi ſinunt tutiſſimi ſunt omnes; ſi tantum eos, qui tenui diſcludente membrana, cavis corporis locis incumbunt, exemeris. Caeterum ſunt interdum Abſceſſus iſti ſuppurabiles; quod cognoveris ex colore rubente, & aliquantulum accenſo :. unde & curationis brevitatem praenunciare licebit.

Quod ad *curationis* attinet *tempus*; hoc quidem medicamentis longum; chirurgia vero expedita eſt. Sed via, qua tolluntur haec Tubera, paulo poſterius exponetur.

## CAP. XXI.

### *Sint Abſceſſus hi curandi? & de Curationis neceſſitate.*

HAc noſtra tempeſtate Medicorum omne decretum in eo conſtitit, ut neutiquam per ſcalprum attrectanda judicent haec Apoſtemata, utpote quae non urgeant. Verumtamen incommoda multa, quae genus hoc afferre ſolet, inconſulte tranſcurrunt. Taceo formae turpitudinem, quae multis eſt ſupplicio, ſiquidem in locum corporis, oculis adſpectabilem, inciderint, praecipue vero foeminis & mollibus hominibus; quibus, ut notat Celſus, eripi cura cultus ſui non poteſt. Sed enim, quis horum moleſtiam, quis alienae ſubſtantiae inhaeſum diſſimulet, totis vitae curriculis ſtabilem? Sunt autem horum materiae *toto genere praeter naturam*, ut notat Gal. *l.* 3. *meth. med.* non ſemel.

Praeterea vaſtitatis incommodum interdum eſt tale, ut motiones corporis, & muſculorum, impediat; perpetuum autem illud, quod in unum latus decubitu privant homines; ſi de majuſculis tamen hoc dictum intelligas. Porro videre licuit ſaepe Neapoli mendicum, cui Abſceſſus erat in ſiniſtra nate (*napam* & *naſdam* vocat Conradus Tigurinus) major, quam totum abdomen ſit communis menſurae hominis, undoſus, fluctuans; tota ſua comprehenſione concolor; indolens, & mobilis, velut utris: homo habitu ſtrigoſo, & ſqualenti, atque etiam quaſi confecto. Plures quoque relati ſunt a me ante, quibus incommoda vita erat, & qui principio ſanari potuerant facile, jam inſanabiles.

Tertio etiam, ad plenilunia atque interlunia, dolent acriter, atque efferaſcunt ita diſtenti, ut diſcerpi ſibi membra ſentiant laborantes. Ad haec per extremos brumae rigores difficile non eſt, ut rigorem nigroremve obeant. Etenim aeſtate media, licuit obſervare in fronte cujuſdam hominis Atheroma, quod attactum perſentiretur frigens; adeo ſcilicet a natura, & comite calore, diſtat incluſus fomes.

Poſtremo, ſi locum excarnem infimi, vel medii, ventris Atheroma prehenderit, aliquot annorum curriculis, non eſt difficile, ut, factis eroſione cuniculis, interdum in cava penetret viſcerum: quod Dominico, adoleſcenti Abellinati, eveniſſe comperi, eventu plane funeſto. Etenim, ulcerato circa xyphoidem Atheromate, poſt aliquod facta ſinuatio in ultimam membranam, & clauſtra pectoris, ſenſim, exhauſto ſpiritu, finiit puerum alioquin imbecillum.

Ad haec mala omnia illud accedit maximum, & difficillimum; quod ſub longa contage ſaniei, atque putredinis, ad uſque os ſubjectum conteri ſolet: ut ſi in caput vitium inciderit, pericranium, & cranium, infectionem maneant; ut evenire ſolet e gummi Venereo, quod adnotavit Fallopius, loco ſaepius citato; itemque e Talparia, teſtimonio Lanfranci Mediolanenſis, Guidonis Cauliaci, *tract.* 2. *doctr.* *c.* 1. Amati Luſitani, *centur.* 1. *curat.* 16.

Cum igitur, inquam, putridi vitii pericula foveant hi Abſceſſus; cum menſtruis

ſtruis incrementis, diſtentionum, & molis, oneriſque, moleſtia fatigent; detrimentum adferentes amictus, inſeſſus, decubitus, motus, item pleriſque vitae muneribus; nec non majeſtati vultus, cui tantopere natura ſtuduit, incommodent: denique cum non ſemel ad uſque mortem inſolentia ſint; quid non amputandos eoſdem, & quacunque licet arte demoliendos, exiſtimet quiſpiam? vel quis etiam nunc deliberate reſcindendos abnuat? Suaſum hoc quippe nobis per Veteres auctores Graecos, Latinos, Poenos, Mauros, Arabas, & Arabiſtas omnes, ſeu Medicos, ſeu Chirurgicos. Suaſum etiam noviſſime a Gabriele Fallopio, Joanne Tagautio, Hieronymo Fabricio, Joanne Riolano, *in Chirurgia*, *cap. de bronchocele*, *nata*, *teſtudine*, *talpa*; Bartholomaeo Cabrolio *obſ.* 30. & Fabricio Hildano, *obſervatione* 63. Illud autem frugis conſequitur, ſi declinetur, differaturque Chirurgia; ſive geſtantium hominum, qui non permittunt, ſive Medicorum, qui operam attrectare non audent, culpa; ut ſaepe cum allaborare velint, non poſſit. Notus eſt homo Neapoli, qui circumſeptas cervices, & collum, quatuor Atheromatis, folliculi luſorii magnitudinem aequantibus, habet, jam jam, ut apparet, ſtrangulaturis. Notus &, in eadem urbe, Ferrandus Laudiſella, ſophiſta, doctorque adoleſcentium eruditus, qui cum Steatomatis, in gena exſtantis, exciſionem, multijam annis, ab experientis Medici manu refugerit, jam accretum ad magnitudinem mali inſani tumorem habet; & amictu inſolenti nunc obtegere coactus eſt, & vix aliquem reperit, qui tuto ab eo ſe malo liberare confidat. Itaque negleCtam in arduis Chirurgiam, poenitentia ſemper ſequitur. Quod ſi me audient, aut medentes, aut vitium hoc ferentes, cum primum ſe prodiderit exultans cute tuberculum; e veſtigio ſuccidant nil veriti. Facile tenella revellitur arbuſcula, quae cum altas in patrio ſolo fixerit radices, & revellentis omnes vires ridet, & reſecta repullulaſcit.


## CAP. XXII.

### *Exciſorum aliquot Abſceſſuum Hiſtoriae memorabiles.*

SEd hos, qui ne arduas quidem, ſed mediocres operas, tam multum reformidant, inertes ac degeneres noſtros homines, productis aliquot extremarum quidem, ſed felicium curationum exemplis, confirmemus. Nempe nos, eventu proſpero, nonnullos ejuſmodi tumores excidimus, quorum omnium non ſolum exciſionem, ſed etiam apertionem, nemo unus non credidit exitio futuram. Quatuor ex his memorabiles Hiſtorias, tota propemodum urbe nota, expoſuimus in noſtro *Phyſico chirurgico*, *cap.* 12. ex quo tranſcriptas hic habe Atheromatum, ac Steatomatum narrationes.

### *Hiſtoria Steatomatis una.*


STeatoma, quatuor librarum pondo, decem jam annos, pro inſanabili deſtitutum, de poplite pendulum excidimus, Reverendo cuidam, e Carmelitis novae formae Sodalibus, cui nomen Eugenio Calleſano, Hiſpano Madritenſi, pro inſanabili tot annos, a Medicis permultis Europaeis, deſtituto; qui ponderis, quo fere dejiciebatur, impatiens, multa ſe mihi prece, atque obſecratione, curandum commiſerat: curavique, ſecta ampla cute, ac Tubere cyſtico circumquaque reſoluto, mox ulcere repurgato, & intra quadraginta dies obducto: intervenientibus ad eam rem Adamo Marchio, Medico perdocto, Franciſco Moſca, Franciſco Roma-




A.B.C. *Steatoma de poplite revulſum*

D. E. *Vina ad alendum diſcurrens*






A.B.C.D. *Cystis atheromatis genu revulsi tripondio P.*
C.D. *Radix aliquo concrementi tubere sublata.*
A.B.E. *Scissura.* F. G. *Sinus inanis.*
H.I.K. *Venulę nutriculę aprima radice profectę.*




A.B.C. *Meliceris de intima superiore palpebra resecta.*
A. *Radix atque pedunculus.*





mano. & Bartholomaeo Calova, in noſtro Incurabilium Noſocomio Chirurgis aſſiduis, ac multos annos exercitis.

*Steatomatis hiſtoria altera.*

GRatiae de Philippis, virgini Deo ſacrae, in Coenobio Jeſu Neapoli, ſpectante Mario Schipano, Viro quidem non ſine honore nominando, exſectum eſt per me, ſub jugulum, Steatoma, quod ſelibram pependit; Abſceſſus, qui ſex jam annos, nullo medicamentorum fructu, continenter creſcens ſacram foeminam perpetuo torſerat, ac pene jugulaverat.

*Hiſtoria Atheromatis.*

IN genu ſiniſtro, duodecim jam annos, geſtaverat Tuber, folliculi luſorii minoris magnitudinem aequans, Fr. Stephanus a Calatio Capucinus; vir quantae in Deum pietatis, vel hoc argumento cognoſcendus; quod cum lethiferam, hanc in articulo diſſectionem celebratiſſimi noſtri Medici, uno omnes ore, pronunciaſſent; nihilominus hic tam diu privatus ea, quae ſolo defixis utriſque genubus fieri conſuevit a Sodalibus, Sancti Numinis adoratione frequenti, facultatem hanc etiam cum tormento ac diſcrimine vitae maluit conſequi, quam officio ſuo cedere, ac ſanctarum exercitationum carere fructibus. Hujus igitur viri, tam pio deſiderio gratificatus; cunctis ex ordine proviſis, praecautiſque his, quae curationis curſum interturbare potuiſſent; rem inſtituto cominus, acuto ſcalpro cutem ample, qua maxime exſtabat, inſeco; dividoque quoad pateret membrana. Quae ſubſecta circum, tandem in manus venit, & media diſciſſa ſaniem reddidit ſubnigram faecis vini ſubſtantia, cartilagineis ferme cruſtis interne obſita. Qua cavitatis quidem, & externa aliqua parte carunculae putres, & boleti formam referentes, extumeſcebant. In univerſum erat membrana uterini chorii modo denſa, dura, craſſa; quae poſtquam eſt deterſa miniſtri manu, vellere infarcta, & ad caminum depoſita, vendicata jam a putredine, talis apud me ad hanc diem aſſervatur. Chirurgiam ferme nihil inſequutum eſt mali; niſi ſi paucum effuſum ſanguinem admemoraveris. Atque haec de primo illo exciſionis actu; caeterum quod ad reliquam curationem pertinet; in ulcere medicamentis primum digerentibus, mox expurgantibus rite procurato; paulatim accreta caro vacuum orbem implevit, ſanatuſque eſt homo quadraginta dierum ſpatio, ſine ulla inceſſus offenſa, Deo bene favente: cui quidem auctori medicationis omnis felicitas accepta eſto.

*Hiſtoria Steatomatis.*

NEapoli urbe cunctis artibus, boniſque, florentiſſima, ex honeſta Coppularum familia juvenis fuit, ac modo eſt, cui Tyberio nomen: ortum huic, ſexdecim jam annis, ſupra laevam mammam Tuberculum, principio puſillum piſi inſtar, quod ſingulos in annos aggeratum, tandem excreverat in ovi gallinacei magnitudinem, concolor, mobile, aequale, duriuſculum, dolorem non inferens, niſi cum vehementer premeretur. Toto decennio ſollicite Chirurgicos, qui ſunt in urbe, omnes conſuluit, requiſivitque de tollendo vitio. Reſpondere alii, nihil ut adhibens rem naturae committeret; quippe vitium irritare periculoſum. Alii vel ut balſamelaeo, vel appreſſa plumbea laminula excuteretur. Nullus e pleriſque in multis chirurgiae meminit, quam nemo non ex auctoribus hujus diſciplinae propo-

ponit. Demum me, ac ſex e principibus Medicis congregat domi, ſinguli, ut diceremus ſententiam. Scirrhum dixere quidam: quidam occultum cancrum, qui tentandus non eſſet ad Hippocratis ſententiam, 38. *aphor. lib. 6.*: tertii quidam emphyſema abſurda quadam opinione: ſcirrhum oedematoſum pronunciavere plurimi. Ego atque alter quidam, qui ſententiam meam a conſulente reſciverat, *Steatoma* pronunciavimus. Conſenſere in id omnes, ut medicamentis tractaretur chirurgia valere juſſa. Ego contra chirurgia certum, atque unicum, in hac re praeſidium, ut profeſſus fueram ſemper; ita & in dictione mea peroravi. Reſutavere omnes curandi genus, adhaeſitque homo alteri ſententiae, ut quae leniora proponeret. Verumtamen fatigatus diu remediis, victu tenui, ſudoribus, decocto ſarſaeparillae, fonticulis; neque aliquid aſſequutus ex his, niſi longa laborum taedia, venit ad me, feſtine ſuccurrerem; vitam odiſſe ſe prae noxa iſta corporis. Tantum ne quid ferro agerem, certum ſe pati quidquid oporteret. Breviter; pyrotico cutem aperui. Patuit cyſtis putaminis ovi modo candicans, qua diſſecta, promptum fuit reperire mere putridam, atque artocreae coctae modo laminoſam, ſed cruſtam referentem ſubſtantiam, late complentem infarctu ſuo amplexum omnem folliculi. Labor fuit in eximendis membraneis fibris, quae radicum instar haerebant: quibus tamen exſtirpatis, dies circiter quadraginta finita curatio eſt.

Haerere autem *Abſceſſus* hujuſmodi *Anomalos* plerumque nerveis & cartilagineis fibris, obſervationes teſtantur, qualem contigit obſervaſſe aliquando in pedis digito medio; quales etiam fuere obſervatae fibrae in Abſceſſu Marini Caputi & Vicarii, Archidiaconi vici Equenſis viri ſpectatiſſimi. Similiter cartilaginearum fibrarum in Abſceſſu reſpectarum exemplum habes, in R. P. D. Andrea Cancelliero Carthuſiano, Monacho probatiſſimo; cujus rei hiſtoriam ab amico fideliſſime conſcriptam, huic noſtro, de *Abſceſſibus Anomalis*, tractatui inſerere placuit; eſt autem ex autographo talis.

*CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO*

# JOANNI SIMONI DE GRATIA,

Philoſopho & Medico praeſtantiſſimo,

# JOANNES BAPTISTA CAPUCIUS,

Doctor, Medicus, S. P. D.

*QUam lepide abs te compellari videor clariſſime Simon, quam urbanae, parum abeſt, quin dixerim ridicule: ſic revocaſti ejectas jam pridem, e domo tua philoſophica, argutas Curialium nugas; quarum quanto major, & religioſior in hoc ſucato ſeculo cultus, eo pernicioſior eſt uſus, magno cum ingenuitatis opprobrio. Quid agis cum rythmicis iſtis alloquiis? amicum, qualem me noſti, ſtoicum & rigidum [ut tua tibi regeram verba] rogas, precaris, blandimentis excitas? Me fatuum hominem fingis, te Logodaedalum, quo utroque vitio, ſicuti revera vacamus ambo, ita cynice, ac libere effando, uterque noſtrum, tali etiam ſuſpicione liber eſt. Amicitia quidem, ſicuti animorum nexum facit, ita & bonorum omnium communionem. An fortaſſe noſtrae eutopiae mores oblitus es? an amicitiae transfuga vide-*

ri

*ri vis ? abſit . Quid igitur precario poſtulare , quod jure tuo tuum eſt ? tua ſunt mea ſtudia , tui laborum meorum , ſi qui ſunt , fructus ; ſiquidem quod vivo , & ſpiro , tuum eſt. Hac igitur eadem epiſtola nobilem illam , quam tam anxie efflagitaſti , curationis oſtracoli tumoris , a noſtrae aetatis Chirone , Doctiſſimo inquam M. Aurelio Severino , magno naturae myſtae confectae , hiſtoriam deſcriptam habebis : utinam tam erudite , quam vere ! potero ſiquidem oculatus teſtis de re integra fidem facere , qui tunc temporis Carthuſianorum hoſpes vixerim ; quorum ut ſingularis eſt in bonarum artium , & Muſarum , aſſeclas ſtudium & propenſio , ita liberalitas , ac munificentia compotem reddidit , ut cuncta exactiſſime adnotarem . Feracia ſunt [ ut hinc exordiar ] Carthuſianorum corpora , malorum complurium e tartaro ortum ducentium [ tolera interim verbum hoc Paracelſaeum ] ſed tumorum in articulis excreſcentium feraciſſima. An ob ſtrictam vivendi regulam , qua carnibus cane pejus , & angue abſtinent ? An ob nocturnarum vigiliarum frequentia ? in quibus Deo pſallunt , diutiſſime recti , vel incurvi , ſedentes nunquam. Laboraverat pertinaciſſima* Meliceride , *in dextero genu , R. P. D. Dionyſius Coccia , Coenobita ſeveriori vitae addictus in clauſtro , cui poſt aliorum Medicorum ludibria , auxiliares manus Severinus ipſe dederat eventu feliciſſimo , cum V. P. D. Andreas Cancellarius alere ſe etiam , in dextero genu , tumorem non ſpernendae magnitudinis , cujus natalia ab anno* 1632. *numerabat , veluti per jocum affirmavit : ſphaericus is erat , cujus ambitus ſeſquipalmaris fili menſura comprehendebatur , omnino indolens , ſolo pondere religioſo viro moleſtus ; ut proinde mollium , & inermium Chirurgorum , quibus nunc Neapolis abundat , timiditate eviratus , nihil de illo extirpando cogitaret , quidquid Clariſſimus Severinus pronunciaret de corruptionis periculo . Indulſit igitur proprio genio natura , ſenſimque & furtim molem illam adauxit adeo , ut operis veluti ſumptuoſi poſtmodum pertaeſa , coeperit orbis , quem tam ſedulo conſtruxerat , ruinam moliri . Accerſita igitur fermentatione , magno illo ſeparationis inſtrumento , calorem , & ruborem , & dolorem etiam aliquem , in ſui auxilium convocavit , pulſum vero nullum ; ob arteriarum defectum , quibus merito carent hujuſmodi tumores , Doctiſſimi Dureti ſententia . Ubi haec urgere coeperunt , coepit etiam Carthuſianus ſuae ſalutis integritatem deſiderare , ac Medicorum conventus adire , ut praeſentaneo , ſed leni aliquo remedio , ſaevienti morbo obviam iret . Deflexit ergo ad comptos illos , & muliebres Chirurgos , a quibus , ut pingues aliquas inunctiones impetravit , ita pinguem inquilinum hoſtem reddidit : adeo ut circa Februarii finem , anni* 1646. *puſtulis aliquibus in tumore apparentibus , ob vim adauctae intus corruptionis , incoeperit , in eo floridus color occidere , ac tenebrae ex inferiori limbo obrepere ſurſum , & corpus molis totum febris incrementum ſumpſit , ſtipatae ſuis aſſeclis , lumborum gravedine , ſtomachi debilitate , virium lapſu . Interim , excavato foramine , ab arſenicali intus congeſto excremento , in ſuperiori parte materia ab illo emanavit , coloris quidem faeci vini ſimilis , ſed odoris adeo horribilis , &* , *ut ita dicam , peſtiferi , ut etiam adſtantibus , & ipſis Medicis , ſtatim atque in cubiculum ingrediebantur , alioquin peregrinis ſuffumigiis odoratum , nauſeam , & capitis dolorem , excitaret . Cutis in nigrum abibat ex aliqua parte inſenſilis . Tunc ſerio res ſuas agi animadvertit religioſiſſimus Pater , ac ſe ab unguentariis Medicis deluſum , ſicuti ingenue ab Excellentiſſimo Severino praemonitum , agnovit . Interim R. Prior , Jo. Baptiſta Aſſantius , incomparabilis in ſuos pietatis , & zeli , acciri Medicorum conſilium voluit , in quo ſex capita diſceptavere , ut Neapoli mos eſt , ad pompam ; tritum enim tempus eſt trium horarum in exquirendis , & conciliandis Galeni locis : quandoquidem in varias ſententias itum eſt ; putantibus aliis Steatoma , aliis Meliceridem eſſe ; cum tamen Excell. Severinus demonſtraſſet Innominatum eſſe Abſceſſum , de quo aliqua obiter*

Ga-

Galen. 14. meth. poſt carbunculi curam: *quod poſtea confirmavit eventus. Concluſum tandem a ſenioribus, de aegro jam conclamatum eſſe, futurumque ut, degenerante gangraena in ſphacelum, cita mors adſtaret foribus, vel minimo minus, etiam ob alias cauſas aegrum lenta tabe liquatum iri. Praeſcripta ſunt putida illa Arabum cordialia ad ſpirituum vim confirmandam: quae ſi poſtero die aliquo pacto reſtituta viſa fuiſſet, poterat de foramine aperiendo e diametro prioris reſpondente cogitari. His Medicorum conventus ſolutus eſt, ſub veſperam diei quinti Martii, in cujus nocte ſubſequente, efficaciſſime operante cataplaſmate, ad intercipiendum gangraenae motum, a Severino praeſcripto, praeter aliquorum Medicorum ſpem remiſſa eſt febris, & ſymptomata leviora apparuerunt. Supererat ex Medicorum conſilio foraminis apertio, de qua cum Clariſſimus Severinus, tanquam inefficaci praeſidio, juſtis de cauſis, etiam difficili, male ſentiret, coram Reverendiſſimo Priore, prius cauſa bene retexta, aegro aſſentiente magna cum promptitudine, atque animi alacritate, decrevit, poſtero die regularem curam, potentibus auxiliis, inchoare. Mane igitur, octavi diei Martii, cauſticum, haud quidem ad planum femoris, ſed ſuperius ad duorum digitorum tranſverſorum altitudinem, toti tumori circumduxit; quod intra paucas horas egregiam operam praeſtitit; adeo ut, die decimatertia, extractae fuerint cruſtae ad daleri craſſitiem, excavato circumcirca vallo; quod ſericeo filo, per ligneum vecticulum conſtrictum, ad diem uſque decimum ſextum, tandem novacula omnino exaequatum eſt, exciſo globoſi tumoris ſuperiori hemiſphaerio, inferiori candente ferro pluries aduſto: ſic nulla ſubſecuta eſt haemorrhagia, doloreſque, adhibita prope genu quantum ferre potuit calidiſſima teſta, cum adſtantium omnium admiratione, ſedati ſunt. Pependit amputatum culmen uncias circiter octodecim; atque in oſtracoſae carnis illius medio, quae novaculae aciem obtundere potuit, obſervatus eſt ſinus inaequalis, & cavitas, minor quidem quam putabamus, ex proportione magnitudinis; in quo ſinu ſtagnaverat foetidiſſimum illud virus. Conſtitit poſt reciſionem, tumori non fuiſſe folliculum, ex quo Severini ſententia triumphavit. Verum enim vero fuit, inter miniſtros, Chirurgus, qui ſubtilius rem diſquiſiverat; putans, exactiori ſua acri via, ſe reperturum ſaltem quicquam proportionale cyſti; ſed utcumque allaboraverit praeter oſtracoſam carnem, quae variis fibris intertexta erat, ac veluti inaequalibus corticibus compoſita, nihil aliud notare potuit curioſus ille Anatomicus. Octiduo autem elapſo ab hac prima operatione, ex frequenti, & efficaci illitu* ſaturnini butyri, & aliorum emollientium, *ſeparata eſt a viva carne cruſta digitalis craſſitudinis. Interim bene ſe habente aegro in omnibus, vivido ſuo naturali colore perfuſo, & ſuperſtite ſucculentia illa habitus, qua naturaliter praeditus is erat; coepimus de tam felici eventu omnes laetari, & rem in tuto poſitam, beneque peractam exiſtimare. Verum Clariſſimus Severinur, in ſubtus derelicta tumoris parte, ſyrtes latere, hoc eſt, graves difficultates, & pericula, muſſitabat. Nimirum terreri ſeipſum, ajebat ingenue, per rebellem illam duritiem in tumoris radice firmatam; adverſus quam etiam validiſſima cauſtica, ficulneum robur ſuum oſtendebant. Verum nihil non cadendum tamen animo ſuadebat, deprompturum ſe efficacis Chirurgiae ſuae arma, quibus omnino futurum erat, ut caderet hoſtis. Victiſſim ergo nunc cauſticis ſolidis, nunc liquidis, nunc actuali igne, noſtri ſeculi Hercules Lernaeam Hydram tentavit; at illa, ſui officii haud immemor, cum ſupra os patellae jam deventum eſſet, ex rimis, in quibus tendones vel ad invicem, vel cum oſſe, coeunt, vel unius noctis ſpatio fungoſa capita emittebat; contra quae etiam* Hermeticorum illa Draconum ſpuma *hebes videbatur. Sed tamen excogitavit Clariſſimus Vir, malo nodo, malum cuneum; ac liquore quodam, cujus nunc compoſitionem non ſcribo, ſuperfuſo & agitato, & ſpongioſa illa carne glutinoſum humorem emungebat*

*prius*

*prius; inde, arcano ſuo albo praecipitato deſuper adſperſo, ſaepius cruſtulas extraxit; tandem, ad operis compendium, ignito auro radicitus renaſcentem beſtiam occidit; adeo, ut non amplius pullularent capita. Detectus ex parte tendo latus eſt, ac, non ſine admiratione, obſervatum eſt, oſtracoſam carnem, & fungos, intra tendonum fibras radices habuiſſe, & in medio patellae omnino labem ad os uſque pertigiſſe; unde opus fuit deſquamationi vacare, quam egregie praeſtitit* extractum Ariſtolochiae rotundae, Euphorbii, *aliqua portione commixtum. Hujuſmodi laboribus Aprilis & Majus menſes inſumpti; ac jam ulcus ad daleri magnitudinem, quod in prima ſectione diametro ſpithamae menſurabatur, devenerat. Curabatur autem* emplaſtro ſtyptico Paracelſi; *cum ſub nocte D. Joannis, cujus feſtum* 24. *Junii celebramus, deſcendens aeger lecto, ſcipione non bene firmo innixus, in pavimentum toto corpore illiſit, ac genu affecto praecipue: unde & diſciſſa ſunt ulceris labra, & fluxione accerſita, recruduit ex parte malum; adeo, ut inſudandum pertinaciſſime fuerit uſque ad vigeſimam Auguſti; qua die jam ocii pertaeſus, & ſuae ipſius ſalutis bene conſcius, Religioſiſſimus Vir e Monaſterio D. Martini, ad officii ſui curam diſceſſit; qui vivit nunc pancratice; motus nullo impedimento notatus; cum Martino Delrio ſaepe dictitans, non pejus eſſe ab uno lictore morti addici, quam a centum Medicis. Haec eſt ipſiſſima curationis Hiſtoria. Utinam vero, amice, egregia illa Severini facinora, ut apud exteros gloriam, ita apud Neapolitanos invidiam non excitaſſent! qua una torpere, tanquam faſcino, videtur Clariſſimus Vir, ad ſua ingrato mundo bona communicanda; maximo cum litterarum, & Hippocraticae Medicinae, detrimento, cujus alioquin reparator eſſe poſſet. Caeterum tibi, librorum helluoni, quid nunc in os ingeram non habeo; nam ut noſti, & ut cum Scaligero dicam, Italiae non niſi mercaturae, & forenſium librorum chartae, excuduntur; at feliciſſima illa Germanorum praela, vel ob Martis ſtrepitus quieſcunt, vel ad nos ſua non tranſmittunt, licet ad miraculum nunquam ſatis laudata illa ingenia Teutonica, inter bellorum turbines, & literas profiteantur, & in Medicina exornanda deſudent perpetuo: quibus ſicuti gratias pro tanto opere debemus, ita Italicae gloriae memores invidere etiam poſſumus. Vale Vir Clariſſime; qui ſicut a me coleris unice, ita fac, ut abs te redamer aeque. Neapoli nonis Januarii, Anno* 1642.

*Hiſtoriae Meliceridis.*

AD haec Meliceridis hiſtorias, memoratu dignas, non ſilebo; quarum una est. Petrus Antonius Ruſſus Amalphenſis, quinque jam annis, ferebat, dextera mamma, Meliceridem, tam magno tubere, ut caput hominis aequaſſet. Hanc dum Medici Valetudinarii noſtri, ferro veterentur attingere, intrepidus ego ſectionem aggreſſus ſum; certus Anatome, ſub gracilis viri mammae corpore, nihil praeter cutem, & adipem exſtare: deinde & fluctuatio ſuffuſum intro fluorem me docebat. Jam igitur huic exſecto tenuis ichor exiit, mellis albi referens ſpeciem; quo in dies exhauſto, ſanatus eſt homo non longiore, quam menſis unius, curriculo.

Similiter Honofrium Stranerium Neapolitanum, Iſabellae nobilis Obſtetricis ex fratre Nepotem, duodecim annos natum, ex ingenti Meliceride, circa ſiniſtram mammam inhaerente, vexatum; cum plerique Medici pharmacis internis, & decocto ſarſaeparillae, & quotidiano ſudore, quibus unice confidebant, adhibitis, nulla unquam parte juviſſent; ſola nos tumoris apertione ſuae prorſus integritati reſtituimus. Res nota, perviſaque, tum tonſoribus ad compita Spiritus Sancti, tum Aloyſio de Gratia, & Franciſco Laviano. Medicis praeſtantiſſimis. Exempla ſunt,

hujuſmodi, ut non poſſint eſſe graviora, tum exceſſu magnitudinis, tum locorum perdifficili ſitu, tum vitii gravitate, ac novitate. Quibus tamen nil operantibus, ſunt homines integre reſtituti. Quas ob res, niſi vere ſint impotentes, atque omnia tuta timentes; non eſt, quod ſimiles, ac ſaepe etiam minores, operas refugiant noſtri Chirurgici.

## CAP. XXIII.

*Indicationes curativae.*

ANtequam vero ad ipſam *Anomalorum Abſceſſuum* Curationem accedamus, mentio quidem eſſet facienda curationis eorundem prophylacticae; ſed quia eandem abunde deſcriptam nobis reliquit Joannes Langius, *in epiſt.* 4. *l.* 10. itaque te eo remitto. Interim tamen abſolute plurimos uſtione Arabica me curaſſe, te latere nolo; inter quos etiam eſt integerrimus Generalis Antiſtes ordinis Montis Virginei; Reverendus item P. Joannes Baptiſta Nemna, ejuſque ſodalis Horatius Tarantellus, utrique e ſocietate Jeſu viri; inſuper Sacerdotes Templi incurabilium duo, ut & Auguſtinus Saulinus, Doctor Medicus probatus, ac Gregorius Saponelibrarius compoſitor; ampilo aut ulceri delapſa cruſta, & membranula per corroſiva ſubducta, facilis fuit carnis inductio, & in ejectricem obductio. Haec de *prophylactica Curatione* ſufficiant; ſequitur nunc altera.

Cum autem triplex is Abſceſſus alieno conſtiterit concremento; expletur omnis curandi ſcopus evacuatu, atque abſumptu materiae, quae opera, vel ſenſu evidens, vel obſcura eſt. Evidens quidem tum putrefaciendo, tum exſcindendo habetur: obſcura medicatio per diſcuſſum eſt lentum, quem medicamenta extreme calida praeſtant, & abſorbentia; qualia ſunt inter caetera Galeni *empl. diapyrites*, & *diadictamnum*, *& ſacrum*, *opere de comp. med. per gen. deſcripta*. Itaque horum Abſceſſuum omnium curatio communis eſt triplex; per digerentia; per liquantia; per exſectum. Porro uni Meliceridi triplex haec omnis ratio pro libitu, proque ratione affectus, accommodari poteſt: corruptoria vero, & exſectus Atheromati conveniunt. Solus exſectus Steatomati competit; quippe materiae craſſitie, contumaciſſimum ad medicatum Steatoma, minus Atheroma, eſt; multo omnium minime Meliceris: de qua Galenus, *in l.* 14. *meth. med. cap.* 12. Paulus, *in l.* 13. *c.* 34. Fallopius, & Fabricius, memoratis locis.

Jam vero, quod Galenus, *l.* 3. *meth. med.* Meliceridem reſcindendam abſolute poſuit; 14. vero *ejuſdem operis* per diſcuſſum medendam; contradictionem aliquam non habet. Etenim, eo loco curationem extremam; hic promiſcuam, & multiplicem, explicuit. Praeterea meminiſſe nos oportet, Galenum, *in l. de tumor. praet. natur. cap.* 5. haud perpetuas feciſſe tunicas Abſceſſibus. Fieri ergo potuit, ut tunicata quidem tubercula, per exſectum a ſcalpro; tunicae vero expertia, per digeſtum a medicamentis, curaverit. Enimvero diverſitas haec & mihi comperta eſt, qui juveni Romano Meliceridem de palpebra detraxi cyſti circumſeptam: in carpo vero mihi, & aliis eandem curavi praeter eductum rei ſolidae. Sed & Atheromati non unus eſt modus: interdum enim adhaerens levius tunica cuti, interdum adjacens laxe, reperta eſt. Sic & Steatomatis variam madore, pinguedine, denſitate, compagine, toto habitu, ſyſtaſin adverti ſuperius.

Vides jam non diſſenſiſſe ſibi Galenum, productis locis. Major ambiguitas eſt apud Aetium Amidenum, qui *Tetrabib. l.* 4. *ſerm.* 3. *cap.* 7. propoſuit medicamenta, quae Meliceridas, & Steatomata, citra Chirurgiam exſolvere valent; ſed pro

eis,

eis, qui chirurgiam recusant ea verba protulit: quasi vero, condocefactos hos faciamus in medicamentis utendis taedium, non veram curandi efficacitatem esse. Vel dixeris, tentanda omnia sub tumorum initiis. Et Galenus *Myrmecias* discuti licere docuit *l.6. epid. com.* 2. qui *meth. cap.* 1. & *l.* 14. *cap.* 13. & 17. censuit exscindendas; nimirum, *quia toto sunt genere praeter naturam*. Sed & Paulus Aegineta *l.*3. *c.*34. remedia digerentia potissimum ad Meliceridas exposuit, qui alia operis parte tradidit exscindendas.

## CAP. XXIV.

### *Curatio per Medicamenta.*

QUoniam igitur in Cysticis Abscessibus, una Meliceris curationem per medicamenta discutientia sibi praerogat, septica vero exposcit Atheroma; de horum utrorumque delectu necesse est, ut dicamus. Quod autem ad Meliceridem spectat; curatio per medicamenta difficilis, plurimumque fallens, usu comperitur: nihilominus, quia tumoris initio debita, omnibus semper optabilis, & a scriptoribus plerisque proposita est: exsequemur etiam hic nos medicamentorum ejusmodi descriptiones, auctore primum adscito Galeno, qui *l. 6. de compositione medicam. per gen. cap.* 14. exposuit Alexandri unum, quod.

℞. *Salis* Hispani,
*Argenti spumae,*
*Cerussae, ana* ℔. j.
*Cerae,*
*Terebinthinae, ana unc.* j.
*Galbani, &*
*Opopanacis,*
*Visci querc. ana unc.* ij.
*Sinapeos, unc.* vj.
*Olei veteris,* ℔. iij.
*Aceti, sexstarios octo.*

Describit & sic Fallopius. Alterum descripsit ex Democrate; quod sic conficitur:

*Libram salis laevissimi*
*Tenuis, duas Cerussae, tot & Galbani,*
*Fac unicas, totidem purae Propoleos.*
*Aristolochiae binas pariter uncias,*
*Praestantis Olei libras annosi duas.*
*Crassissimum si fuerit, addes alteram.*
*Coquito similiter, temperatumque probe*
*Ab igne tollito: laevigatam tunc quoque*
*Aristolochiam insperges; injeceris ubi*
*Mollita, Propolim scilicet, atque Galbanum.*

Haec Galenus. Aetius vero proposuit & suum aliud, quod

℞. *Cerae,*
*Terebinthinae,*
*Squamae aeris, sing. sextantem,*
*Sulphuris vivi,*

*Nitri, ſing. unc.* j.
*Radicum ſiccarum Cannabis ſylveſtris, drach.* xxxv. *& ſi deſuerint, Ariſtolochiae tantundem.*
*Olei antiqui* ℔. i.

Radices per triduum aqua madefactas, & contuſas in *oleo* coquito, donec torrefiant. Deinde ipſis abjectis, caetera, quae liquari debent, liquata admiſceto, & arida ex *Aceto* tria adjicito; atque utitor.

Sed Paulus Aegineta *l.* 4. *cap.* 34. praeter alia multa, commendat unum ab Archigene excogitatum, quod

℞. *Aphronitri, & Veratri, partem duplam, cum Cerato duriore impoſitam.*

Haec iſti Veteres. E Junioribus vero Joannes Langius *l.* 3. *epiſt.* & Evonymus Philiatrus, tum *in operis parte priori*, tum *in poſteriore*, & poſt hoc alii, celebrarunt Oleum ſubtiliore ignis arte (Chemicam vocant) extuſum. De quo haec ille.

*Aqua mirabilis, quae delet Napas Tubercula, ſeu puſtulas, Papulaſve, aliqui Napas vocant* [Itali puto] *Lupias, glandulas, Scrophulas, Porros, id eſt, Verrucas; & omnia naſcentia mala, ubivis in corpore tollit.*

℞. *Olei Laurini*, ℔. ij.
*Thuris albi*,
*Maſtiches electae*,
*Gummi Arabici*,
*Terebinthinae clarae, ana drach.* iij.

Tritis terendis, miſce omnia, & deſtilla per alembicum; & in aqua iſta ſic deſtillata infunde.

*Cineris terrae* ℔ *ß.*

Et iterum deſtilla, & ſerva aquam tanquam theſaurum. Innominatus. *Cinerem terrae Calcem* puto.

## CAP. XXV.

### *De Chirurgica curandi ratione.*

DEvenit jam ſermo ad rationem adminiſtrandae rei Chirurgicae, quam Cornelius Celſus, omnium poſt Hippocratem vetuſtiſſimus, abſolutiſſimuſque, auctor ſcriptam reliquit, *libro 7. rei medicae c. 6.* his verbis.

„ Si capillis conteguntur, per medium oportet incidere: ſed Steatomatis tuni-
„ ca quoque ſecanda eſt, ut effundatur quidquid intus coit; quia non facile a cu-
„ te ſubjecta carne ea ſeparatur: in caeteris ipſa tunica inviolata ſervanda eſt.
„ Protinus autem alba, & intenta, ſe oſtendit. Tum ſcalpelli manubriolo didu-
„ cenda a cute, & carne eſt, ejiciendaque cum eo, quod intus tenet. Si quando
„ tamen ab inferiore parte tunicae muſculus inhaeſit, ne is laedatur, ſuperior
„ pars illius decidenda, alia ibidem relinquenda eſt; ubi tota exempta eſt, com-
„ mittendae orae, fibulaque his injicienda, & ſuper medicamentum glutinans dan-
„ dum eſt, ubi vel tota tunica, vel aliquid ex ea relictum eſt: pus moventia adhibenda ſunt. Haec ille. Addidit Paulus praecipuam emundandae tunicae diligentiam ſervandam eſſe in brachiali, in talo, & articulamentis motui dicatis: in quibus

bus locis, relicta membranae portio consuevit occasionem exsuscitandi vitii praebere.

Sed nos adscribemus his utiles quasdam agendi rationes, & observationes.

Primum Abscessus cum tunica, qui manibus attrectati, permotique, sese exhibent circumfluos, id est, quoquoversum sub cute mobiles: hos confidentius arripi curandos licet. In alteros vero, qui firmius haerent, jam apertos, materiaque opplente exhaustos, candentia ferramenta tutius immittuntur; qui ignis insuper, ubi minus evulsae videantur fibrae, quibus Abscessus nititur, atque ubi periculum est, vel profluxuri sanguinis, vel accessurae corruptionis, opportunissimus erit. Ad insecandum autem, cauteria, non vulgariter acuta, desiderantur. Smilion, id est, recurvum scalprum requirit Hieronymus Fabricius Aquapend. *in Tract. de tum. c. de Atheromate, &c.* Sed interim homo, qui tractandus est, Hippocratis praecepto, *in l. de offic. medic.* paulo post initia, tum ad lumen illustre, tum ad te curantem, quam commodissime collocandus est; qui si timidus sit, sive puer, sive foemina, manibus ad dorsum retractis, religandus; nimirum ne doloris impatiens Medicum agentem, actis varie manibus, impediat; aut pavens, quoquoversum agitetur. Post haec, ordinatis, quae sunt ex usu rituque, potissimum habe paratam spongiam, qua inter secandum effluens turbator sanguis exstergatur; notabisque apte per atramentum scriptorium dissectionis necessariae situm, magnitudinem, figuram: quae sectio, qua tumor exporrigitur, aut paulo ulterius extendi debet: sic enim & commodius diduci fibras, & apprehendi tunicam, & purgari ventriculum, licebit; tum obverso scalpro rem peragas licet, tentans obliqua manu discissionem; atque ita etiam excorians cutem, ne folliculum, id est, vestientem membranam convulneres. Incisione facta, praecipit Cornelius, ut tunica scalpelli manubriolo diducenda sit ex cute, & carne, ejiciendaque cum eo, quod intus tenet. Sed nihilominus compertum est mihi, firmius hanc adhaerescere, quam ut obtusae rei scalptu divellatur; quapropter acie ferramenti sub tunicam immissi subsecanda est, totaque detrahenda: vel si hoc aeger non patiatur, medicamentis causticis exedenda; in qua saepius laborare Medicum contigit.

## CAP. XXVI.

### *Adversiones circa singula istorum genera, & primo de Meliceride.*

MEliceris, quae carpo paulo superius oboritur, his, qui rem minime sunt experti, pierumque imponit sic, ut credant scirrhosum esse tuberculum, gangliumve; atque adeo dissectionem exsecrantur medentes. Sed nihilominus scire licet hanc duritiem evenire distentione humoris copiosi, qui candidum ovi, aut, ut verius fortasse dicam, mel album refert. Hunc igitur mobilem circumquaque tumorem non contrectaveris, confidenter, si me audis, aperueris, sive phlebotomo, sive pastinacae marinae radio, quem homines timidi minus exhorrebunt. Comperta haec observatio mihi fuit in multis. Primum in me ipso, qui, Pithecusae degens, unam ex his in metacarpo natam discidi; deinde in aliis, & in Leonardo Ciccono Civi, Abellinati Doctore jam Medico, qui tum usum medendi sub Mario Schipano, Medico celebri, erudiebatur; cujus sinistrae manus initio natum Tuberculum, licet aliquibus ganglii speciem referret, nihilominus a me subpunctum, pellucida effusa pituita, Meliceridem manifestam fecit. Cui operae interfuit principio, Dominus Coccia Neapolitanus, Medicus eruditus. Meliceridis, super carpo superiore natae, folliculus inhaerens nullus, quantum ego in plurimis ob-

obſervavi: quare neque ampliorem illius cauſa ſectionem feceris; neque ab infecta illa cyſtis exſolvenda fueris ſollicitus, quam curam multi falſo volunt habendam.

*Adverſiones de Steatomate.*

STeatoma cum abſcideris, memento intemperiem nonnullam, praecipue ſi majuſculum fuerit idem, in parte relictam curare. Conſilium autem tui medentis erit, eandem, medicamentis naturae amicis, fovere: ubi vero fibras aliquot reſiduas inſpexeris, conſultum his fuerit induci cauſticum, vel ignem leviculum. Hae equidem a me comprobata ſunt omnia, in eo, quod curavimus Gratiae a Philippis, Caenobitae minori; cujus in hoc libro plus ſemel mentio facta eſt. Atque haec quidem curatio eſt, ſi lata ſit baſi Steatoma; namque ſi tenue ſit, pedunculo propendens, ſatis erit ad imum exſectio. Corroſivis contentus eſt Fallopius.

Illud etiam ex Aetio negligendum non eſt, quod in Strumis ſervatur, ſi Steatoma ſublevatum fuerit, in circuitu, per ſcalpellum: ſubter vero digitis, inſertum vero in ambitu, & ſubter incidendum eſſe. Caeterum ex ejuſdem Viri doctrina ſcire licet, in Atheromate, ac Meliceride, tunicae ſectionem formidari: in Steatomate, quia ſolidioris eſt ſubſtantiae, quae non effluit, nullam ejus rei neceſſariam cautionem eſſe.

*Adverſiones de Atheromate.*

SEd in Atheromatis genere, illud inter caetera maxime advertendum eſt, ab aliis quidem nullis admonitum, a me vero dum haec ſaepe tracto, non ſemel obſervatum; detectam ample tunicam Abſceſſus haud ſemper oportere totam a cute revelli, concluſo tum infarctu integram: quippe peracerba revulſio, & ab omnibus vix tolerabilis. Satis eſt, ut latiuſcule diſſecta cute, potiſſimum autem decuſſatim, quam maximam licet membranae partem forficulis, aut ſcalpro, reſcindas; ceteram portionem medicamentis, non dico equidem cauſticis, ſed digerentibus & erodentibus, detracturus. Id equidem comperi primum in Valetudinario, curans Dominicum Riccardum adoleſcentulum Abellinatem, qui Atheroma obtulerat, ſuper enſiformi cartilagine, ſexto plus menſe natum: in quo adoleſcente, nulla etiamnum facta reſectione, folliculus ample apertus computruit, & partim abſtergentibus, partim cathereticis extritus eſt, & liquatus. Non diſſentit autem a me Paulus *l. 6. cap. 36.* Verum enimvero non te lateat velim, hujus ſortis non eſſe craſſiores folliculos, & cartilagineos fere. Ejuſmodi fuit is, quem Capucino de genu ſubſtuli; porro par non omnium eſt conditio, etiam ejuſdem generis. Ergo prudens Medicus, exercituſque ſit oportet, qui perſpicienter omnia diſcernat in ſingulis. Aliud etiam a me comprobatum ſuper eodem adoleſcente reſcias velim. Circa pectus exſecta haec tubercula diſtentionem aliquam lacertis thoracis induxiſſe; quapropter ſollicitus eſto laxandorum continuo muſculorum, tum ad ipſos datis medicamentis, tum ad axillas & inguina.

Aliud ex Aetio ſervandum eſt. Poſt ablatam pelliculam, ſi labia plus aeque laxa fuerint, redundans cutis exſecanda, deinde futuris labia connectenda. Atque illud inſuper animadverſione dignum eſt, eodem auctore; ut ſi in capite hujuſmodi tumor fuerit, poſt ablatam pelliculam os ambientem ſecemus, & calvariam diligenter abradamus: qua in re facienda, quid conſilii ſit, Aetius quidem ipſe non expreſſit; ſed nos illud interpretamur, aut quia ſic omnis mali fomes eluitur,

ſcan-

ſcantenſque quaſi fons ejuſdem occoecatur ; nimirum in pericranium , & cranium inducto per deraſionem poro, calloque ; aut quia ſecurius ſic exteritur omnis , a vitio primum inducta, labes, nulluſque recidivae relinquitur locus. Confirmat autem opinionem ſimile quiddam apud Joan. Riolanum , atque alios etiam antiquiores , qui talparium capitis vitium , ut perfecte curetur, etiam pericranium exſcindunt, & os deradunt, ne aliquando vitiatum, plagae coalitum remoretur.

## CAP. XXVII.

*An, exempta tunica, conſuenda plaga ſit?*

QUaeſtio nunc ad extremum hunc locum occurrit ; num, folliculo ad unguem extracto, ſutura conficienda ſit; nimirum, quia vulneris cruenti ratio conglutinatum exigit ſui ipſius? Cujus rei determinatio non ita facilis eſt: nam ſi magnitudinem conſulas, & ſecundum hanc requiri ſuturam velis , parvus quidem hiatus ex plaga ſolis medicamentis conglutinantibus contentus eſt ; ſi magnus eſt ſinus, quantum quidem amplitudo vulneris adjumentum conglutinandi requirit, tantundem etiam difficultatis exhibet, & ambiguitatis, ne, fornice aliqua remanente, per antiquum cutis habitum ex antea ſubſtrata materia Abſceſſus falſus fiat , & irritus coalitus : itaque neceſſum eſſet evagantem , & cohaerentem cum carne , cutim prius abſcindere , deinde conſuere ; ſed hoc ſaepe homines, qui tractantur, doloribus multis pertaeſi, non concedunt: poſſunt autem, ſi conceſſerint, ſutura uti. Liberam autem, ut conſuas , vel abſtineas , poteſtatem fecit Aetius; qui inquit, peracta opera, vulneris labia futuris conſtringantur, ut melius glutinentur, aut linamenta profunda indantur , & curatio ad uris generationem adhibeatur. Tradidit & de ſutura idem Vir, *Tetrabibl. 2. ſerm. 3. cap. 33.* & *Tetrab. 4. ſerm. 3. c. 7.* & 8. At Celſus *l. 7. cap. 6.* tradidit haec ; *ubi tota* (tunica) *exempta, committendae orae , fibulaque his injicienda, & ſuper medicamentum glutinans dandum eſt.* Approbavit & ſuturam Paulus Aegineta , *lib. 6. cap. 36. praeterquam* (addens) *ſi quid membranulae reſtitiſſe fuerit deprehenſum, tum enim erodentibus medicamentis reliquiae ſunt abſumendae* . His & Hieron. Fabricius adhaeſit .

## CAPUT POSTREMUM.

*De Nata, Abſceſſu, ex tenuiore baſi propendulo.*

PRivatam, & peculiarem curationem nanciſcitur *Nata* , ſeu *Naſda*, quod plerique dixerunt; Tuberculum ex Anomalis unum , quod interdum ex graciliore baſi, velut ex pedunculo ficus, propendet. Ad Steatoma quidem retulit Joannes Tagautius, *inſtit. chirurg. l. 1. cap.* 13. verum ego potius de genere Meliceridis fecerim ; quippe Steatoma baſi nititur ampliore, ſi credimus Aetio : id quod de Meliceride atque de Atheromate, neque idem ipſe , neque alius quiſpiam, dixit. Utcunque cum hoc tenuiore baſi dependeat , circumſectione , atque amputatione , tractandum eſt, non ſimplici apertione . Ita enim Brunus Calaber , Longoburgenſis, *libr. 2. chir. magnae. cap.* 8. quae caeteroquin, exciſo ſive adſtricto filo in puſillanimis , ad ſtupefactum uſque partis , ſive etiam ſine innodatu , quod Bruno viſum eſt, fiat , in noſtra eſt manu. Inuſtionis vero neque ille meminit , neque neceſſitas ulla eſt, niſi cum , aut profluvii ſanguinis , aut recurſus vitii, metus ſuadet.

PE-

## PERORATIO.

JAmque *Abſceſſus Anomalos*, & incompertos adeo, ut ne genus quidem, aut forma, aut cauſae, aut generationis modus, aut exortus, aut incrementa, aut augendi vis, cognita prius eſſent, explicavimus, illuſtravimuſque, quantum unicuique ſit ſatis. Opus, ita me Deus amet, quod, ut multi laboris fuit, ſic & non pauci credam operae pretii: nam quid exleges naturae res, & inordinatas (ſi quae ſunt tamen hujuſmodi a ſe veraciter emiſſae aliquae) ad legem, normamque, id eſt, ad notitiam lucemque, revocari? quod igitur id jam praeſtiterim, ut fatear, mihi ipſe non gaudere non poſſum, defunctus hoc commentationis genere, quod nemo hactenus attigit. Bene autem de re ipſa meritus, an ſecus, aliorum eſto judicium; mihi ſatis eſſe potuit, elaboraſſe argumentum, quod dignum ſuo propoſito ſit, ut legatur. Qualecunque igitur illud ſit, mea nunc opella fruere, Deumque bonorum omnium auctorem mecum commenda, Lector.

FINIS.

*DE NOVISSIME OBSERVATIS*

# ABSCESSIBUS,

## QUORUM GENERA SUNT,

PROGERMINI, CARNIFORMES, MUCOCARNEI, SPONGIFORMES, SANGUIFLUI, PUSILLO SCHEMATE, ATQUE ALII.

*LIBER UNUS,*

Qui est Operis, de selectis Abscessibus, IV.

## EODEM SEVERINO AUCTORE

### PRÆFATIO.

DIfferentias has Abscessuum, quas recenti lemmate praelusimus, haud scio equidem, quam libenter, aut prompte sint aliqui accepturi, qui novas res omnes in Medicinam invectas, quaecunque tamen illae sint, aut qualibet ratione, aut quovis auctore propositae, continuo respuunt; mancipati videlicet his, quae tradita ab incuriosis, ignavisque magistris, & usu quotidiano prodita noverunt. Verumtamen par est, aequos judices productas in medium res quaslibet placide primum audire, mox easdem diligenter expendere, expensasque judicare. Ostendam equidem praeter eas formas Abscessuum, quas antiquitas advertit, & aliam quampiam assignari fas esse. Neque interim temerarium, aut insolens videri debet, si paulo aliter, quam venerandi Viri priores consuevere, nos aliquando commentemur, philosophemurque. Primum enim nova multa fert libido variabilis aevi: atque morborum novitatem, suis quibusdam seculis incidentem, monstravit plenissime Plinius, *l.* 26. *nat. hist. cap.* 1. nec non Corn. Celsus *in proemio l.* 1. atque alii complures, qui luem Veneream novum & antiquis ignotum affectum credidere. Deinde neque omnia vel observare, vel literis adnotare, potuerunt illi primi disciplinarum conditores; probabile autem est multa, e composito, reliquisse excolenda, perpoliendaque nostrae adlaborantium industriae. Quis autem sani vir judicii reputet omnia statim, & cumulate, cuiquam absolvenda? O nos inopes & poenitendae sortis homines! si, quae tantum antiqui cognovere, non alia, debuissemus ex universo rerum ordine comprehendere. Infelices, inquam, nos! si non pulchrum aliquid, aut inclytum, totis annuis occupationibus nostris, assequi, praeterquam tradita per majores nostros, edisscere valeremus; frustrata nimirum ingeniorum bonorum feracitate, naturalique alios aemulandi, superandique, cupiditate, jacuissent sane artes pleraeque omnes. Siquidem ipsae non promotae, retro semper actae fuissent, amissa in dies etiam atque etiam praestandi, atque excellendi, caeteris gloria. Tantum abest, ut mansissent semper eaedem, quemadmodum sydera, elementa, maria; quanquam terrae ac maria etiamnum aliquando se ampliant,

minuuntque, accedentes, & recedentes, ſi majorum obſervata non fallunt. Adeo verum eſt ſcilicet, nil ſemper ſui ſimile, ex mundanis hiſce rebus, exiſtere. Ad extremum, vaſtum eſt hominis ingenium, vaſtuſque mundus, in quo & ſpecierum productio, & productorum indago, apud mortales nunquam limitata fuit; ſic principio decernente poteſtatis inexhauſtae Creatore numine. Quas ob res ſi illud unum, quod inertes homines volunt, interdum concederetur, plurimarum rerum ordo concideret, & ratio corrueret humanae naturae, ad ſciendum, atque ad inveſtigandum, natae. Infinitae denique, quas proſequi non omnes licet, conſequerentur rerum abſurditates. Sic apparet fas eſſe omnibus, ſi tantum ingenio valeant, nec temere philoſophentur, pleraſque res ſupra eas, quae a prioribus adinventae fuerunt, audere, comminiſci, excogitare, atque in lucem producere: quod non dico ſolum, ut approbem, ſed ita approbo, ut ſummam hanc laudem putem, quae ſunt in natura rerum inaudita, atque inviſa, ſic aſſequi, ut videaris tenebris eruiſſe. Itaque cum nos quotidie medentes, tum in Valetudinariis frequentiſſimis, tum in urbe, rerum omnium pleniſſima, pleraque obſervaſſemus de Abſceſſuum generibus, quae apud noſtros omnes non legerimus, intelligentiis ipſorum haud ſcio comprehenſa; viſum eſt mihi neceſſarium, atque hominis erga alios bene affecti officium, ſi haec ordine diſpoſita, & ſcriptis adnotata vulgarem: quod cum in praeſenti facimus, accipies haec candide Lector, atque a benevolo animo profecta, etiam benevole proſequeris.

## CAP. I.

### *De Abſceſſibus Progerminis.*

REcte illud a Galeno propoſitum eſt, *l.* 13. *meth. med. cap.* 4. principium, ſcilicet, apprime firmum in doctrina de Abſceſſibus, *quod omnium tumorum, qui praeter naturam ſunt, varietas, ex ejus, quod influit, natura naſcitur*, &c. qui idem Vir *l.* 10. *de com. medic. per loc. cap.* 2. quod eſt inſcriptum *de Iſchiade*, meminit humoris pituitoſi, crudi, craſſique, ad ſimilitudinem puris craſſioris. Sed Corn. Celſus, *l.* 5. *rei medic. c.* 28. Strumas fecit concrementum ſanguinis, & ſaniei. An igitur ex hoc humoris genere, ſecundum hunc aut illum auctorem, explicato, cenſeamus non tumores, & Abſceſſus eos, quos *Progerminos* appellavimus? quaſi dicas ex tetra humoris luxurie germinantia Tubera. Rectius autem, ac planius ex lenta, & corrupta, aut ſi mavis ſemiputri, pituita, aut hujus ſuperfluitate, quae diutiſſime ſtagnantibus aquis paluſtribus, aut lacuſtribus, aut tactis multo lentore ſituque locis aliis, & arboribus vetuſtis, reſpondent, provenire dixeris limoſa haec, & fungea concrementa; quae ſaepe in laxis, debilibuſque, corporis locis extuberare peculiariter conſueverunt: in manibus, inquam, pedibus, labiis, auribus, facie, partibus obſcaenis, anticis, poſticis, virorum, foeminarum. Sed haec, accommodatis ad rem exemplis, declarare, commodius erit.

Siculum quendam hominem quadraginta quinque circiter annos natum, licuit vidiſſe Valetudinarii noſtri lectis decumbentem; qui, cum exeſa late per ulcus altera bucca, Tuberculum caſtaneae nucis magnitudine obtuliſſet, exſectum hoc & uſtum denuo repullulavit in numeroſam ſobolem majorem, quae incrementa rurſus, ferro & igne, detracta novos ſimiliter ſuos ſtolones emiſere. Cujus quidem excurſus non factus eſt finis, donec faciei partem illam totam, & oculum, frontemque, occupaſſent; enormi quadam, & horrenda, ſpecie, renata Tuberum incrementa. Interim autem cibi provolutu, demiſſuque, intercepto, hiſque imbecillitate virium,

& fe-




A B C D E morbosa manus supine tubera
C D E digiti annularis propria tubera
F G unguiũ tuberibus obductor portiones
H ulcusculũ sanie crassa madens
ad Pag. 107.
A B C D E. morbosa manus pronę tubera.
C D E. digiti annularis propria tubera.
F G. unguiũ tuberibus obductorũ portiones.
A
F
H
B
E
D
C
G
N.o I. et II.
A
B
C
G
E
D

& febre, conjunctis, miserabilis homo semel morbo concessit.

Sed & in femore supremo externe, qua vacuitas iliorum incumbit, & in manu, digitis, exstantia ejusmodi verticilla, ac tubera vidi, non aliter, quam humiles colliculos aliqua terrae planitie superantes. In coxa, inquam, Cataneo e Cataneis, nobili Januensi, inaequalia tria mala punica hortensia, tum magnitudine, tum colore, referentia; e quibus omnibus resectum id, quod maximum erat, plus libra pependit. Caetera autem ignava caro, quae sesquilibrae pondo fuisset, velut Q. Marius Imperator varicosum alterum crus, concidi sibi non permisit. Erant autem singula fomitibus, & radicibus nixa, quae distentis circum venis alebantur, dura, putida, perpetuum ichorem tenuem atque aqueum reddentia; pusilla comite febre, ac dolore interdum punctorio, interdum tensivo, molesta; color homini pallens & subalbidus, qualis in leucophlegmatia visitur, aut qualis his, qui diuturnis quibusque fluxibus diu tenentur.

Simili ferme sorte Hieronymus Damianus, Rochae Mondraconis, adolescens, vigesimum secundum annum natus, gibber, strigosus, & pusillo virium robore, dexteram manum, secundum quatuor phalangis digitos, gravem ita, ut sustinere non posset, cubans quidem capiti innixam, stans vero, subjecta altera manu suffultam, gestabat. Comparasses dura tubera, partim magnitudine limoniis corticosis, partim etiam colore non adhuc maturis malis insanis; sic alte turgebant; sic particulis quibusdam livescebant. Una alteris implicita, secundum digitorum nodos, excreverant adeo circa extremos ungues, ut hi summis apicibus vix apparerent.

Affectum, quod ad nomen attinet, *Atheroma nodosum*: quod vero ad figuram, subiit interdum animo mihi comparare, vel tuberosis ample, difformibusque, radicibus Chamaeirios latifoliae Lobelli; vel fructibus fici Opuntiae; vel complexui Tuberum radiciformium, quae, vocata nostris Hispanica, cocta igne sunt esu multis non insuavi; vel monstrosis belluarum secundum digitos nodis, quos sepulchralibus urnis sculptores appingere consueverunt. Reliquum descriptionis secus apposita dabit pictura. Huic monstroso vitio haud scio equidem, an ulla parte respondeat id, quod scripsit Joannes Schenckius, *observat. med. lib. 5. tit. de manu*, his verbis. *Vidimus nos puellae cujusdam, annum decimum tertium agentis, manum sinistram, non quidem natura, seu prima uteri conformatione, talem, sed post octavum aetatis suae annum a postbrachiali ad digitos, & ungues usque, sensim in tantum auctam, tumidam, sordidi, luridique coloris, subalbidis etiam maculis respersam, adeoque foedam evasisse, ut primo cujusvis adspectu, grandis alicujus busonis imaginem referret; nullo prorsus dolore, aut manus usus offensa; ad tactum mollem, veluti substratam cuti spongiam; articulis digitorum, ob laxam elevatamque cutem, minime conspicuis.* Haec ille.

Verum enim vero, quodcunque vitii fuerit illud, amputatum per nos secundum primos digitorum phalangis articulos, ac perustum, ad sanitatem integram brevi perduximus. Quam rem, tota urbe famosam, videre quamplurimi; inter caeteros Nicolaus Angelus Elisaeus, acris ingenii Medicus, Jo. Baptista Ferrarius, Alexius Alonia, Medici. Caeterum materia, quae sub inciso vitio reperta est, veluti coctae carnis bulbi Cyclamis apparuit, friabilis insuper, & leniissimo quoque contactu cessilis.

*Alius, alterius, non exiguis defoedatae Tuberibus manus, a Clariſſimo Medico*

# NICOLAO LARCHEO,

*Roma nobis, cum alterius hujus generis Abſceſſus ſchemate, tranſmiſſae Hiſtoriam, his noſtris lucubrationibus, inſerere placuit.*

*Prioris Hiſtoria eſt talis.*

ECce tibi nuper ſponſam manum deformem, ac tuberoſam, mi Marce Aureli, tuis Abſceſſibus conferendam, mitto ; quae paulatim congeſtione in tantam molem crevit, ut ſeptem librarum Romanarum cum unciis tribus pondus aequaret. Tanti affectus ipſemet patiens exordium ignoravit, ſed ſi a parentibus acceptum nunciavit, id a morſu verris principium traxiſſe, eoque increviſſe ; donec materiae multitudine obruta natura ſuccubuerit. Cum itaque tantam molem moderari non poſſet, in medio metacarpo computruit, non ipſa cutis aut caro duntaxat, verum etiam ipſamet oſſa. Unde febris miſerum corripuit, ut indies in deterius progrederetur : quae cauſa fuit, cur infelix in Noſocomium S. Jacobi incurabilium ſeſe contulerit, ibique ſibi amputari manum lubenter paſſus fuerit ; ſecus, niſi mortem timuiſſet, haud annuiſſet, cum ex tam portentoſa manu ſibi victum compararet, facilique negotio pias mentes ad eleemoſynam flecteret, a quibus annuos reditus exigebat.

Hanc habes triplici icone depictam, pronam videlicet, ſupinam & adverſam : quarum prior notatur litera A. poſterior lit. B. tertia lit. C. cujuslibet rurſus partes, ſuis certis zipheris & literis.

NICOLAUS LARCHE

*Romae, in Noſocomio incurabilium S. Jacobi, Chirurgus.*

*Poſterioris, ſequens.*

# MARCO AURELIO SEVERINO

*Nicolaus Larcheus, Medicus Romanus,*

*S. D.*

QUod diu literas ad te non dederim, non eſt, quod, Eruditiſſime Marce Aureli, mireris; ſilui equidem, tam quia nihil novi foret, quod offerrem te, tuiſque ſenſibus, dignum, tum etiam, ne te minus gravibus, minuſque ſeriis rebus, diſtinerem, Virum, quem novi equidem in medendo, profitendo, ſcribendoque, continenter occupatum. Jam vero gratiſſimis tuis literis excitatus, oblataque novae hiſtoriolae occaſione, confeſtim arripui calamum atque parumper ad te diverſari volui. Hiſtoria ſive obſervatio noſtra, cujus memineram, haec eſt.

Puella, quinque annos nata, concrementum carneum oculo dextero ſubnatum ha-

A. *Truncus brachii.* B.B. *Ossa cubiti et radii.*
C. *Pollex.* D. *Unguis ejusdem.* E. *Index.* F. *Unguis.*
G. *Medius* H. *Unguis* I. *Annularis.* K. *Unguis.*
L. *Auricularis* M. *Unguis* N. *Vola manus*

*ad Pag. 108.*

O. *Annularis.* P. *Unguis.* Q. *Medius.*
R. *Unguis.* S. *Index delitescente Ungue.*
T.T. *Pollex.* V. *Unguis*





Hæc figura totum puellæ corpus ei prospectum ostendit. ad Pag. 108.

A





B

Hæc figura dextrum ostendit tumorem



C

Hæc figura sinistrum tumorem indicat.





1. Truncus brachii carpum versus
2.2. Cubiti et radii ossa
3. Foramen á corruptione grassante excavatum in metacarpa




4 Pollex. 5. Index. 6. Medius.
7 Auricularis annulare non apparente

habuit, pugnum contractum aequans, a pleriſque noſtrorum Chirurgorum pro *carcinomate* curatum: tum vitii contumacia, tum inopia, preſſi parentes, quibus numeroſa, natorum, natarumque, ſoboles alenda erat, miſeram hanc puellam ad Valetudinarium D. Jacobi deferunt, meis manibus tractandam; qui poſt aliquot dies, nulla propemodum habita medicamentorum fiducia, *Sarcoma* reſecui ſimul & inuſſi, quod brevi coalitum eſt: ſeptimo vero aut octavo a reſectu die, Tumor ſublividus, inaequalis, indolens, tactui nonnihil cedens, multis undique circum venulis ſeptus, ſub oculi ſiniſtri palpebra, ſubortus eſt; qui paulatim adauctum jam totum lateris ſiniſtri tempus & auriculam, nec non cervicem, late occupabat, quin & genam adeo, ut os obſtrinxerit ad capiendam eſcam anguſtiſſime: eodem ipſo tempore ex adverſa parte ſimillimus huic, tum figura, tum colore, tum etiam progreſſus more, modoque, erupit; quae itidem Tubercula maximam colli partem ſic obſederant, ut junctis utriſque operis, cervicem humeris exaequaſſent: quod vitii complementum, duorum cum ſemiſſe menſium curriculo, peractum eſt. Illud autem ſilentio non obducendum eſt; quantumvis Tubera naturae modos exceſſerint, tantundem incomparabilem puellae patientiam perſtitiſſe, quae nunquam fuit vel de morbo conqueſta, vel vagitibus moleſta. Verumtamen erat illi ſatis eſurienti, ſi vel panis, vel caſei, vel caſtaneae, vel offa quaelibet, offerretur; quibus refecta, caeterum omne tempus piſcibus mutior ducebat. Tandem, pridie Galend. Novembres, e terris jam felicior coelo puella diſceſſit. Tubera haec inſecta, fungoſam & pituitoſam, ſuo folliculo contectam, ſubſtantiam nobis aperuerunt.

Ad haec aliud relatu dignum offenſum eſt, cranium tractantibus nobis: mirum foramen e rimis calvariae peramplum a dura menynge ad Tubercula iſta petens, per quod videlicet materia de cerebro ad tumores alendos tranſmitti fuerat conſueta: poſtremum, dictu mirum ad haec cuncta erit, pedes utroſque puellae negatos, direptoſque, primordio; alimento ſcilicet amplo a ſuperioribus uſibus ad ſe rapto: Quorum omnium teſtes fidiſſimi aeque ac graviſſimi fuerunt excellentes viri, tuique amantiſſimi, D. Angelus Colius, D. Paulus Zachias, qui tum confirmandi Chirographi noſtri, tum ſalutandi tui gratia, ſubſcripſerunt. V. feliciter. ex aedibus noſtris Romae 3. Idus Novembr. 1636.

*Tuorum.*

*humillimus*

NICOLAUS LARCHEUS.

EGo Angelus Colius, in Archoſpitali Incurabilium ἰατρός, praevia αὐτοψία ſingula enarrata confirmo αὐτόγραφῳ, quo etiam perpetuam tibi obſervantiam exhibeo.

Ego Paulus Zachias, Medicus, ſingula, a D. Nicolao obſervata, & diligentiſſime enarrata, eo modo ſe habere affirmo, tibique addictum ex animo me in tui memoriam redigo.

Haec cum non ſolum cognitu ſed etiam viſu digniſſima judicaverimus, duabus aeneis Tabulis ob oculos ponere voluimus,

Hi-

*Hiſtoria alia.*

HOratio Bergazano, in foro magno Neapolis, opera noſtra ſectus, & uſtus, *Abſceſſus* in umbilico *progerminus* magnus, qui, quadraginta jam annos connutritus, libras novem pependit; a nullis tamen unquam Medicis attrectatus, ut pote qui periclitari ſuam exiſtimationem, in tam ardua re, minime vellent. Vivit autem hic homo liber, ad hunc uſque diem, ceu nihil unquam mali perpeſſus ſuiſſet, ſexagenario major; *progerminum* autem *ulcus* deſcripſit Marcellus Donatus *lib.* 3. *mirab. hiſtor. medic. c.* 5.

Obveniunt hujus generis Germina potiſſimum oculis graviter ulceratis, at perperam principio curatis; illud autem certum eſſe debet, quod ſaepenumero mihi compertum profiteor, ubicunque tuberculum aut exarcoſis ex ulcere exſurrexerit, ibi putrilaginem aut humoris ſcaturiginem ſubeſſe, ab oſſe nimirum carioſo, aut parte alia computrefacta: obnaſcuntur & *ulcera progermina* partibus praeſertim cavis, laxis venoſis; quare etiam gingivis, de quarum ſarcomate memorando idem Marc. Donatus *lib.* 5. *hiſt. med. mirab. c.* 3.

Maximum etiam Germen, palatum Franciſci Firmitani Rhetini a Franciſco Moſca, Medico peritiſſimo, ad me miſſi inveſtiens, curatum a me fuit uſtione.

Ex hoc etiam curata fuit conjux Michaelis Angeli Pinti, collega Joanne Dominico Malliocho.

Obierunt autem ex hoc eodem vitio, per ſola medicamenta, a noſtris medicabulis tractati, Sanctimonialis D. Gaudioſi tonſor quidam Holanus, atque alii.

## CAP. II.

*De Abſceſſibus carniformibus & muſculis.*

DE *Abſceſſu carnoſo* nemo noſtrorum hominum ad hanc diem ſcripſiſſe viſus eſt: adeo nimirum inſolens, & deprehenſu difficilis, eſt ejuſdem ſpecies. Ego vero, ſi Deus adfuerit, illius ideam, & characterem, una ſub naturae luce demonſtrare non diffido; neque vero id intelligo *Sarcoma*, quod aliqua humorum luxurie extra cutem exultat, memoratum ab auctore definitionum medicarum: neque carnoſum alioqui ſub cute tumorem intelligo, qualis eſt *Sarcocelis* diffuſus, & laxus nonnulla parte; neque etiam, qualis ſtrumis glanduloſus, tuberoſuſque. Sed ex *carniformis* noſter Abſceſſus, coactiore, firmioreque, ſubſtantia; oſtracoſa duritie, ſubjectae particulae affinis; tubere haud multum elato, ſed lato expanſoque; membraneis plerumque fibris, filiſve, intertextus, plurimum ad muſculos, ſed qua ſe ad articulos appellunt, oriri ſuetus.

Ex quarum plurimis notis perſpicitur melancholicam coactique ſanguinis ſuperfluitatem, in hujuſmodi concrementum ſeceſſiſſe; contra quam tumorum aliae formae modo collatae, quae doctorum hominum judicio a pituitoſo, mucoſoque, excremento ſolent praecipue proficiſci. Quare cum non Sarcoma exterius, non Sarcocele, non Strumae, neque hujus generis ſit *carniformis Abſceſſus*; haud videtur hunc cognoviſſe Felix Platerus, licet *praxeos med. tom.* 3. *c.* 3. *titulo*, *quem de exe tuberantia praefixit* §. *de cauſis*, *p.* 234. de Tumore carnoſo fuerit profeſſus: nequitem Antonius Benivenius, neque Marcellus Donatus, neque Joannes Schenckius qui variorum hujuſmodi Tuberum meminere.

Quamquam Platerus, *l. de privatis ſuis obſervationibus* retulit, ſibi viſam glandulam in cerebro, ſupra calloſum corpus, inſigni magnitudine, pomiformem, fungo-

gosa scirrhosaque substantia, quae peculiari tunica convestita, venulis erat consita; a cerebri corpore sic laxa, & libera, ut digiti solius abstractu resoluta, foveam insignem aqueo humore mox repletam, quo & ventriculi, admodum dilatati, ductique, referti erant, post se reliquerit: quam glandulam sua mole cerebrum hujusque ductus comprimentem irrigantemque, illius ignaviae & corporis, tandemque exitii causam fuisse homini, cujus cadaver a morte sectum est, deprehendit. Hactenus Plateri observatio, qua monstratur membranas, sanguineasque fibras, interseri saepe carneis concrementis.

Est nunc inquisitione dignum, ecquo pacto tumores hoc creari sit probabile? quam rem equidem paucis expedio. Effunditur sive diapendesi, sive anastomosi, e plenis vasis nonnunquam humor superfluus, praesertim in locos corporis plurimum agitatos; & hae cordarum sunt partes lacertorum agilium fines; qui sanguinis effluxum attenuatu nonnihil promovent. Congestus hic sanguis cum melancholica, ac pituitosa, portione mixtus, & multa sua craffitie non discussus a natura, id est, ab ingenito loci calore nunquam in opus vacante subigitur, & in meliorem, ut alias explicui, formam praeparatur; abit pituita in fibras albas, sanguis vero percoctus, & melancholia, in carneum ostracole concrementum: cujus quia viscidula fuit materia, inhaesit haec subjectis locis non laxe. Ita non est difficile carniformem illum tumorem creari, nonnihil suffragante Platero. Quod si callosae, sub infimo calce, carnis procreatio fit exemplo, facilius hujus rei multam partem comprehendes. Sed haec fortasse plenius illustrabuntur exemplis, quorum perplura memoria servata; en tibi do haec.

Vespasianus Praenestinus, juris utriusque peritus, ab ineunte aetate Tuberculum, dimidiati secundum longum ovi anserini magnitudine, pone carpum, in brachio dextero interne, quadraginta jam annis, pertulerat, pro cacoethe, atque insanabili, ab omnibus Medicis existimatum; quod carnosum, quale appellavi, fuisse declarat; quod caro polyporum modo praedura, tam longis annorum curriculis indiscussa persistens, lato tubere, membraneis tunicis contecta, se obtulit.

Fuit & in Sacris Conceptionis aedibus, Neapoli, Capucinus, Innocentius nomine, quem, genus hoc Abscessus manifeste multis annis perpessum, equidem curare requisitus, sola virium imbecillitate & senio refragante, recusavi.

Fuit & his similis Abscessus, quem in cervice, duodeviginti jam annos, non sine dolore, ac distentione, gestaverat. Joan. Antonius Badius, Romanus, a nobis etiam sectione, & medicamentis cathaereticis, curatus.

Evidentissimus autem, inter omnes ejusmodi fuit Abscessus, quem Pancratius Mostarolus, Turracusiensis, intempestae, ut retulit, atque improbae exercitationis homo, secundum supremum femur, lente jam duos annos in magnam molem accretum, expertus est; auctorem aboliti fere motus, nullis aut internis, aut externis, valentissimis medicamentis, excussum, neque emotum; itaque vel multis crustis retorridi ferramenti, vel delectis in loco pyroticis curandum equidem senseram, si tantum molestiarum admisisset hic homo.

Processit experimentum & in vetulo Agasone, qui, in extrema nate, protuberantem ejusmodi Abscessum nobis in Valetudinario curandum obtulit, profunda carnis, quam dixi, farctura obsitum.

His addo Stephanum Terracianum, juvenem rusticum, cui foedum Abscessum habenti, sub aure, & inferiore maxilla, multis ejus materiae carnosae factis excisionibus, multo cum labore, ulcus obduxi.

Denique in aliis multis hoc experiri licuit, aegrotantibus, inquam, nosocomii: quas nostras chirurgias, & animo intrepido factitatas, & eventu semper felices admi-

mirati ſunt adſtantes omnes, & Medici, qui curioſe venerant ſpectaturi.

Compertum mihi curanti Michaelem Mataxam Samnitem, atque alios, multoties in ſpecie Steatomatis videri tubercula, quae concremento ſunt carneo naturali, venulis nutrita & arteriis fota.

In extrema penis glande; qua meatus eſt, Tuberculum carneum, ſeu Sarcoma, nucis avellanae magnitudine ac forma, cum depravato mictu, ac ſine dolore, habuit puer quadrimus, Holae cum eo vitio natus, cui lotium quodam forulo deſcendebat, ſic ut ſeipſum commingeret urinam reddens.

Coryli fructus magnitudine & forma, Tuberculum curavi, filio quinquenni Alexandri Caractae, itemque Benedicto Arvino, Lycei Fractenſis puero, duodecim annorum, qui ſic conſtans animo fuit, ut accenſum fomite peſſulum ipſe ſibi ſpiritu inſufflato excitaret; dignus qui hic cum laude commemoretur puer; non ut alii indigni virilitate, qui vel auditu hoc remedii genus exhorrent.

Dura ani Tubercula innominata tradit Petrus Argelata, *l.* 2. *tr.* 2. *c.* 3. quae ad *ani verticillum* per nos propoſitum licebit referre.

Sunt & qui carnem, ſeu carnoſam quandam ſubſtantiam, prae ſe ferunt Abſceſſus, quos credo *cyſticos*; ſchemate oblongo, toroſo, muſculiformi ſeu lacertiformi, concolores ſunt, & membra amantes ſolida, pulpoſa, fluctuantem intime humorem referunt; ſupinae manus digitis alterne nunc compreſſis, nunc ſublatis, nunquam etiam ad longa tempora extenuata cute.

Talia in femore coxave infima, tum interna parte, tum externa, quandoque etiam ſub poplite, *concrementa* hujuſmodi vidi plurima, in Illuſtri Viro D. Alexandro Carmiliano, viro Patricio Neapolitano; in Doctore Medico Joanne Baptiſta Benenicaſa, in quo viro per *decocta Sarſaeparillae*, perque cibi ac potus parcitatem, compreſſus tumor creditus eſt abiiſſe diſcuſſu. Verum, non longo poſt tempore recurrit folliculi ſubſiſtentis fortaſſe vitio. Curatus autem a nobis in integrum fuit, ejuſmodi Abſceſſus, in ſodali Antonia de Siano, janitrice vetula Parthenophylacii Spiritus S. Neapoli. Apertus autem ſcalpro candente, pultem albam, aut gypſum dilutum, referentem emiſit; eſt & cum ſub poplite ſe abdit haec materia; verum ſub hiſce cavitatibus, aut alarum, hic excreſcit tumor, ut immanis exiſtat, nec ita facile etiam per doctas manus curetur.

Poſſem & alias hujus ordinis producere narrationes; ſed his quidem non ita paucis poſſumus etiam contenti eſſe.

## CAP. III.

### *De Abſceſſibus mucocarneis, myxoſarcomatis graece.*

SUnt & Tumores quidam Abſceſſuſve, quos ſecundum communem omnium normam ignores profecto, ad quam ipſorum differentiam, ſpeciem, referas: nam neque exacti judicii eſt, ad *oedemata* referre formam hanc Abſceſſuum, qui partim interne carnei, partim interne mucidi ſunt, id eſt, ex mucoſa pituita concreti, quae referant exſecta limonia corticoſa, medullam acidam, interne conditam, offerentia. Hinc μυξοσαρκώδεις, id eſt, *mucocarneos* placuit appellare. Ex quo ordine facio *myxoſarcoma* praeputii, trium librarum pondo aeſtimatum; quod quia tam magno pondere ſumen, teſteſque pertraheret, ad taloſque dejiceret, manu duplici, ſex annos, circumferendum, & continendum, fuit Joanni Olivae, Neapolitano homini, quadrageſimum circiter annum nato; cui perpetuo languenti, atque opem utcunque ſucceſſuram in Valetudinario cum precibus, & ejulatu, petenti

(exul-



ad Pag: 113.



(exulceratum enim infra, ſupraque, tuber punctorios graveſque dolores inferebat) commiſeratus ego feliciter, annuente Deo, tum ſcalpro, tum igne ſuccurri; cauda duos digitos latos a pube relicta. Cujus jam praeciſae molis inquirentes nos materiam, ex qua conflata fuerat, & qua reſectura fuit, & altis aliis cultri ſciſſuris, apparuit mucida concreta ſpecies, quae denſata obdurataque forinſecus ſcirrhi formam exhibeat. Monſtroſam molem, & ſervatum noſtra curatione hominem viderunt eruditiſſimi noſtrae urbis Medici, Marius Schipanus, Stephanus Rinaldus, Joannes Dominicus Malliochus, Donatus Douna, Antoninus Tardinus; Gregorius Scalfatus, Joſephus Chiricus, atque alii Valetudinarii noſtri Medici, tum Phyſici, tum Chirurgi, ſaepe hoc opere nominati. Caeterum hanc mihi curati hominis imaginem expreſſere Pictores.

Hoc quidem exemplum ſingulare & admirandum eſto *myxoſarcomatis* praeputii: caeterum, eorum quae, in noſtro Incurabilium Noſocomio, Syphiliis hominibus frequentiſſime curamus, infinitus prope numerus eſt; quae taedioſum eſſet referri.

Reſpondet autem his & *myxoſarcoma* alarum vulvae, quale unum mox referam. Scorticulo propendebat, in labio pudendi, majoris pineae magnitudine Tuber carneum, baſi minore, quam extremo altero pendulum, quod ex parvo, jam annum, affatim extumuerat. Foemina etſi trepidans, tamen partim metu majoris incrementi, partim moleſtia oneris jam praeſentis, urgebat me precibus ad demolitionem. Conſtrictum vinculo die uno, ac tantum non ſtupefactum, poſtridie reſecui, cute in ambitu craſſiſſima plus unius digiti latitudine; interne concrementum mucoris, aut viſci modo pallidum, licet non admodum multum.

Jam vero diſcis nunc, conſimilibus viri, foeminaeque partibus pudendis, eumdem ad unguem affectum advenire; ut veram jam cognoſcas anatomicorum opinionem, qui cenſuere, praeputii virilis modo, uſuque pari, vulvae foeminarum eſſe alas. Ex hoc item genere ponere licet, & *ſarcocelen*, quam Paulus Aegineta, ſcindentibus ferramentis, expurgat, *lib. 6. c. 63.* nec non inflationem carneam, & phlegmaticam, quae a multis chiragra dicitur; adnotante Guidone, in *tract. 2. doct. 2. c. 4.* Hanc, obſervatione mea, potiſſime foeminae patiuntur; quarum in Parthenophylacio Spiritus Sancti Virgines aluntur duae: in Valetudinario vero Incurabilium muliebri, vivunt & aliae, quas habitu corporis pallentes omnes viſcera, credo, delinquentia reddunt inſanabiles.

Sed & articulos genuum, praeſertim ſubmucido Abſceſſu elatos, perſaepe vidimus nos, qui cultriformibus ſcalpellis aperiendos judicavimus, ubi per diſtenſiones acerbiſſimi cruciatus ſuaſere, ac prope coegere; nam & levamento remedii genus fuit, & a vitio ſubjectas partes vindicavit puris evocatione.

## CAP. IV.

### *De Quaſſabili quodam, & Utriformi cruris Abſceſſu.*

JO. Baptiſtae Vallo, Sacerdoti Presbytero Panormitae, ſexageſimum circiter annum nato, craſi ad ſanguineam vergente, ſed aliquantulum exuſta, coloris propterea vividioris, & craſſioris habitus; quadratique corporis homini; ad crus aliquando, concitata fluxione frequentiore, ſuccrevit *Oedema* vaſtum & ſupra modum laxum, in quod pituitae mucidae confluxu illuvies talis, ut utrem olei vulgarem fluctuatu, forma, & magnitudine, a genu ad ſuperiorem pedem, & ad malleolum uſque deſcendente, referret; niſi, quod tactu calloſa quaedam, extrema fa-

cie, durities plurima ſui parte pertentabatur; caetera namque mollior, ac tenuior, cutis erat. Homini tumor omnis tantum indolens, quantum oneroſus & ingreſſu, ſtatuque, gravis. Id vitii, quo nomine deſignandum, aut in quo tumorum genere reponendum, pronunciatu facile non eſt. Enimvero *Oedema* haud plane appareret exacte rem expendentibus: & *quaſſabilis* enim affectus, & callea durities, & ſuffuſi humorum ſenſus, & nulla poſt impreſſos digitos fovea conſequens, diſſuadent, Nonnulli fuerunt, quibus *Arabum elephantia* videretur: ſed ſuffuſus humor, & partita mollities cum blando ac minime tuberoſo, neque aſpero habitu, qui cum elephantia conjunguntur, diverſum ab hoc plane vitium oſtendunt. Nobis igitur placet affectum eſſe, cujus Veteres non meminere, fierique, ut umbilici ſcrotive *Hydroſarca*, aut *Hydropheumoſarca*, & hoc genus. Porro laxata cute corporis, aut alia parte qualibet; quid vetat ad hanc ſeroſum humorem, ſpiritumque in corpore redundantem, ſub cavitatem quidem confluere; in parte vero ſolida craſſiorem ſuccum, carnis oſtracoſae ſpecie, concreſcere? itaque vocatum a nobis eſt hoc genus *Oedemoſarca* cruris privatum, non aliter, quam *Cancrum Elephantiaſin particulae peculiarem* dictitare Medici conſueverunt. Huic viro, tametſi ſaepiſſime flagitaſſet, ut periculoſa quantumvis curatio exercetur, hanc tamen in homine vetulo experiri cavimus. Id quod licuit, ſetaceum ad inguen ejuſdem lateris oblique transfiximus, &, poſt longum ſarſaeparillae uſum, ad Aenariani litoris medicatas arenas, quibus crus totum obrueret, ſuo tempore confugiendum ſibi diximus.

Hominem viderunt, & tractaverunt, Horatius Carbunctus, Chirurgus Apulus peritus; Johannes Baptiſta Ferrarius Rogianenſis, Alexius Alonia Caſtelvetranus, Medici; qui me chirurgias adminiſtrantem ſaepe viſere conſueverunt, rerum novarum ſtudioſiſſimi.

## CAP. V.

### *De Abſceſſibus adenoſis, & aliis reconditis.*

VIdimus ſaepe per artus, thorace anteriore, poſteriore, ſubque alas, & inguina, prorumpentia quaſi Tubercula, glandulas exſtare uno eodemque loco confertas, quae in viſcerum impuriorum, atque habitus corrupti, hominibus, ac pueris, limoſi pituitoſique ſanguinis ſunt ſoboles, crudae, durae, atque omnino diſcuſſu contumaces. Hujuſmodi Tubercula equidem plus ſexaginta, univerſo corpore diſperſas, vidi in noſtri Valetudinarii vetulo, gracilioris habitus homine, qui longinquis ab oris venerat curandus. Quod autem maxime admirabile ſuper caetera viſum eſt, exſtabant Tubercula quam plurima circa loca, quae glandularum ſunt prorſus expertia. Itaque venit in mentem illud Aetii, qui *Tetrabl.* 4. *c.* 5. quod eſt *de Strumis*, profeſſus eſt, ex integro naſci plerumque candidas, & rubras, carunculas in corpore; ſed ſatius erit aliqua prius attingere de *Strumis*.

De Strumarum natura, generatione, materia, loco, & adnexis corporibus, multae ac variae fuerunt Auctorum ſententiae. Itaque perplexos nos tenent controverſiae; neque enim cum Galeno maxime credamus, cum nec eundem ſemper in hac re ſequi certo poſſimus: cujus tamen doctrinam principio proponemus, ut haec conferri cum aliis rite queat. Is *lib.* 14. *meth. med. c.* 15. & *lib. de tumoribus c.* 18. & *pleriſque aliis in locis*, tradidit *Strumam eſſe tumorem obduratum, veluti ſcirrhum in glandula, ex accreto humore frigido, qui vel pituita vehementer exſiccata, vel humor melancholicus, eſt*, ut 13. *meth. c.* 5. at *in lib. definitionum medicarum*,

*rum*, si modo is auctor fuit, declaravit; quod *Struma sit caro sicca, quae difficulter solvatur.*

Celsus vero dixit *esse tumorem, in quo subter concretae quaedam ex pure, & sanguine quasi, glandulae oriuntur.* Aetius vero ex Leonida *libr.* 15. *c.* 5. voluit *Strumas esse carnes & subcandidas facile augescentes in membrana contentas, & in summa glandula obduratas, quae in collo, sub alis, atque inguinibus oriuntur, ubi glandulae vasis substratae sunt; aliquando etiam, sed tamen raro, ex carne eorundem locorum fiunt, quae affinitate quadam ad strumarum naturam vertitur, & materiae accessione augetur.* Paulus vero *lib.* 6. *c.* 35. omnes suis membranis includi voluit, ut Steatomata, Atheromata, Melicerides. Post hos, Guido Cauliacus *Strumas*, & *Glandulas* longe diversas fecit; dicens Glandulas esse mobiles, Strumas vero immobiles, cum tamen nullus ex Veteribus discrimen hoc inter illas statuerit; si recte cunctos observavi.

Sic apparet omnes istos Auctores ab invicem dissentire, quos tamen magno studio multi ex posterioribus voluerunt conciliare: quam rem tamen neutiquam fecerunt; ut pote quod diversam vere sententiam illi priores habuerunt: vanum autem studium est, aliud atque aliud intelligentes velle conciliare. Ego enim sic sentio variam esse Strumarum naturam, sive secundum accidentales sui rationes, quas singulas nominati Auctores descripsere. Quam rem cum monstravero, sic demum finis fiet tot quaestionibus, & ambiguitatibus, quot ad hunc usque diem viguere. Primus enim nobis contigit, Dei favore, ut rem hanc adverteremus; contra quam Manardus, Philippus Ingrassias, Fallopius, & Hieronymus Fabricius, Celsi omnes interpretes, credidere. Sed nihilominus videamus, quae & qualia recentiores pro componendis istis Auctorum dissidiis protulerint.

Primum igitur dissentientes sunt Galenus & Celsus, in assignanda Strumarum natura. Galenus quidem frigidum hunc facit affectum ita, ut sit insuppurabilis; ut qui, vel a pituita nimium exsiccata, vel ab atrabilario succo, nascitur: in summa aut Scirrhum facit, ut 7. *aphorism.* 8. aut scirrhosum affectum, durissimum scilicet, & inexpugnabilem; quod factum est, ut aliqui, inter quos Manardus est, dixerint, Strumas dictas esse Graecis *chaeradas*, a lapillis, qui maris tranquilli fundo apparent, globosis, & lenibus, magnitudine parva. Neque mireris tamen ab Hippocrate, *libr. de glandulis*, has ipsas tangenti velut lanas esse positas: comparatio namque non est ad mollitudinem, sed ad globos lanarum, qui oblongi sunt, coacti, pressiores ac duriores πιλήματα Graecis. Ita equidem Hippocratem interpretor, ut nulla jam restet apud ipsum difficultas.

Phlegmonae igitur Strumae non sunt, ut recte etiam colligit Philippus Ingrassias, neque facile suppurantur. Celsus vero cum credidit Strumam esse concrementum puris, & sanguinis, in glandulae modum conglobatum, sic recte significat Strumam esse calidiorem affectum, & quandoque matureſcentem, licet non facile. Addidit praeterea, quod febres movet, halitu nimirum sanioſae materiae quoque pacto ferveſcentis. Galenum igitur, & Cornelium nititur conciliare Philippus, dicitque Celsi sermonem non esse tam amplum, ut comprehendat omne Strumarum genus, sed tantum aliquas, quae matureſcunt, sanguinem in se ipsis, & pus, habentes. Itaque de quadam specie Strumarum differuisse Cornelium, vult hic homo. Quae opinio si admittatur necesse est, imperfectam, & diminutam esse Celsi doctrinam, qui de omni Strumarum natura tradere omittens, de una tantum specie sermonem fecit: quae res cum indigna bono scriptore sit, minime probabilis videtur mihi Philippi interpretatio.

Deinde discrepat Aetius a Galeno, qui Strumas dixit esse carnes subcandidas

facile augeſcentes, & in membrana contentas, quorum omnium nullum Galenus attigit dicens, *Strumam eſſe ſcirrhum in glandula, ſive glandulam obduratam*. Certe cum Aetio convenit Auctor definitionum medicarum, qui dixit; *Struma eſt caro ſicca, quae difficulter ſolvitur*. Convenit etiam in genere definiti, neque non conſentit cum Aetio Paulus in eo, quod dicunt ambo *contineri Strumas membranis*. Ad haec igitur dicit Philippus neglectam hanc differentiam Galeno, atque addit, hunc ipſum etiam *libro de morborum differentiis, c. 9.* in fine poſuiſſe Strumas morbum in genere auctae magnitudinis: auctis praeter naturam teſtibus, lingua, mammis, atque oculorum angulis aequiparans. Sed neque haec Philippi reſponſio ſatisfacit, dicentis, Galenum neglexiſſe differentias, qui exactus, & profuſus eſt in omnibus: itemque aſſimilaſſe Strumas auctis praeter naturam carnibus linguae, mammarum, oculi angulorum, & teſtium; non eſt Strumas in carnibus poſuiſſe; ſed ſi probe Galenum legeris, neque haec ejus eſt ſententia, quod Strumam mammarum, teſtium, oculorum fecerit; ſed longe ſemotus a Strumis eſt Galeni ſermo.

Quid autem ad illud, quod propoſuere Paulus, & Aetius affirmantes Strumas omnes membranis contineri, quemadmodum Atheromata, Steatomata, & Meliceriades; hunc nodum porro Philippus non ſolvit; quare digladiantur inter ſe bonorum Auctorum ſententiae. Quas nos inimicitias ſi non patiamur, quid excogitamus ad componendas eaſdem? nimirum ſi concedis haec, quae ſequuntur Theoremata.

Puto equidem plane diverſa eſſe Strumarum genera, quae & Cornelius, & Galenus, propoſuere nobis; quae tamen utraque conſtant pro his, quae ſui Auctores voluere. Porro Galeni Strumae de genere ſunt ſcirrhi, ſive hic quidem tumor ſubjectam habeat glaſteam pituitam, ſive etiam melancholicum humorem, ſive ſimplicem, ſive atrabilarium: qui communiter humores attribuuntur ſcirrho, in vita Galeni; quique humores apprehendunt, incurruntque glandulas, ſive his attrahentibus aliunde, ſive ab aliis tranſmiſſas recipientibus; dummodo tamen ſint ipſae glandulae, quae recipiant, non glanduloſa corpora, ut teſtes, mammae, lingua, & oculorum anguli: quibus non accidere Strumas putavit Galenus, *lib. de morb. differentiis, c. 9.* ſicut opinatus eſt Ingraſſias; ſed ſimilitudine quadam hoc modo dictarum partium tumores Strumis aequiparavit.

Contraria porro ſunt in definitione Cornelii, in qua poſitum eſt non glandulas eſſe Strumas, ſed quaſi glandulas, i. e. glanduloſa potius corpora, aut cava loca, quae vaſis ſubſternuntur, uti glandulae: atque ad loca cava facile, deductis humoribus tum frigidis, tum calidis, fit in particula cumulus, ac tumor; cujus materia poſtmodum computreſcens, ſanguinem & ſaniem repraeſentat: ſive cum aliquando matureſcens, longo poſt tempore, per acrimoniam humoris aperitur, ſive cum medicamento, & artificis manu diſrumpitur. Hujuſmodi profecto Strumae difficultate ſua Medicos fatigant: atque his non bene praeſcindentibus vitioſas radices, cum coalitae aliquando fuerint, rurſus juxta cicatrices reſurgunt, & novam curationem expoſtulant. Nihilominus cum febres moveant, & licet cum difficultate matureſcant, fit, ut non ita rebelles, neque ita contumaces ſint, ut alterae Galeni; tum ſi ad cauſſam reſpexeris, quae in toto corpore ſubeſt; tum ſi ad morbum. Naſcuntur quippe in cervice, atque etiam in alis & inguinibus; in lateribus & in mammis foeminarum, ut etiam adverterunt, praeter ipſum Celſum, Chirurgi: quae loca omnia praeter unam cervicem non addidit Galenus, ſed tantum Paulus. Addidit, inquam, Paulus, ſiquidem ex aliqua parte cum Celſo conſentit, ut dicemus poſtmodum.

Be-

Bene autem addiderunt utrique *in lateribus & adjacentibus locis ;* quia experientia comprobatum eſt, omnes, prope artus capaces eſſe Strumarum, ubi cava ſcilicet loca ſunt, & vaſis conferta: ita & nos etiam ſaepiſſime obſervavimus multas, tum in viris, tum in foemellis : quae tamen una potiuntur obſervatione maxima, quod principio ſunt concolores, carni proximae ; vix attolluntur, & tactae dolent; mox vero, ut dicit Aetius, accreſcunt, & rubrae fiunt, abunde longiores, quam rotundae, ut glandem referant : ob id fortaſſe, quaſi glandulas refert Celſus, & longo, ut ipſe inquit, ſpatio, detinent aegrotantes.

Ab his quippe non admodum differunt Strumae ab Aetio deſcriptae, niſi quod membranarum contegentium non meminit Cornelius. Et certe mirum eſt, quod & Aetius, & Paulus munitas membranis Strumas requirunt, ſed dicam ego ſuper hac re ſententiam meam. Magis autem mirum eſt, quod Paulus velit eſſe membranas, quemadmodum Steatomatis, Atheromatis, & Meliceridis : Porro ſunt membranae nil aliud niſi ſumma ſuperficies obdurata Strumarum, quae cum tenuiſſima, non ita facile a Medicis praecipue imprudentibus obſervantur : tu vero ſi dextere, aut manu uteris, aut oculo, ſi minus id non potes in exteriori Strumae corpore membranam advertere ; luculentius hanc deprehendes in pediculo, quem vulgares foeminae ſolent vocare radicem. Haec autem non niſi difficillimo negotio ſolet exſtirpari.

Hujus quidem Celſus non meminit expreſſis verbis, ſed ſignificavit hanc nobis per illud, quod addidit plerumque iterum juxta cicatrices ipſas reſurgere; id quod recte fit propter reſiduas fibras, quae negligenter fuerunt a principio reſectae : enimvero Celſus hanc habuit opinionem, Strumarum genera eſſe duo ; corpus apprehendentium profunde, & ſuperficiarie, ſicut divine ſcripſit Paulus, in hoc loco, apertis verbis: profundiores quidem maligniores ſunt; ſuperficiariae vero benignae ; de his credo locutum noſtrum Cornelium; qua diſtinctione poſita, concordat etiam Guido cum omnibus.

Unus nunc reſtat ſcrupulus, vel una difficultas, quam a principio ſignificavi ; quid cauſae ſit, quod Celſus unius ſpeciei Strumarum meminerit. Ad quod quaeſitum reſpondetur, id fortaſſe factum, quod ſuo tempore alioquin vitae frugalioris non obſervabantur aliae Strumae, ex craſſioribus genitae : ſubſequente vero aetate, corruptione rerum, etiam atque etiam potuere comperiri.

Alteram difficultatem exhibet Theodorus Priſcianus, *libr. primo ad Timotheum c. 9.* qui inquit; *ſin vero magno phlegmate ſuperveniente ſolvi non potuerit furunculus, vel parotis, ſed calloſitate permanente Chaeradas fecerit.* Porro dicit hic Vir, fieri Strumas ſuccedentes ad furunculum, vel parotidem, calloſiores & duriores factas. Novum hoc & a nemine unquam productum aut effatum : tamen in promptu dicimus Strumas hic dici improprie, quod vel calloſum ulcus, vel fiſtula aptius diceretur.

Hactenus de perplexa diſſidiis Strumarum diſcuſſione. Caeterum id, quod maxime inſtitueram, obſervationem nobilem non te celabo, quae eſt. Comperta ſaepe nobis, quae primus Aetius poſuit, concrementa ex carnibus eorundem locorum, quae affinitate quadam ad Strumarum naturam accedunt, & materiae acceſſione augentur. Inter caeteros autem id vidimus in Matthaeo Riſtayno, quem Illuſtris vir Vincentius Strambonus, Dux Saliſenſium curandum commendaverat, in latere Abſceſſum diu paſſum: ex qua re diſcis etiam, quod in lateribus, veraci Cornelii teſtimonio, Strumae oriantur.

Tandem & inter reconditae naturae Abſceſſus illud erit annotandum, *tubercula* quaedam planiora, quae nulli plane viſa fuiſſent ſanie vel pure foeda, haec eadem,

dem, aperta per me pyrotyco medicamento, prodierunt pure foedata, tum, inquam, in Doctore Bartholomaeo Lombardo, auditore meo, ſub maxilla inferiore; tum in famulo meo, cui nomen Angelo Aitoro, e Mirabellae oppido, ſub ala. Retulit autem utrumque glanduloſum Abſceſſum & fortaſſe *phygethlon*, propterea, quod perdolens natura compertum eſt utrumque. Item in R. P. Paulo Samblaſio, Jeſuita, qui Abſceſſum adeo ſub collo veſicae reconditum fovit, ut mirum ſit, eundem me divinaſſe; nam divinatio ferme fuit, impoſuiſſe ignem fomitis & recluſum abſterſiſſe, & curaſſe perfoſſum ad vacuitatem locum, & ferramento candente, quo demum eſt mirabiliter obductum ulcus.

Dicam in hanc rem ſimile; ex ictu, colliſuque rei gravis, & obtuſae, productus Abſceſſus in ſuperioribus thoracis coſtis, qui nihil apparens, ſed conjectura probatus, a me candente cautere adapertus, penetrans in vacuitatem repertus eſt; adeo prudenter Hipp. *l. de articulis*, colliſas coſtas principio voluit inurendos, ne, provocato per novum lentorem vitio, contererentur coſtae & malum gravius acerſeretur. Aliud *adenoſorum Tuberum* genus eſt, quod inexcuſſum jure merito vocabimus; quod cum parti cuipiam adhaeſerit ſemel, nulli medicaminum, vel valentiſſimorum, generi diſcuſſile ſeſe exhibet, nec etiam annorum loginquitate; ſiquidem ad annos viginti, atque amplius, ſtabiles & firmos hujuſmodi vidi Abſceſſus. Illud autem, cum in pleriſque multis obſervarim, & quod in memet ipſo ſenſi, teſtificabor; cum ab una capitis lotura, per aeſtatem obortum, ala ſub ſiniſtra, fuiſſet *adenoſum* ovo gallinae par *tuber*; hoc ad viginti quinque annos adhuc fero; quanquam vere non eadem mole, ſed ſub vigecuplo minor, principio quidem perdolens, ab uno vero menſe, nullo dolore moleſtus.

Puellae undecim annos natae, filiae Marchionis Orioli, nomine Iſabellae Siriſali, ſectione atque uſtione multiplici curatum *Atheroma*, cujus vitium interiora thoracis tantum non penetraverat, a quibuſdam urbis noſtrae Medicis famatiſſimis pro ſimplici Abſceſſu habitum, & unguentis liparis tractatum; quod ipſum tamen, noſtris pyroticis quam acerrimis principio inculcatis, nec aliqua parte ceſſerat, nec fuerat quicquam emotum. Quas ob res ad extrema tandem devenire oportuit, collega Franciſco Moſcha, Medico peritiſſimo, atque aliis conſentientibus multis: quae cum praedixerim, cogor nunc reliquam Abſceſſus productionem attexere. Paſſa jam fuerat nobilis puella ſeptimeſtris noſtrae curationis taedia; cum jam immuni ac liberae, ut videbatur, ſubrepit dexterum in brachium eryſipelas; ad quod incurſionis genus praevertendum, fuerat in ſiniſtro fonticulus excavatus primordio; verum, ut dixi, fruſtra. Adeo, ſcilicet, memorabili exemplo praevalet aſſuetudo fluxionis huic noſtrae Medicorum providentiae: adeoque etiam fonticuli revulſorii plerumque vana eſt proviſio.

## CAP. VI.

### *De Bronchocele.*

B*Ronchocele*, teſte Joanne Langio, *l.* 1. *epiſt.* 1. 43. tumor eſt peudulus circa guttur, a bocii ventroſi poculi ſimilitudine appellatum; inter cutem & aſperam arteriam, auctore Celſo, increſcit; in quo, modo caro pituitoſa, modo humor aliquis melli, adipi, aut pulti, ſimilis, membranula includitur. Interdum etiam pili, minutulis oſſibus mixti, reperiuntur diuturna (quod *l.* 3. *epiſt.* 4. addidit) alteratione, ac putrefactione: nam lignum Quercinum, ſub terra defoſſum, mutatum in cotem lapideam, hiſce manibus erui. Alterationem autem explicavit Mar-

Martinus Acakia, *in lib. 2. artis curativae ad Glauc.* Pro humoris, tum calore, tum concretione, & caloris magnitudine, temporiſque ſpatio, aliae atque aliae formae in aliis & diverſis Abſceſſibus fiunt: nempe durae, molles, liquidae, nigrae, rubrae, flavae, albae. Craſſam enim materiam in duritiem, temporis proceſſu, cogit calor vehemens, quae ſi nigra ſit, carbonis ſpeciem repraeſentabit. Mediocrem vero calor mediocris in pus mutabit, liquidam digeret. Haec quidem, communi omnium ſententia, Bronchoceles eſt materia. Verum ego, quae compererim in reſectis compluribus defunctorum Bronchocelis referam.

Anno Chriſti 1625. Julio, eſecta Bronchocele cadaveris, educta Struma librae unius pondo, quae ſic adſtricta gutturis venis, ut nae mirum fuerit quomodo avulſa. Tempora huic homini preſſa atque invicem adducta ſic, ut confirmaret aperte judicium phyſiognomonum noſtrorum, qui temporum anguſtiam naturalem ſtrumarum effectricem ponunt.

Anno 1626. Februario Bronchocele, in homine opifice inauratore, anteriorem totam colli partem, quam δειρὴν graeci vocant, apprehenderat, alto plus quatuor digitos tumore: qui *aneuriſma* exiſtimatus eſt a compluribus, propterea, quod ſub eo, vivente homine, perſentiretur pulſatio non exilis. Nihilominus, id equidem retuli ad jugulares arterias, quarum ex ſuimet compreſſione neceſſarius erat ſenſus. Reperta eſt cyſtis ſanguineae prope membranae, quae, amplo veluti ſacco, ab externa facie ad uſque trachaeam arteriam ab ea compreſſam extendebatur. Intus laminulae, veluti ſanguinea concrementa, & carnes, pulmonis atrioris ſubſtantiam referentes, univerſam loci amplitudinem complebant; niſi quod ſuperne concretus humor flavidior, gelatinam vulgarem propemodum referens, exiſtebat. Diſces nunc uno noſtro parergo corollarium, quod eſt. Non injuria quidem magiſtro inauratori productum iſtiuſmodi vitium: quod genus opificum, Joannis Langii judicio, mire ſubjectum eſt Bronchocelis, viroſo argenti vivi contagio.

At Bronchocelae, quae multifidae ſunt, glandulas continent praerubras, & praeduras. Tales enim viſae, in puella Parthenophyllacii D. Mariae viſitantis pauperes, per nos ſecta in domo ejuſdem Templi, Anno 1625. ſpectante Andrea Sgambato, viro digno, qui centum annos vixiſſet.

De frigidis Abſceſſibus plura quidem eſſent inſerenda, ſed cum nemo celebrius, Petro Argelata, *Chirurgo ſuo opere, l. 1. tract. 2. de hac materia, & ſimul de coſtarum frigidis Abſceſſibus*, ſcripſerit, tanto libentius, quod Medici noſtrates hos non cognoſcentes, eoſdem credant eſſe calidos, benevolum Lectorem eo remittere voluimus, qui tibi abunde ſatisfaciet.

## CAP. VII.

### *De Abſceſſibus Sanguifluis, ſive Aneuriſmate.*

ABſceſſus nos *ſanguifluos* vocavimus, *qui ex multo effuſo in ſinum aliquem ſanguine; ſeu ſimplici, & ſolo, ſeu cum aliis humoribus, ſuperfluitatibuſve, & ſolidarum partium fibris permixto conflantur*. Ex hoc genere facile, per noſtros omnes; *Aneuriſma* eſt, de quo primum dicam mox enim non, praeter hunc, ſint & alii *Abſceſſus ſanguiflui?* diſputabo. Quod ad *Aneuriſma* pertinet, facit vocabuli obſcuritas, ut ab ipſius declaratione ducendum ſit initium. *Aneuriſma*, vox, ab unis Graecis recte propoſitum, ab Arabibus noſtris auctoribus, & hujus factionis amicis, dictum eſt *Emboriſma*, *Aphoriſma*, *Hyporiſma*, & aliis hujuſmodi cor-

corruptis ſemper vocabulis: e Latinis quidem primus eorum : quos equidem legi , Hieronymus Montuus enervationem tranſtulit ab α privativa particula , & τοῦ νεύρου , quod quidem etymon non probatur ; tum praeterquam , quod neſciveris , quo referatur ; cum ſpecie differant nervus , qui ſedes non eſt affectus , & arteria , quae ſedes eſt affectus. Ego igitur credo dici , *Aneuriſma* ἀπὸ τ ἀναίνειν , quod eſt exilire , effluereque ; quamquam de nominibus , curioſos nos eſſe diſquiſitores non debere , monuit Galen. *l. 6. meth. med. cap.* 1. & *aliis in locis quamplurimis*. Quapropter , quae natura ſit rei , brevi praeſtat inquiri . Circa quam rem ita magna fuit ſcriptorum diſſenſio , ut etiam de genere controverſia fuerit : aliis volentibus affectum hunc eſſe a cauſa externa , id eſt , ab ictu violante , ſcindenteque , arterias : aliis referentibus humorum irruptioni , quae producat aut inchoatam ſolutionem , aut tumorem , aut Abſceſſum : aliis vero , non diſcretis cauſis utriſque , dicentibus , dilatatam arteriam citra effuſionem ſui ſanguinis : aliis vero cum effuſione extra vaſculum . Et qui ſanguinis effuſionem credidere , tum tranſcolationem arguerunt , quae ſine ſolutione eſt ; tum cum ſolutione , vel ex perruptu abſoluto , vel ex diviſione , vel apertione . Hi *modi* ſunt omnes , quibus *Aneuriſma* creari dixere priores . Diſputatum a pleriſque eſt , & a Joan. Baptiſta Sylvatico praeſertim , diligentiſſimo ejus rei ſcriptore , quae vera & propria ſit , ex his cunctis , *Aneuriſmatis* ſpecies & eſſentia ? ego ejus diſquiſitionis non ſumo laborem , praeſertim in hoc libro , cujus mihi cancellos peranguſtos poſui . Inſtituto meo ſatis eſt , quod , ex effuſo extra vaſculum ſanguine , poſſit *Aneuriſma* eſſe ; quod ſane verum eſt adeo , ut inter plurimas , hanc maxime ſententiam fuerit amplexus , tum ipſe Sylvaticus , a quo definitum *Aneuriſma* eſt , *tumor a ſanguine calidiſſimo , tenui , vaporoſoque ex arteria ſub cutem effuſo , productus :* tum Felix Platerus , in *tom. 3. prax. med. qua de cauſis vitiorum ab exuberantia ;* qui *frequentiſſime naſcens ex effuſione ſanguinis Aneuriſma* confirmavit , his argumentis . *Primo* , quod extra cutem ſinum ſibi formaret effuſus ſanguis : quae quidem effuſio facile fit , quia arteriarum oſcula deſinunt in cutem . *Deinde* , tumor *Aneuriſmatis* rotundus eſt ſemper , non autem teres , & oblongus , teres autem alioqui deberet eſſe perpetuo , ſiquidem a dilatatione , non ab effluxu , eſſet . *Tertio* , ex vaſculi dilatatione , non humoris effuſione , profectum *Aneuriſma* , non continuo profluvia ſanguinis infrenabilia promeret : atqui promit ; indicium ſcilicet in promptu ſtagnantis ſanguinis . Quod ſi videtur difficile , ut , extra ſuum , qui conſervabat , locum , effuſus ſanguis non corrumpatur , huic ambiguitati & Sylvaticus , in *eodem tractatu de Aneuriſmate* , ſatisfecit , & nos etiam occurremus . Brevius etiam , & in rem noſtram accommodatius , quod corrumpitur quidem ſanguis affatim in aliqua cavitate collectus ; atque haec fuit mens Hippocratis , *lib. prognoſt. com.* 4. & *lib. 6. Aphor.* 20. At in *Sanguiſluis* nos ſanguinem , ſeu communiter dictum , ſeu ichoroden ac dilutum , ſtatuimus diſperſum , & cum fibris partium aliquo pacto conglutinatum , ingenio , ac vi , naturae ; quae ſicut in Anomalis explicavimus , unum quodque ſuperfluum , potiſſime , cum aliqua parte utile eſt , perpetuo reducit in meliorem quamcumque valet formam , modo ne corrumpatur . Diſperſi autem ſanguinis , & veluti per grumos conglutinati , nec non univerſum in hoc affectu praevalentis ipſius , indicia ſunt ; nulla in tumore fluctuatio , concolor atque ad rubrum vergens habitus exterior cutis , cumque dolore gravante venae , & caetera .

His ſic ante propoſitis , illud contendo ; quod ſi , ex arterioſo ſanguine , fieri ejuſmodi Abſceſſus , doctorum omnium hominum opinione firmatum eſt ; itemque ex ſanguine venoſo fieri poteſt : nam quemadmodum ex arteriarum tubulis ſuus educi ſanguis poteſt , ita etiam e venis ſuus . Quod ſi tenuiorem arterialem ſangui-

guinem dicis, qui facile foras erumpere valeat ; ego contra duplicem, & ferme cartilagineam, vaſorum iſtorum fabricationem allegabo. Deinde ſi arteriis perpetuus eſt motus, ex adverſo venis, & laxitas, & poroſitas, eſt.

Praeterea anne legiſti, quae de *ſupervomitu* venarum Hippocrates prodidit, *l. 2. de morb. num.* 1.? Audi autem, quae Petrus Salius *ad id loci* interpretatus eſt. *Sanguis ſi qualitate & admixtione pravorum ſuccorum, vel quantitate copioſior, quam ſit ex naturae praeſcripto, peccaverit; vix amplius in venis coercetur a natura, imo ſaepius irritatione facta, earum aut adapertis oſculis, aut rarefactis tunicis, ad diverſas corporis partes effuditur; in qua effuſione vel intra membrorum poroſitates, vel in ampla quaedam, quae inter ipſa ſunt, ſpatia, recipitur; ex quo diverſa, vel Tumorum, ſi in poroſitates, vel Abſceſſuum, ſi in cavitates receptus fuerit, genera oriuntur.*

Hunc effuſionis modum, per quem ſanguis e venis erumpens non in poroſitates, ſed in ſpatia corporis, partes mediantia, recipitur, vocat Hippocrates *venarum ſupervomitum*, metaphorice ſumpto nomine a vomitu proprie dicto. Qui *ſupervomitus*, ſi fieri poteſt, e venis univerſi corporis ad cerebri ſinus, quid ni, inquam, fieri queat in alias ex iiſdem vaſis cavitates? nam quis, e gravibus cauſis ad effluendum, ſanguini non poteſt eſſe motus? Porro, narratum eſt a Jo. Schenck. *lib. 3. obſ. med. tit. de Venis*; Religioſam & nobilem foeminam quandam monialem, cum in irruentium hoſtium ſtrictos gladios, ac praeſentem jam mortem intentantes, incidiſſet, adeo perterritam fuiſſe, & totis interne viſceribus commotam, ut ſanguis ab omnibus corporis partium meatibus continenter effluereret, & exanimis ſub hoſtium oculis concideret. Itemque, notante eodem Schenkio, narravit Gulielmus Rondeletius, cuidam homini per omnes corporis meatus, per oculos, aures, nares, penem, ac partes alias, ſanguinem erupiſſe, adapertis venis, uſu nimio Braſſicae marinae.

Porro ſunt exundantis ſanguinis cauſae multae notatae, per Galen. 5. *methodi*, perque Sylvaticum *in Aneuriſmate declarando*. Una autem & prima eſt, ad raritatem reſolutio, a calidis rerum occurſibus veniens, igne, inquam; Sole; curſu; ira; furore; cibis acribus, & nimio aromate conditis; vinorum veterum & odoratorum potu. Praeter quae ſunt & ad vaſa colliſus, percuſſus, diſtentus, praegravatus; violentus membri raptus atque diſcerptus, vincula; de ſublimi loco caſus; graviſſimorum ponderum tractatio, atque ſublatio, adjuvant; & plerumque ſpiritus cohibitio; vehemens efflatio; clamor; & ſi quae ſunt hujuſmodi plura. His omnibus atque aliis tum externis, tum internis cauſis fieri poſſe *ſanguineum* hunc, quem dicimus, *Abſceſſum* non dubito : neque dubitabunt alii, me judice, qui re vera non unum aut duos, ſed quamplurimos hujuſmodi Abſceſſus vidi.

Primus occurrit Joſephus Palumbus Mercularius, in compito Divae Catharinae; cui, multos menſes ingraveſcens aequabilis tumor tibiae, diruptus ſua ſponte fatum acceleravit.

Similis caſus fuit Graeci cujuſdam hominis, qui diſtentione acerbiſſima tumoris, ad femur inferius, pone genu partem exteriorem, multos item menſes, vexatus ſic, ut nullus vociferandi, ac ejulandi finis eſſet : tandem his cruciatibus, perpetuiſque vigiliis, & irrequiei ceſſit.

Tertius, ponetur homo Subalpinus, qui Bronchocelem praevaſtam, multos annos cum angore, paſſus, tandem ab ea ſtrangulatus oppetiit : quam nos vitiatam partem, in Noſocomio, diſſecantes, grumos ingentes ſanguinis undique circumfuſos, cum adnatis quibuſdam carunculis, offendimus. Porro ſunt mea quidem opi-

nione Bronchocelae pleraeque, cum *supervomitu* vaſorum impenſe dilatatorum, complexae.

Quartus, fuit homo Pauſilipi villicus, qui a Petro Antonio Provenzano, Medico integerrimo, miſſus in Noſodochium, ſpontaneo ſubalaris Abſceſſus magni diruptu, acciſuque quotidiano virium, e vivis exceſſit. Conſimilem autem tumorem narravit Amatus Luſitanus, in *centuria 6. cur.* 12. a Chirurgis male cognitum, & perperam apertum, languentem miſerum neci dediſſe.

Quintam mirabilis a nobis Curati *Aneuriſmatis*, cum ingenti tumore ſanguifluo, hiſtoriam, a Franciſco de Natali, Doctore Medico ſolertiſſimo, deſcriptam, & noſtris ſcholiis illuſtratam habeas benevole Lector ſequentem.

*Accerſitus Doctiſſimus Medicus, Marcus Aurelius Severinus, a R. D. Anſelmo Pagano, hunc invenit magno laborantem tumore, in dextero ſupremo femore juxta inguen, qui cum per quatuor menſes a multis & omnigenis Medicis fuiſſet principio curatus, nullus eſt inventus qui benefecerit; quin imo, medicati ſunt omnes ſemper in pejus ruente caſu. Cum enim tumor fuiſſet quidem, principio, magnitudinis nucis avellanae, maxima cum pulſatione, ita, ut cubanti ſublevaret, ſtragula dupla, vel tripla, ſuperiacentia, & quicquid aliud ſuper imponeretur; cumque jam progreſſu fuiſſet amplior factus, ceſſavit pulſus [veluti mihi retulit aeger] & interim, per paulatinam congeſtionem, devenit tumor ad magnitudinem hyemalis cucurbitae, triplici tubere faſtigiatus, ſeu triplex monticuli jugum repraeſentans. Quo tempore accedens Illuſtris D. Severinus, invenit R. D. laborantis jam tumorem, ad gangraenam vergentem, ac liveſcentem, phlyctenas plurimas circumferentem; livor etiam deſcenderat ad magnum uſque pedis digitum, ſenſuque pes totus carebat; erat autem homo multis & gravibus ſymptomatibus vexatus, vigiliis ſcilicet; inſomniis perturbatis; oculis gravatis veluti in comate vigili; febre continua & aliquando paraphreniſi; urina erat turbida; vireſque per tantum gravamen imbecilles; denique totum crus motus erat expers, magniſque doloribus genu, tibiae, pediſque, vexatus aeger; ita, ut loco ſtare neſciret, ſemperque clamando adſtantes rogabat, nunc attollerent, nunc deprimerent femur, quo requieſcere poſſet,*

*Cum haec omnia perpendiſſet animo Cl. Severinus, enunciato de mortifera affectione prognoſtico, die, qui fuit* 28. *Januarii*, 1641. *veſperi dedit* Nepenthes Quercet. gr. vij. *tum ad ſopiendas vigilias, tum ad intercipiendos dolores; ac praeterea, novum curandi modum inſtituit: namque ut alii fovebant locum oleis lenitivis, ipſe mandavit ut imponeretur* Cataplaſma, *ex farinis aliiſque corroborantibus, & conſtringentibus: impoſito* Cataplaſmate, *ac factis* inunctionibus, ex ol. Maſtichino, *roborata hoc modo parte, livor diſcuſſus eſt; remanente duntaxat, in ſummitate, particula quadam ſenſu privata, quatuor digitorum latitudine. Videns hunc profectum, primo Julii expurgavit corpus,* decem granis Antimonii, peculiari ſuo modo praeparati; *quo ſuperne & inferne evacuavit, per ſuperna quidem maximam humoris phlegmatici, nimis viſcoſi, copiam; per inferna vero acutiſſimos humores, nempe praſinam, vitellinam, porraceamque bilem, nonnulla cum conferentia ac virium tolerantia. Porro conceſſit continuo febris; tumor inſigniter decrevit; ſomnum recepit languens; & tandem omnia vel abolita, vel imminuta ſunt, ſymptomata. Et quoniam, a tumore ad pedem uſque, longe productum erat oedema, adhibita ſunt balnea, ex corroborantibus, & vim exſiccantem habentibus: quibus indies applicatis, ſenſim excuſſus eſt tumor; licet hic deinde recurrerit, humore aggregante plus juſto, partis tum propria imbecillitate, tum caloris inopia. His jam peractis, poſt tres dies a medicamento, particulam illam emortuam incepit ſegregare natura: qua re*

per-

*perſpecta, die Jovis, quarto Julii, ſuper necroſi prehenſas partes, impoſuit ignem artificialem quibuſdam inditum peſſulis; qui ignis, a Cl. Viro dictus per fomitem, repetitus, & inculcatus, per quinque dies mane & veſperi, donec deſtructa exſtiterit necroſis. Sublata eſchara, apparuit membrana carnoſa, multis partibus perforata; tumor vero grumoſo, & nigro, ſanguine plenus. Quo viſo die Martis, nono ſupradicti menſis, impoſuit ferramentum ignitum, latum, & deinde cauterium praegrande, itemque ignitum, circumquaque comburendo, & deſuper illinendo* larido loto, *dedit* Cataplaſma. *Die vero ſequenti, immiſit intro dicta ferrea inſtrumenta & alia deſuper duo, eductaque eſt plus ſanguinis libra, veſperi; deinde tandem* Cataplaſma *impoſuit: nocte autem exivit aliquantum ſanguinis pravi odoris. Mane Jovis, undecimo ejuſdem menſis, eadem candentia ferramenta, quae continenter exſtinguebantur, perinde ut in aquam conſecta; quibus cauteriis uſus quaternis, tum craſſis, tum latis, veſperi ſublato* Cataplaſmate, *extraxit grandi cochleari ſanguinis pluſquam duas libras. Mane vero ſequenti, iterum immiſit ſupradicta ferrea inſtrumenta ignita, continenter educto ſanguine grumoſo, ac fluido, graviterque olente: qui pravus odor in dies augebatur: veſperi autem, ejuſdem, ſic deſcripti ſanguinis eductae, cochleari, plures quam duae cum dimidia librae: tunc vero immiſit in latam lacunam pulveres corroſivos, id eſt,* chalcanthum rubrificutum, ſquamam viridis aeris, ſal Ammoniacum, & alumen ſciſſile: *deſuper vero immiſit* unguentum Aegyptiacum, & turundas, eodem Aegyptiaco illitas, *ſuperaddito* Cataplaſmate *concoctrice facultate excellente prius. Hoc modo medebatur vigenis, quaterniſque horis: interim extrahendo copiam immenſam corrupti ſanguinis* [*Tabe a Latinis dicti*] *intolerabilis prorſus foetoris, uſque ad decimum ſeptimum ſupradicti menſis. Tamen, decimo quarto die, forcipe, excidit fruſtum carnis cruentae, quam comparaſſes ſpongiae, pondere plus minus unius librae: poſtridie, eundem medicamenti uſum retinuit, verum id adhibuit parcius. Die vero Martis, decimo ſexto ejuſdem menſis, minime ſe madefecit pars ejuſmodi ſanguine; ſed viſa tantum putrida caro, apparueruntque funiculi, venarum, arteriarum, tendinum, & muſculorum, fibrae computrefactae, foetorem reddentes plane abominabilem; maxima parte extractae, non tam multam portionem, mane ſequenti, videns, voluit imponere mundificativum. Die vero Jovis, qui fuit octavus menſis praedicti, lota parte* vino, melle, aqua vini, ſale, atque Aegyptiaco, *quod adhibitum fuerat antea, poſt extractum nervum putrem, longitudine ſemipalmari, atque etiam carnem putridam, inventum eſt ulcus mundum: quam ob rem viſum eſt imponere mundificativum, & ſequenti die, qui fuit decimus nonus, ulcus totum apparuit repurgatum, & os denudatum, latitudine unius digiti, & longitudine ſemipalmari. In quam, verſus faciem, & in totam cavitatem, inſperſit* pulveres catagmaticos, *ſpiritu inſufflato per fiſtulam arundineam: quoniam autem cavitas erat vaſta, tam ubere copia filamentorum carptorum ex linteis, in turundas, ſe non ſuppeditante, juſſit ex* ſtuppa Lini *ſubtiliſſima has praeparari; cujus in qualibet medicatus requirebatur* ℔ß. *Deinde aucta carne ex* goſſipio *turundas parabat. Quod autem ad os attinet, ſic illud curare ſuetus: inſpergebat ſuper os* catagmaticum *modo memoratum* pulverem; *deinde ad hos, quoquoverſum diffundendos, modico aquae ardentis affuſo, poſtmodum aptabat turundas madentes vino medicato: atque haec diebus his, Solis & Lunae, h. e. vigeſimo, vigeſimo primo, & vigeſimo ſecundo. Die vero Martis, ſeu vigeſimo tertio, lavit ulcus,* aqua gurgitelli. *Oſſi medens, impoſuit, praeter ſupradicta,* ol. cerae rectificatum & unguentum de gummi Elemi, *in petiola, ad aequum commenſum oſſis, h. e. ſecundum longitudinem ejus, & latitudinem: turundis vero inducebatur* mundificativum

vum *conſtans ex* melle terebinthina, *ac pulveribus ante dictis. Ex priori vero mundificativo, addita pauca* farina hordei, *confectum eſt hoc* Cataplaſma, *impoſitumque ad partes exteras; quod medicamentum plurimum eduxit puris. Die vero vigeſimo quarto, obſervatum os aliquantulum nigricans; ſed caro, quia jam deterſa, rubidior, pleniorque ſinus; quare & minori turundarum apparatu deinde fuit opus: tunc impoſita eadem medicamenta; pariter, & die ſequenti. Die vero Veneris, qui fuit vigeſimus ſextus, quoniam ulcus abunde manabat ſanie, bis quotidie ſolvi neceſſum fuit; quae medendi ratio ad uſque ſecundum Auguſti ſervata eſt: & quia pes totus a ſummo genu, dolore nimio, premebatur, nervique apparebant ſub poplite convulſi, ſunt hi continuo remolliti & illiti,* oleo lumbricorum, *itemque* ol. cerae & terebinthinae & adipe Gallinae. *At vero, tertio Auguſti, immodica ſanie ulceris cogente, impoſitae ſunt turundae ſiccae, ex carptis filamentis linteorum mundorum, cum fruſtulis ſpongiarum; in abſtinentia contentus aeger. Hoc modo dolor ſupradictarum partium mulcitus eſt; in lavacrum vero additum* centaurium minus, *quo victus, & medicamentorum, uſu, continenter ulcus proficere viſum eſt, caroque recte ali. Die vero quarto & quinto menſis Auguſti, mane, appoſitae turundae madentes, memorato ſupra mundificativo: veſperi vero eaedem ſiccae imponebantur, nullo tamen tempore ſuo oſſis medicamento relicto; quod idem repertum, die ſexto, carne aliquantulum obductum; quae caro ſiccioribus nutrita medelis indies accreſcere coepit, ſinumque complere: uſque ad ſeptimum hujus, turundae impoſitae ſiccae. Quoniam vero die Jovis, octavo, fortaſſis aegrotantis errato, offenſum eſt ulcus nimiopere madens & caro defoedata; inſperſi ſunt pulveres conſueti, tum ſicca filamenta; mundificativum vero veſperi ſubditum, ejus diei: mane ſequenti idem prorſus modus; ſed os undequaque contectum carne praepurgata, & belle rubente, impoſitum* oleum cerae & terebinthinae *cum pulveribus ſupradictis: ſed & veſperi auctior puris modus, inde & dolor genu, tibiaeque, exacerbatus eſt. Ideoque ad exſiccandum tantum humorem decretum eſt, ut ter diu ſolveretur ulcus; quod & poſtridie factum. Veſperi tum, inventum eſt pus modice cruentum, ſimiliter & die decimo, mane, meridie, & veſperi; madefacta linamenta ſunt* aqua gurgitelli, *in qua decoctum fuerat* centaurium minus. *Die vero Lunae, gratiori colore repertum ulcus, dolor remiſſus & reliqua, de more, peracta. Die Martis, duodecimo Auguſti, abſterſum ulcus* Vino in quod immiſſi pulveres ſarcotici *ſupradicti*, ex quo Vino expreſſae turundae in ulcus injectae. *Retenta eſt haec medendi ratio, donec ad unguem repletum eſt ulcus, nihilque mali fuit reliquum, niſi quod oedema tibiae non abſtitit diu. Cui finiendo, ceteriſque cauſis foventibus ſubmovendis, menſe Octobris & Novembris, expurgatum corpus catharctico; propinataque longa* decocta Sarſaeparillae; *fotumque crus totum* vinaceis, *probataeque inunctiones adhibitae: quibus medicamentis bene ſe habuit, jamque rectus incedit, innixus aliquantulum humili baculo, abſque quo fultu, ſuo fruitur inceſſu etiam aliquando. Directori, ac Auctori, Deo laus & gratia in aevum eſto.*

## *Scholium.*

EX multis omnibus, quae venire cuiquam in mentem poſſunt, praecipuum eſt *Problema*, qui factum ſit, ut principio tumor hic cum pulſatione vehementiſſima conjunctus, poſtremo vero, exors illius fuerit? adeo, inquam, vehementem pulſum initio retinuit, ut ne dum manu, ſed oculis fuerit conſpicuus; ac ne dum quidem una particula, ſed & univerſo Tumoris corpore, praeterea, moleſtus adeo pulſus, ut etiam auditu perſtrepens aegrotanti miſero videretur ſerra ferrari, fu-

funibus praetenſis diſcerpi ac lancinari; quid, quod trepidi perpetuo adſtantes, ne, tantis pulſatoriis doloribus, ſuccumberet aegrotans: quare, faciei jam Hippocraticae homini aſſiduo adititere cuſtodes domeſtici, & ſacerdotes, piique viri; qui jam diſceſſuro praeforent in officiis memorandae vitae futurae. Ad haec, quod ſtragula triplicia ſuperiora excuſſu ſummo, inſtar manuum continenter attollentium, diducebantur ac ſublevebantur, noctuque, diuque. Denique quod ſit ſummum omnium, & confirmatio pleniſſima, atque certiſſima; Medici ex univerſa urbe praecipui, atque indies lectiſſimi, ad conſultationes acciti; hi quidem plumbeas deligationes, cum plumbea lamella; hi Comitiſſae inſcriptum ceratum Varignanae; hi embrochas adſtringentes; hi emplaſtra de pelle arietina, aliaque ad ramices & hernias celebria; hi denique aduſque nivis Nicolai praecepto neceſſario uſum dicebant compulſum; adminiſtrarunt. Iſtorum vero omnium hi continenter abſcedere; hi quam citiſſime ſeſe expedire; hi vix audire & parumper conſiſtere; hi cum proteſtatione mortis certiſſimae conſultare; hi refugere ab horrore & calumniae periculo; hi veſpillonibus hominem & libitinae devovere coeperunt. Fuit & famigeratiſſimus hercle Medicus, qui, viſo ſtatim caſu, piamen crucis, ut fit pro luce perpetua, tantum aegro praetulerit. Ita rem ſumme extremam certo crederent omnes; ita nil quidem fuit certius *Aneuriſmate*. Verumtamen, ipſe inſtans, & quid, dices, abolitus pulſus? nimirum hic *Aneuriſmatis* perpetuus & pathognomonicus eſt.

Hanc equidem ambiguitatem, ut diſſolvam, ante mihi praeſtruam aliqua, quae ſunt haec. Primum anteacta vita decumbentis laxa, nimis commeſſationibus, crapulae, Vini meri potationibus, & Veneri, dedita; intempeſtivae item corporis agitationes atque jactationes tum a prandio, tum a coena, quotidianae; quae res, ſcilicet una cum ſint cumulatae omnes, promptas potuerunt parere cruditates & ſuperfluitates. Porro cum plurima mihi ſe obtulerint *Aneuriſmata* viſenda, quae quidem αὐτόματα ſuaque ſponte obvenientia fuerunt, voracitatis atque adeo cruditatis, ſoboles, viſa ſunt omnia: quanquam, ut vere dicam, ſanguineam impuritatem & ὕλην, ſicut Galenus, ad Glauconem ſcribens, vocavit, agnoſcunt communem parentem. Ita etiam plerumque cachexia quidem omni, ſed praeſertim aevo noſtro Syphilia, proficiſcuntur. Sed haec obiter obrepſere, dum *cauſas externas* ſequor, quae Pagano noſtro vaſtum *Aneuriſma* peperere. Nunc autem *internas*; verum ex his, paucas & reconditas exponam, quae altius repetendae ſunt in hunc modum. Per Galenum, perque Anatomicos doctos, per ipſam Anatomen, & ἀνατόμην, conſtat, nonnullam eſſe venarum & arteriarum anaſtomoſin, i. e. utrarumque oſculorum communionem; quantum enim arteriae materia ſanguinis egent, ad ſpiritum colligendum & confingendum, tantundem venarum ſanguis opus habet, vivida luce, & actu perpetuo, ne corrumpatur, atque adſcito quodam nitore ac ſplendore fruatur: qui quidem uſus, quantum per inculpatum corporis ſtatum, atque integritatem, pulcher eſt & probatus, tantum, per ſiniſtram valetudinem, teter eorundem eſt abuſus & foeda labes. Porro, ſi copia multa, & inquinamentis multis impurus ſubeat ſanguis in arterias, tum inſuper labefactari vitales functiones, & conturbari ferme omnia, circa ternorum principiorum felices gubernatus: ad haec, ipſa vaſa arteriarum ample diſtracta, quae ſua ſponte diſſiliunt, laxanturque, ita ut vim ſolutionis experiantur.

Hoc in nobili Viro facile per antedictas cauſas advenire potuit. Quoniam igitur ſecundum femora, praecipue, dextrum agitabatur, atque exercitabantur hujus lateris partes, & haec vaſa ſubinde debilitari, ac laxari, maxime debuere; atque adeo arteria emenſo primo ramo iliaco, poſtquam cruralem init, hic debuit diduci

çi nimium & percelli; ſic ut *Aneuriſma* produceretur: quare in eductam jam cavitatem, irrepentes ubertim, & ample, ſpiritus, ſic ingentem palpitationem, & gravem pulſum, initio induxerunt; ut jam non miremur amplius, quod triplicia cubilis ſtragula, ac tegmina ſuperiora, diſſultu perpetuo, magnoque, ſpirituum, ſublevarentur; neque miremur etiam amplius afflictatione inquietum, ac turbatum, noſtrum aegrotantem.

Jam vero quod ſpectat ad abolitam ſub fine pulſationem, non fiet ſane mirabile, ſi perpenderis ac diſcreveris, ex magno quidem morbo pejora incrementa. Nempe arbitror, ex late diffluente intra vas ſanguine, & infinito ipſius diſſultu, quandoque, factam vel apertionem, vel emiſſionem, καὶ διαπίδησιν; per longos igitur menſes inhaerens extra ſanguis, qui computruit, Hippocratis doctrina; qui dixit, ſanguinem, in cavitatem quampiam extra venam fuſum neceſſario putreſcere; ſic ſecum computrefecit & arteriam; ſiquidem enim duriſſima praeroduntur adhaeſu putrido, quanto magis aut modice dura, aut nonnihil mollia, quale corpus arteriae dixeris? Habes nunc *Problematis* enodationem apertam: quippe ubi diſſoluta arteria fuit, diſſoluta fuit & pulſatio; ſubinde verum, quod diſſoluta & pene corrupta fuerit arteria; tum gangrenae Abſceſſu; tum eductis ſub ulceris funicule arteriarum; tum eadem ipſa pulſus privatione, dolorumque immanitate: quae omnia ſymptomata ſoboles fuere diſſultantis & verberantis, perpetim, arteriae.

Alterum nunc ſupereſt, quonam pacto, vel non ſecuta immenſa ſanguinis profuſio poſt exulcerationem, vel quomodo obductum fuerit jam diffractum arteriae vas? ſed omnes hos ſedare ſtrepitus argumentationum, vel uno licet objectu valentiſſimi ignis, quem & principio quidem, antequam aperietur Tumor, & poſtquam apertus eſt, quotidie inculcavimus: ad quod ignis beneficium omnia bona, i. e. primariam hominis & citam, uno menſe, libertatem recuperatam referas indubitato.

Porro quod incantamento, vel ope magica, tam inſuperabile malum ſuperaverimus (ut quidam noſtris ex aemulis dixerunt) tum ridiculum, tum invidentiae ore projectum, apparet: incantamenti certe vim, & magicam praeſtantiam, aemulatur & exaequat, rite recteque comparata, apte accommodata, & opportune adminiſtrata, vividi praeſidii, manuſque divinae, vis, quod ignem appellamus, energia: hujus quanta ſit virtus, amplitudo, & inter cuncta Medici adjumenta, majeſtas in opere pyrotechnia, fuſe ac plene per nos eſt credo demonſtratum.


Hactenus de *Problematum* enodatione, primo propoſitorum: reliquum eſſet nunc ſatisfacere nonnullorum ſubtilitati, qui quaerent, abſolvi ſe ambiguitate, ac perplexitate, binorum nominum aut appellationum, in unum veluti coalitum, quod huic vitio adſcripſimus, tum *Aneuriſmatis*, tum *Abſceſſus ſanguiflui!* ſed hanc difficultatem, ſi perſpexeris acute, nullam & vanam feceris ipſe: ſiquidem *Aneuriſma* protogenitum eſt vitium; *Abſceſſus* vero *ſanguifluus* δευτερότοκος: vel *Aneuriſma*, dum pulſatio perſiſtit, & dum ex arteria facta non fuit effuſio, revomituſque, ſanguinis; *Abſceſſus* vero *ſanguifluus*, poſtquam illa humoris facta eſt effuſio, exundatioque: porro, factam affectionem utramque quid vetat? utrumque vero quis negat? *Aneuriſma*, cum prae ſe tulerit tam grandem, tamque doloriferum, palpitatum; *Abſceſſuum ſanguifluum*, cujus humoris tam multa copia per cochlearia multis diebus exhauſerimus. At de re iſta jam ſatis.

Alii Caſus demonſtratu digni.

1. Subpuncto temere *Aneuriſmate* thoracis a Presbytero, Medicum ſe profitente, haud multo poſt tempore defunctus homo. Chirurgus vero inſolens, expulſore nullo, ſponte de urbe tota in poſterum exulavit. 2. *Aneu-*



ad Pag: 127.



2. *Aneurismatis* vi, sub poplite abditi, mortuus est misere sutor quidam calcearius.

3. *Aneurismate* ad sternum, Syphylia cachexia, producto, commortuus alius.

4. *Aneurismate*, a prava phlebotome, praereptus Calaber quidam.

5. Micat *Aneurisma* perpetuo, ab perversa phlebotome productum, Religiosissimo P. Puderico, Jesuitae, sub cavum brachii dextri; cujus pulsu, ac distensione, productum alterum *Aneurisma* minus; sub vas cephalicum.

6. Jurisperitus Gallipolita factus gibbus est, *Aneurismate* sub medio sterno, per se ipsum discusso, sive fortassis abducto; quod ovo majus non erat.

7. Ceterum, fuit & qui internum expertus, Aloysius Loapane, Burgundus, arteria coeliaca, ut locus pulsatione perpetua tortus indicare videbatur, dilatata. Inde periodicos hebdomadis dolores acerrimos, nec alio, quam, *nepenthe Quercetani*, placabiles, perpeti suetus; itemque vigilias; anorexiam: atrophia denique, & lenta tabe, mortuus est, in Valetudinario incurabilium phthisicis dicato; quod in Pompejano prope Taebias, a Galeno memoratas, colitur. Creditur homo miser incurrisse malum, a voracitate, & meracitate, inaudita; consuetus ad sitim venandam, & ad vanam ostentationem, vorare vasculorum, ex rubra argilla tornatorum, fragmenta.

8. Curatus autem ab ejusdem arteriae pulsatione molesta, verum non consummata affectione, Carolus Nenna, Joannis Doriati Corregi auriga fuit; qui quantum mero, & esca immodica, primum se compleverat ad morbum excitandum, tantumdem etiam, abstinentiae Cereris & Bacchi parcitate longa, ad se restituendum, usus est, me hortatore.

Sed istos omnes facile superat casus Hispani cujusdam, gracili, adustoque habitu, hominis; cui brachium usque ad summum humerum & anteriorem thoracis partem, quae ad alas spectat, tam nimium extumuerat, tam ample distentum fuerat, ut confectus dolore perierit; cujus turgoris immanitatem videre Medici, & Chirurgi, omnes Sacri Incurabilium domicilii, & ad hunc locum proxime habitans, Bernardus de Magistris, Medicus, & Astronomus, non vulgaris. Qui Tumor sic nobis opificum manu repraesentatus est.

## CAP. VIII.

### *De Gangraenode Abscessu.*

NE me quis putet ineptire, qui, privatis a me propositis *selectis Abscessibus*, vulgatae nunc cognitionis aliquem interseram, qui *Gangraenodes* est. Equidem longe diversam gangraenae generationem, ac modum, pono, quam plerisque visa videntur. Hanc primus deprehendisse, disertisque verbis exposuisse, creditus a nonnullis est Hieron. Fabricius, qui (licet hunc etiam Fallopius attigit) *lib. de tumor. praet. nat. 2. partis chirurgicorum operum*, primo *Gangraenam* posuit ex influxu, id est, ex humoribus quibusdam venenosis, ad partem aliquam allapsis; qui calidum ejusdem nativum extinguunt, & membrum in mortem praecipitant (id quod in febre continua maligna, & pestilenti fit) & cum dolore gravissimo, & pustula quadam, sub qua est macula nigra, extremis ut plurimum partibus, ut pote pedis pollice, ad usque tibiam & totam coxam, brevi transcurrit.

Alium ego *Gangraenae* modum agnosco, ex Abscessu, inquam, & corruptione subjectarum quarumlibet partium solidarum; puta ossis, cartilaginum, chordarum. Et ex osse quidem male habito credo fuisse, quam Illustri viro Domino

Ari-

Arithmanno Pignono, Marchionis Oriolenſium fratri germano, curavi, ſecundum totam tibiam ſiniſtram ex talo progreſſam. Ab oſſe, inquam, progreſſam opinor; tum quod perpetuis podagrae incurſibus ſubditus fuit hic Vir, tum quod confeſtim, & a principio, ſe prodidit alienatum os utrumque; quapropter, non multo poſt tempore, neceſſum fuit totam exſecari ſerra tibiam, & mutilari; ex quo affectu ſeptuagenarium, & ſupra hominem evaſiſſe ſoſpitem, mirum etiam atque etiam fuit. Favet autem mihi non parum Ambroſius Paraeus, qui *chirurgicorum operum ſuorum lib.* 11. *c.* 12. profeſſus eſt, in *gangraenis* humorum influxibus interdum oſſa primum imbui, atque ab his inflammationis initium habere; quamquam aliter eruditiſſimo viro Collegae meo, Mario Schipano, viſum eſt; qui credidit ex venenato humoris, qui per febrem invaluerat, influxu profectum marcorem. Utcunque apparet *Gangraenam* fuiſſe ab influxu; res, quae parum eſt adverſa noſtris hominibus, qui *Gangraenas* omnes faciunt ſolum a partis inflammatione conſequentes.

Sed & aliud in hoc argumento aperiam; rem quidem, quam a me frequentiſſime in Noſodochio Incurabilium obſervatam novere plerique docti, qui me nova quaedam adminiſtrantem perſaepe viſerunt: *Gangraenas, & cum necroſi Abſceſſus, lente acceſſiſſe atque exſtitiſſe, ob vitiatos infra tendines ac nervos; qui antipathia quadam, & occulta humoris proprietate potius, & prius quam carnes, aut muſculi fuerint obſeſſi.*

## CAP. IX.

### *De certis partium Abſceſſibus.*

HAc jam majorum, & genere vagantium, Abſceſſuum expoſita ſerie, deinceps alios partibus definitos, & circumſcriptos enarremus; ſed ita, ut brevitate quidem legentes alliciamus, varietatis vero, & novitatis gratia recreemus. Quis autem perbrevis inſpectus pretio, placituras raritate ac lepore narratiunculas non coemerit?

### §. I.

### *De ventricoſis Abſceſſibus.*

TUmor mammae ventricoſus adeo, ut anguriam aut melopeponem, quam maxime fieri poteſt, mole adaequaret, ejuſdemque formam repraeſentaret, obſervatus a me eſt, in Sanctimoniali Templi ſplendoris foeminae, vetula, cognomento de Georgio.

### §. II.

### *De Hydrocephalo.*

ESt *Hydrocephalon* puerorum quidem affectus proprius; ſed non ſic, ut grandes aetate non tentet quoque. Hippocrates enim, *lib.* 2. *de morb.* nulla aetatis diſtinctione, & ſi qua eſt illa in viris maxime propoſita, ejus morbi meminit. Quanquam non admittit facile hoc in viris Pet. Salius, ob ſolidam ligamentorum oſſeorum firmitudinem. Quod ſi tamen eveniat, ex malefacta vinculorum materia, ſuc-

ad Pag: 128.





ſuccubiturum ante hominem credit, quam iſtiuſmodi ſuturarum hiatum paſſurum. Nihilominus Hier. Montuus, in *puerorum pragmatia* meminit, opifici fumario caput auctum ad tantam magnitudinem, ut cum naſo facies occultaretur; cui ſimile *hydrocephalum* mihi viſum eſt hoc.

Hydrope extumeſcens monſtroſe caput obſervare licuit, Anno 1600. in filiolo Magnificae lectiſſimaeque foeminae Claricis Caraphae, nonum jam menſem nato: cui a quinto natalium menſe coepit inire tumor; qui poſtmodum auctus eſt adeo, ut circumductus funiculus non brevior eſſet, quam duorum palmorum, & quinque digitorum tranſverſorum, communis menſurae. Creditus a me tumor eſt cerebri intercapedinis, multa humorum copia turgentis ita, ut commiſſuras omnes oſſium, & frontis medii aperta vacuitate teneret ample diſtractas, & circa inferiora diſtentum convulſumque crus dexterum. Revulſi ad obtutum inferiorem oculi, ex ulcuſculis vero in capite ſpontaneis, ad denudationem uſque oſſis, cutis diffiſa, quae ipſa capiti praetenuis, nulla extrinſecus mollitudine. Lapſi ſponte aliquot dentes, quos ab uteri clauſtris tulerat. Ad poſtrema morbi tempora non ſugenti lac infundebatur ex cochleari. Infans hebes, & ſopitus fere perpetuo, nil unquam obſtrepens, aut ore ſignificans, morbo ſuccubuit non multis ab extreme aucto ipſo diebus; cujus Imaginem hanc mihi Pictores opifices excudere voluere.

His ſimiles Hiſtoria ſcriptis mandarunt Albucaſis, 4. *chir. c.* 2. *F.* & Razes, *in l. de morb. puer. c* 3. & Philippus Ingraſſias, *l. de tumor. praet. nat. pag.* 380. Qui retulit de puero quodam bimulo, cui per *Hydrocephalon* ſuperiores omnes, & legitimae ſuturae, praeter unam lamboidem, quae parum hiabat, ita erant diductae, ut aqua incumbens cerebro diaphanam per cutem appareret.

*Hydrocephalus* etiam ſummae magnitudinis, qui viginti quatuor libras noſtrates, certa ſectionis fide, contineret aquae, deſcriptus eſt a Guilielmo Fabricio Hildano, *cent. chirurg. l.* 1. *obſerv.* 10. *Edit. Baſileae, editae Anno* 1606. In qua ſua obſervatione, cum pleraque digna *Problemata* non enodarit, Vir alioquin eruditus, enucleabimus haec nos libenter.

Quod e robuſtiſſimis parentibus ortus puer hic, languido capite prodierit, referendum eo eſt, quod duro homines corpore, & hac ipſa firmitatis fiducia, arbitrario & prompto qualicunque victu, & potu, quantocunque uſi, vim ſuperfluitatum inſolentem congerunt; ſic obſervatum eſt mihi plerumque ex ſanis & praefarctis parentibus, morboſos ac tenues obortos fuiſſe filios.

Se quod non profectus utero *Hydrocephalus*, verum jam ſeptimeſtri puero iniit malum, eam cauſam puta; quod ſub materni clauſtri foco, fomentis vegetior pueri calor noxam praeterfugere potis erat, inde elapſus eam vim amittere, & cauſſis ſe ſubjicere morbiferis jam paratis lente aſſuevit.

His vero ſeptimo ſe menſe ſubdidit, quod judicationibus aptum eſt tempus, & prope fatale.

Quod integris jam viſceribus reliquum corpus non alebatur, non mirandum fortaſſe propterea, quod ſimilares noxae non apparent, bene ſe habentibus alioquin organicis.

Nullo id progreſſo morbo factum, admitto, quin imo ſi variolae & morbili, exanthemata denique alia praeceſſiſſent, praecurriſſet utique malum, & hunc morbum miſer non incurriſſet puer.

In lethargum incidit non incongrue ſapientibus, nimirum aquis, quae ſtagnantes, trigeſimo jam menſe ſulphuream anathymiaſin & narcoſin inducere debuerunt.

Mature e lethargo deceſſit, quod & veternus minatus videre potuit, lethaliter jam preſſis omnibus cerebri receptaculis.

Aqua cryſtallo clarior parti, videlicet conſona ſale cerebri reſoluto, ut chymiatri volunt; & ex his maximus Joannes Petrus Faber, *in Chirurgia ſpagyrica*, ubi de *Oedematis*.

Cerebri corpus diſtendebatur aquoſa colluvie; propterea quod ſpongiforme & glanduliforme videtur, ὃ ἐγκεφάλου ſubſtantia; non ita parencephalon, quod ſiccius, durius, denſius, ſolidius, id eſt, minus, cavum atque adeo crebris aut axis futurarum hiatibus, aut oſſium rarite aut tenuitate patulum; idcirco *pſeudocephalon*, ut *parencephalon* aeque dicetur me auctore: quare &, auctore Hippocrate, partem anticam capitis plus continere cerebri dictum, quaſi ipſa vere contineat cerebrum, non ita vere poſtica.

Anfractus autem & gyri, ſeu ſpirae cerebri, nullae apparebant; quippe quae nimiopere propter diſtendentem copia humorem explicatae; quo referri poteſt, ſpirarum iſtarum cauſam, haud ſolo uſu eſſe venarum & arteriarum commode applicandarum, ut omnes Anatomici voluere; verum cauſas adhuc reſtare materiam, effectorem, & formam: materiam inquam diſſimilem ſibi ipſi, quando ſepti lucidi, calloſi corporis & intercolumnii denſior, preſſior & compactior; rarior vero, laxior, & ſolutior, ſpiralis cerebri circumductus: in quas binas materias & formas adaptavit ſe biſariam effector, ita plicatilis is fabrefactus diſcuſſus eſt, facile explicante hydero cerebrum.

Craſſa tenuiſque membrana intaminata propterea, quod incumbens aqua intermixta & ſalſa nonnulla parte, ut ſalſa ſunt omnia excrementa hominis, & foetus praeſertim novelli; utpote, quae ſal concoctorum omnium ammoniacum eluerunt, ac ſecum abſtraxerunt.

Cranium adhuc membranoſum non oſſeum; quippe quod humore multo circumfuſo, nequiverat addenſari; in pueris ſiquidem omnibus calvariae cartilagineae magis quam oſſeae videntur.

Tertius ventriculus cum reliquis anterioribus confuſus non apparebat, eadem diſtentus vi & inſolentia.

In quarto ſinu concrementum viſcidius & parcius, eadem qua dixi, partis poſticae natura exſucca.

Corpus inferum gracile ac praetenue videbatur, nulla exiſtente labe viſcerum interiorum; abſumpto ſcilicet & rapto in ſuperioribus alimento; vel quemadmodum, abunde diſtento ſplene, caetera membra contabeſcant. Ea ſcilicet eſt oeconomiae corporis communitas, ut uno laeſo viſcere praecipuo, belle valere nequeat caeterum corpus.

Brachia, femora, crura, etſi relicta mobilia, convelli ſueta; difficile fit id, quod cerebellum & poſtica pars cerebri bene ſe habeant; verumtamen & ſine labefacta ſecundum ſuam ſtructuram, nihilominus quia neceſſe fiebat, ut comprimerentur haec, unde convulſionis anſam capiebant.

Caeterum febris & dolor nullus: hebetudine & longinquo reductu cerebri.

Ad hunc quidem modum evenerunt ſingula congruenter, licet tamen nimium incongruus eſſet ſtatus naturae.

## §. III.

### *De Turgore fervido, laxoque, capitis & faciei.*

NOnnullis, aut ſecundum faciem, aut ſecundum caput ſuperius, qua circumſepit capillus, accidit *tumor nunc accenſus, nunc laxus*, quem vulgus hominum, & Medicorum *Eryſipelam* appellare conſuevit. Quam haud ſatis video num

*Ery-*

*Eryſipela* ſit, multa enim id opinari diſſuadent: nam plerumque foeminis accidit id vitium, & his maxime pituitoſis, mollibus, & inertibus; deinde cum color non flammeus, ſed laxitas, & ceſſilis digitorum impreſſio tumori ſit; quid non *Oedema* magis, quam *Eryſipela*, vocitetur? Si memoraveris adſcenſum ad ſuperiora humoris, qui propterea levis & bilioſus judicandus appareat: occurram equidem dicens; fieri poſſe etiam, ut illud eveniat, quia caput omnium maxime partium ad defluxus patulum, & debiliſſimum, eſt: quare ad hanc partem, veluti ad minime reſiſtentem, prompte collimat expultrix irritata morbo facultas. Verum enim vero illud, quod certe judico, ſunt aliquando cum bile commixti ſimul, & alii ſuccorum ichores omnes; quorum coacervatu, & violento raptu ad caput, hoc aliquando turgere vidi ſic undique, quibuſdam decumbentibus in noſtri Valetudinarii lectis, ut ſupercilia quidem occultarentur; oculorum vero palpebrae conniventes vix aperiri poſſent; qui quidem Abſceſſus interdum per ſe diſcuſſi, interdum in ſuppurationem abiere: ita falſum apparet *Eryſipelam* hanc eſſe vere, quam dicunt. Confirmat autem & remedii utilitas, etenim provide anticipata foeminis venae ſectio tumorem praevertit: ut in uxore Antonii Operarii, Typographi, compertum eſt, & in Parthenophylacii Spiritus Sancti, virginibus foeminis, natu grandibus pleriſque.

## §. IV.

### *De Exoſtoſi.*

EST *Exoſtoſis*, definitore Galen. *in lib. de tumor. praet. nat. c. 5. Cujuſpiam oſſis eminentia intrinſecus a melancholica ſuperfluitate profecta.* Viſitur autem, eodem Auctore, in his, qui Elephantiaſi laborant ſecundum utraque tempora, genaſve, conſpicua, *Dionyſiſci* appellati, qua ſcilicet Satyri, quibus elephantici aequiparantur, cornua exporrigunt. Sed & aliis abſolute hominibus, quibuſque partibus obſervati ſunt a nobis ejuſmodi oſſis exceſſus: in jumentis omnibus multo frequenriſſime viſi, quos veterinarii *ſoproſſo*, quaſi ſuper oſſa factos, acceſſus dicere conſuevere. Primum hoc ego genus incrementi vidi, tetigique, veluti clivum exſtare in medio fronte filiae natu maximae Viri ſpectabilis Aloyſi Saggi. Geſtavi autem & ego, ſecundum infimos utroſque cubitos, diu, perpetuo dum his inniterer, incommodantes: qui poſt aliquot annos nullo remedio ſunt diſcuſſi: id quod, & memoratae modo puellae eveniſſe audio. Porro ſunt hi nullius interdum praegreſſi morbi ſoboles: caeterum enim, lue Venerea confectis hominibus ſunt plane frequentiſſimi, capite, fronte, pectore, brachiis, manibus, tibiis, pedibus, & reliquis pauca carne munitis oſſibus. Solent autem *contagioſe exoſtoſes*, cum plurimum putredinis fermentum incitat, in ulcus, & manationem, abire: cum pleraeque maneant etiam infractae, & quantum quidem Abſceſſus immunes, tantundem etiam perdolentes.

## §. V.

### *Hordeoli nova obſervata materia.*

ET *Hordeolum*, tenue Tuberculum, ſua ſervat recte medendi laudis argumenta. Veteres quidem, & in hujus cauſa continente dignoſcenda, & in curatione tradenda, haud ſatis, quantum debebatur, praeſtitiſſe videntur. Nempe curatio,

quam ipſi ex panis, & cerae, calentium fomento probant, tametſi multum commoda videatur, tamen infrugiferam; & minus felicem uſu ſe prodit. Materia vero creditus eſt humor glaſteus, & concrementum durum atque ſcirrhode, quale ipſum vere non eſt. Quippe nos unica punctione & curandi virtutem, & cauſae notitiam, veraciter affecuti ſumus. Namque ſubpungentes interiorem inverſam palpebram, & materiam continenter expreſſimus; quae caruncula inutilis cerebri forma viſa eſt, & oculum non ſemel iſtiuſmodi opera liberavimus. Primus, quem ad hunc modum curaſſe obtigit, fuit Leonardus Cyminus, chemicarum rerum non indiligens adminiſtrator, & noſter quondam in chirurgia auditor. Secundus, Salvator a Creſcentio, Scriba Regiae, quam dicunt, Cancellariae ordinarius. Tertia, Franciſcana minor Sodalis Sacri Incurabilium templi; atque alii quam plurimi, quos adnotare neceſſarium non eſt. Verum enim vero, credidi quidem hactenus nemini priorum tractatam hanc curandi rationem; cum legi nuper, tum apud Alfarabium *tract.* 4. *pract. c.* 8. tum apud Meſueum *lib.* 2. *Grabadin*, eandem ex amuſſim deſcriptam: quod, & purgandarum aſſertionum noſtrarum, & confirmandae adminiſtrationis chirurgicae gratia, dictum volui.

## §. VI.

### *De Miliolo, exterioris palpebrae Tuberculo.*

SI profitear ingenue, quod ſentiam; equidem ignoro, num vel Antiqui ſcriptores Medici meminerint, etſi cognorint; vel noſtri cognorint, licet non meminerint, *Tuberculi cujuſdam exigui in clivo palpebrae ciliari naſcentis, & ſe cum pilis oblique proferentis; quod magnitudine, duritieque, milii ſementulam refert; ſi tantummodo ſtavum hujus colorem in exquiſitum alborem intelligas mutatum.* Ex qua ſane ſimilitudine κεγχρίδιον *Miliolum*, ſeu *Miliolum* hordeoli modo placuit appellare. Ovo autem tenuiſſimo formicarum facile comparaſſem; niſi quod corticulam duriorem, ac ferme corneolam huic Tuberculo adverti; uſque adeo, ut medicamentis acerrimis, id eſt, liquidis cauſticis tentatum nullam vel tactus, vel coloris, mutationem ſenſerit. Itaque pinnae galli Africani cuſpide acuto, cujus identidem pluma medicamento tincta prius uſus fueram, putamen vix ad ſecundum, vel tertium ictum penetravi; eduxique molliculam chartae bombycinae madidae ſimilem portiunculam. Fuit autem is, in quo primum rem expertus fui, mirae indolis puer Antonius Florillus, Jacobi filius, qui, per auſtrinum anni ſtatum, *chemoſis* vix dum elapſae reliquias eodem oculo prae ſe ferebat.

## §. VII.

### *De Varicula oculi.*

REm plane novam, & a nullo priorum hactenus adverſam, a me vero non ſine animi voluptate pridem compertam, adnotabo, frugiferam alioquin auditu noſtris rei medicae candidatis. Oculi portio candida, quam adnatam tunicam nominavere majores, venulis alitur ſic exilibus, ut ſint inadſpectabiles, atque inter omnes univerſo corpore minimae; quae tamen conſpicue redduntur morbo, id eſt, inflammatione, qua turgeſcunt. Haec autem ſublevamenti ſpecies, quae ſaepe viſitur, non eſt amplior, quam muliebris capilli magnitudine in ophthalmia, in chemoſi, in ungula, & pterygio. Et hae quidem cum affectu rubro venarum ſunt *exaltationes* Medicorum, vulgo cognitae. Cae-

Caeterum citra inflammationem agnatae tunicae, vehementer ab Iridis terminis extumescentes vidi venas, non vividi quidem, & rubelli, sed atri sanguinis distentione; quas sic primum notatas *Variculas* nominavi, atque habui; procreatas ac visas perpetuo mea quidem observatione, in hominibus sanguine crassiore redundantibus, qualis unus fuit, in Valetudinario nostro, decumbens homo Romanus, cui Antonio de Joanne nomen; quem cum Adamo Marchio, Medicophysico vigilantissimo, & aliis hospitalis ejusdem domus Chirurgis observavimus. Est & ex hoc ordine Franciscus Caesarius Neapolitanus, qui ex hoc vitio, levibus primum initiis in magnos accessus, incurrit tandem oculi Proptosin inemendabilem.

Didicisti nunc, siquidem attentas aures adhibuisti; ex hoc genere *Varicularum*, si negligenter aut perperam curentur, graviora mala proficisci: quae si praevertere primum volueris, dicam equidem, quid faciendum sit. Atque illud est, ut hasce venulas, quae maxime exporriguntur, (est autem, qua gibberum tollunt torumque induerunt) provisa primum universitate corporis, acu aurea, vel argentea, pupugeris; sanguinemque redundantem detraxeris; mox, quae reprimunt medicamenta seu fluida, seu solida, ad coaequandum adhibueris: extrinsecus vero, si sit opus, lamella plumbea, tum diu, tum noctu, sed noctu potissime continenda est.

## §. VIII.

### *De Haemorrhoidis narium.*

*Haemorrhoidas narium* Arabes primi nominaverunt, eo consilio, sicut adnotavit Jo. Costaeus *in Avicen.* quod caecarum instar haemorrhoidum lateat hic tumor. At Alexander Benedictus *l.* 5. *de morb. c.* 10. sic dictas interpretatur, quod statuto tempore sanguinem evomant & eructent. Mihi potius sic appellatae videntur; quod varicosas sedis venas referant, e naribus infimis oblique gibboden carunculam exerentes. Has quidem cum *Polypo* plerique confundunt, nullum inter hos discrimen agnoscentes: at vero nonnullum interest. Siquidem majoris molis, ac malignioris naturae vitium, apparet Polypus; utpote, qui latioribus atque altioribus radicibus nixus, longis intervallis externe atque interne excrescit, pleniluniis praesertim, austro euroque flantibus, incommodus. Ad haec cartilaginea prope duritie Polypus est. *Haemorroides* vero, eodem Alexandro auctore, Carunculae sunt quaedam similes mulierum papillis, haeque narium imis partibus, quae carnosissimae sunt, cohaerent. Audiendus ergo Gabriel Fallopius non est, qui coloribus tantum distare Tumores istos ait. Rectius vero Petrus Bayrus, qui *lib.* 5. *practicae c.* 3. discretis utrisque vitiis, aperte posuit *Haemorroidas* carnes molles; quanquam interdum adeo excrescant, ut multum pendeant extra nares: *Polypum* vero carnem habere praeduram, & polypo pisci similem dixit. Quid, quod difficillimus tractatu Polypus est, *Haemorrhoides* vero (quantum experimentum ostendit mihi) faciliores, cedentioresque sunt. Porro solum concisae, sanguine multo effuso, deletae sunt semel Franciscanae Minori Sacri Incurabilium templi: quam rem novere Franciscus Romanus, Chirurgus, qui rem ad me delegaverat, ac Scipio Aversanus, ordinarius ejus Coenobii phlebotomus.

## §. IX.

### *De miris duobus faucium & palati Abſceſſibus.*

*Faucium Abſceſſus*, loci importunitate & anguſtia, terrifici, & verendi ſunt omnes; quorum ego graviſſimos & memoratu digniſſimos comperi duos. Alter, qui tubere inaequali ab hac parte, & ad nares, protendebatur; latus autem ad longa tempora nullo cum incommodo; diruptus excreatu ſanguineum excluſit teres, & oblongum hirudinis modo concrementum, quam Hippocratis *bdellam* opinatus, oſtendi Schipano, qui meam ad ſententiam non illibenter acceſſit. Ipſe autem aliquando monſtraverat ejectos cum urina curculiones. Fuit autem is, de quo loquor, puberis tum aetatis filius, ni fallor, Procuratoris, quem dicunt, Fiſcalis. Sed mirabiliorem alteram audi hiſtoriam!

Villicus adoleſcens, ex frequenti & diu producta ſubdialis frigidique aeris uſura, provocato viſcidae pituitae deſtillatu, ſentiit ſibi primum neſcio quid ad palati forulum adhaereſcere: quod aliquot poſt diebus in Tuberculi formam ſe prodidit, atque ex majoribus indies incrementis, ad eam magnitudinem tandem excrevit; ut totas homini fauces opplens, nedum firmioris alimenti traductum, ſed etiam potum, inſpiratumque, praecluderet: renixu duro, colore carneo, variis aliquot plicamentis in ambitu excurrentibus praeruptum. *Decoctum Sarſaeparillae* diu potum nil profecerat, ac neque buccatus & gargariſmata varia, diſcuſſoriis multis ſuccis roborata, cum depoſita propemodum ſpe ſalutis, ad Incurabilium morborum hoc ſacrum aſylum translatus eſt. Cui Tuberculo extenuando cuncta noſtri medentes experti nil frugis attulere: cum ego re inſpecta nova & inſolenti, praefocatum hominem iri certo cognoſcens, collegis meis, laryngotomiam non dubitavi proponere; qua ſola velut ſacra anchora tam miſerandae ſortis exitio poſſet occurri: addens, ſi periculoſum & audax id auxilii videretur, hos demum eſſe caſus, quibus ope dubia foret ſuccurrendum. Nam ſi res ceſſerit, opitulatus utique fueris; ſin minus, eveniet id, quod futurum erat, id eſt, interitus. Quod fere oraculum ad hydropis paracenteſin amplectendam enunciaverat Hipp. *l. de loc. in homine*. Praeterea proditum eſt, temerariis ac fortuitis percuſſionum caſibus, inſanabilia mala multa ſublata: quid igitur a magiſtra manu faciant ſecturae certis rebus, omnibus ac modis, accurate proviſis?

Haec & alia tum ego. Quae noſtra ſuaſio, quid dicam, ut admiſſa approbatave fuerit; quando ſit in promptu Medicis omnibus hujuſce ſeculi non uſitatas, & obſoletas, operas quaſque refellere: neque enim quadraginta, aut ſupra ſcriptorum auctoritas, aut omnis ratio, quos ego tum memoravi, atque ex ſermone proprio de laryngotomia ſingulos citavi, quidquam operata ſunt; quid autem operarentur inter homines, qui neque experiendi cupidine, neque rerum viriliter gerendarum gloria, moventur ac ne tanguntur quidem. Itaque, denegatis vitalis aurae fomentis, fato functus eſt miſer homo: quo ſtigente mox corpore in anatomicam inſpectionem vocato, praeſectum Tuberculum oſtracinum intro repertum eſt totum, cum aliquo particulae conformatu, & quarundam quaſi alarum, & roſtri diſcretu. Itaque non inepte a pleriſque adſtantibus, & a nobis ipſis aequiparatum eſt Teſtudini terreſtri parvulae.

Sed ante hanc Tuberis exciſionem, experimentum, quod fecimus, laryngotomiae narrabo. Diſſecta enim primum cute, ſecundum longitudinem corporis, ex hoc aditu facto reſoluta tranſverſim trachea, qua bronchia per ſynchondroſin conjunguntur; confertim & ſubito viſus eſt humor prodiiſſe cum ſpuma, audituſque fra-

fragor ſpiritus veluti diſſilientis ab anguſto concluſoque loco. Qua re ſic plane cognita, docti Viri praeſentes plerique, qui viſum advenerant, cenſuerunt valde probabile, ut viventi ad jam prorogandam ſpiritus uſuram, ejuſmodi pertuſio ſubventura ſingulariter fuiſſet. Quod autem magis erat optandum, nunc vero tantundem dolendum eſt; fortaſſe quotidianis epidemicae anginae caſibus conclamatis, eo exemplo, Medici noſtrates animati didiciſſent aliquando ſuccurrere!

Sed hujus ejuſdem hominis viſceribus exſectis, quae offenderimus utile fuerit etiam enarrare. Reperta dextera cordis auricula durior, & cartilaginea, plurimo atro ſanguine diſtenta ſic ut, pugni magnitudinem aequaſſet: quae diſſecta neque reſedit, aut repreſſa eſt, ſed eodem modo fornicata peritit, velut obfirmata huic ſtatui, & velut tigillis affabricata. Siniſtra quoque auricula nil a priore varians. Inteſtina fibris quibuſdam veluti laciniis aut appendiculis diſtincta luteis, quas & in hominis ſuſpenſi cadavere ſecto per nos, Anno 1630. plenis hominum ſpectaculis, obſervavimus.

## §. X.

### *De Strumis mammarum.*

DUros quatuor Affectus, ac Tumores, incurrunt mammae; Glandularum, Strumarum, Scirrhi, Cancri. Sed hic quidem ex aduſtis perpetuo gignitur ſuccis: quam ob cauſam, & teterrimus ipſe eſt, & graviſſimis ſymptomatis torquet. Reliqui omnes, ut non ex aduſtis humoribus proficiſcantur; ſic longe minus infeſti ſunt. Has ob res, ut hoc utrumque genus facillimi diſcretus eſt; ita difficilius aliquanto caeteri diſtinguuntur: ſed Scirrhus totum frequentius mammae corpus occupans, immobilis eſt propemodum. *Strumae*, Glandulaeque, neque totum mammae corpus occupant, neque immobiles ſunt, ſed praehenſae digitis, huc illucque diſtrahi poſſunt. Difficile autem Glandulis & *Strumis* diſcrimen poni: ac multi facile confuderint utrumque nomen propterea, quod oſtenderit Galenus *Strumam eſſe Scirrhum in Glandula*. Glandula autem quid ſit, niſi induratum quaſi ſcirrhode Tuberculum plane non invenies, apud eundem Virum ubilibet. Nihilominus apud Aetium, e poſterioribus Graecis memini ſecundum, *Tetrab.* 4. *ſerm.* 2. c. 5. leges accedere aliquid ad *Strumas* Glandulas.

Ad omnem modum deteriores ſunt plane *Strumae*, ac difficiliores contumacioreſque Glandulis; imo quae longos in annos natura, & medicamentis, inexcuſſae manent; quanquam autem per dierum intervalla rarum & momentaneum excitant dolorem: caeterum immutationem nullam doloris, aut tactus, inferunt. Itaque falluntur egregie, neque defendi poſſunt hi, qui affectum ejuſmodi ſub mammis, Cancrum arbitrantur inſanabilem, & curatione tantummodo fucata tractandum volunt. Porro cum non haereat quanquam ſubjectae carni, concolor ſit, veniſque turgentibus ſeptus non variſeſcat, Cancrum niſi quis ineruditus non dixerit. Itaque cum ejuſmodi Tubercula mihi ſe offerunt, extrahenda ſtatim propono, ne vitii mora negotium poſthaec incurabile faceſſant. Nimirum poteſt Scirrhus in laxa parte, fracto ſuccorum acriorum cumulo, in affinem Cancrum faceſſere. Meminit autem horum, a ſe curatorum, Amatus Luſitanus *Cur.* 32. *cent. tertiae*, & Jo. Schenckius, *in obſerv. l.* 2. *tit. de mammis pag.* 336. Fortaſſe autem haec & Megetis antiqui Chirurgici *Struma* eſt; de qua Celſus, *lib.* 5. *c.* 28. In mammis quoque foeminarum *Strumas* ſe reperiſſe, Chirurgicus Meges auctor eſt. De hac etiam Ludovicus Mercatus; exſcindendae, extrahendaeque, ratione hac tradita *l.*

1. c. 17. p. 137. Qui *Struma* ſubeſt, particulam digitis utrinque comprehenſam acu filum ducente ſubtus quidem primum tranſues, mox fili capitibus utrimque cum *Struma* ſequente attractis; hanc adacto ſcalpro ſecundum ſuas radices exſecabis, nulla ſui parte relicta membranula, quae Tuberculum inveſtit: qualis & in Steatomatis, Ateromatiſque, cautio eſt. Quam quidem exſcindendi rationem a Paraeo, & in Cancro labiorum, propoſitam memini: a quo auctore traditam rem mutuatus eſt fortaſſe Mercatus. Deducta autem, atque immutata, eſt ex primo Cornel. Celſo, qui hanc *l. 7. clavis oculi eſtirpandis* propoſuit. Addidit autem Ludovicus liberatam mammam, quemadmodum recentia vulnera, conſuendam; niſi quid intus remanſerit; quo caſu non conſuendum, ſed detergentibus, & purgantibus utendum. Meminit & hujus quoque curationis Joannes Fragoſus, *in opere chirurgico tract. de apoſtem. q. 61.* ſub finem nominato, ſicuti ſua gens conſuevit, hoc vitio *Zaratana*.

Hanc ergo curandi rationem cum, in complurium Medicorum convento, propoſuiſſem honeſtae cuidam foeminae Lucanae, Ducis Illuſtriſſimae Bucinenſium ancillae, quae eidem ſuo vitio conſultura Neapolim, e compoſito, venerat; inſolenti quadam, & inſulſa, quam Docti riſerint, adverſione. Medicus quidem ſenior, negavit haec quaquam attingenda, nedum exſcindenda Tubercula; propterea, quod corpora ſunt mammis quidem glanduloſa, aliis vero partibus Glandulae. Unde autem hanc rem didicerit homo ſapiens, quis eſt, qui indicare queat? Ipſe nihilominus Hippocratem aſſeverabat auctorem, qui ne id per ſomnium quidem: quinvero ait: ἀλλά καὶ ἀδένες οὗ τοῖσι στέρνοισι μαζοὶ καλέονται, καὶ διαίρονται, καὶ γάλα ποιέουσιν, &c. quae, ad amuſſim reddita latine per Janum interpretem, ſunt haec; *quin etiam glandulae in pectoribus mammae appellantur, & attolluntur, & lac faciunt, &c.* Sed & praeter Hippocratem nemo non aliorum omnium glanduloſa corpora dixit mammas, non autem adenas ipſas mammarum. Praeterquam quod, ſi glanduloſa corpora ſint eadem, quid prohibet, ut exſcindi vitiata non poſſint; quando & ipſas mammas feliciter exſectas tum integras, & inculpatas, in *Amazonum hiſtoria l. de aere, aquis, locis, perhibuit* Hippocrates; tum etiam male valentes, ut de quamplurimis commentus eſt Jo. Schenckius. Itaque apparet, nil facere ad impediendam chirurgiam, quod glanduloſa quaepiam ſint corpora; contra quam homo iſte volebat. Sed his abunde jam cognitis, caeterum, opinionem meam eventus rei ſingulariter comprobavit. Etenim mulieri medicamentis variis, tum internis, tum externis, & victu tenui, ſudoribuſque diu multum exagitatae, ac prope laſſatae, ne dum non aliquis profectus acceſſit: quinimo fieri non potuit, ut ne tumor, qui fomitem vitii tamdiu aluerat, demum exulceratus fuerit; quod illi tam impenſe moleſtum mox evenit, ut jam rurſus ad nos redire, ac diſcrimen omne ſubire certa ſit. Commiſiſſetque ſe utique noſtris manibus, niſi brumalia frigora, quae teſtimonio Hippocratis inimica ſunt ulceribus, remorata eſſent.

Interim opinioni noſtrae, veritatique, divino quodam numine, caſus adſtipulatus eſt. Scilicet, Aureliae ab Alexandro Ebulitae, foeminae lectiſſimae, Cancro mammae dexterae duos jam annos vexatae, Glandulam ſpongiformem putredine laxatam, quae ulceris medio adhaeſerat; eodem ipſo contradictore, atque aliis Medicis, tum Phyſicis, tum Chirurgicis, praeſentibus; levi forficula exemimus: qua re confecta commodius per ea tempora vixit. Hoc unum exemplum eſto Glandulae ſpongiformis in foeminae mamma. Sed & in viro comperta eſt hujuſmodi altera, quam de alae diuturna fiſtula ſubſecui, proximis diebus, homini, qui perſanatum jam vix ſe ſanum putat: adeo ſpem ejus rei dejecerat ab aliis omnibus immedicatus. In cujus ſpongiolae aliqua parte caruncula teretes adverſae duae,

pro-

prominulis utrimque labellis, quae roſtellum rajae, vel erinacei marini, praeferebant; hiatus ſcilicet unde eructabat fiſtulae ſanies.

## §. XI.

### *De Zona Herpetis, ſive Ignis Sacri ſpecie.*

*Zonam* quidem, ad hoc tempus, nemo tradidit a ſe obſervatam uſque adeo, ut veram ejuſdem formam, ipſe, qui vidiſſet, teſtificari caeteris poſſet. Quocirca mihi, ampliſſimis in Valetudinariis medicinam quotidie factitanti, cum non ſemel viſenda obtigiſſet ejuſmodi ſpecies: facinus aut inertis, aut inconſulti, hominis committere mihi videar, ſi rem hanc inter hos, *de novis obſervatis Abſceſſibus, ac Tumoribus*, ſermones, candidatos medicinae celem. Rem alioquin non minimi momenti, quando Plinius admonuerit, extingui hominem hoc affectu; praeterquam quod aſſequi ſenſus noſtrorum Auctorum, ea de re varie differentium, etiam ad bonum Profeſſorem pertinet. Primus ergo Scribonius Largus, paulo poſterior, quantum apparet, Celſo vir, atque a Galeno memoratiſſimus, *l. de comp. medic. praemiſſis c.* 244. 245. *&* 246. *ad ignem ſacrum*, mox caput 247. *&* 248. inſcripſit, *ad Zonam*, quam Graeci *Herpetem* dicunt. Quibus iiſdem verbis uſus eſt & *c.* 63. qui idem Vir, & *c.*166. ejuſdem *zonae* meminit. Itemque Marcellus Empiricus *l. de medicamentis c.* 20. Sed Plinius, auctor *operis de re medica l.* 2. *c.* 33. inſcripſit ( Ad Circinum, quem *Zonam* vocant ) & ſubdidit; *Circinus*, quem alii *Zonam* vocant, talis eſt, veſicae tanquam combuſtae exeunt, & crepant, primum paucae, deinde cito multiplicantur; quae ſi hominem cinxerint, occidunt. Et *c. ſequenti ad ignem ſacrum inſcripto*; eſt, ait, genus Sacri ignis, quod *Zoſter* vocatur, quod occidit eum; quem appetit, ſi praecingit. Sed Plinius ſecundus, ſcriptor *hiſtoriae naturalis lib.* 26. *c.* 11. *F. Ignis*, ait, *ſacri* plura ſunt genera. Inter quae medium hominem ambiens, qui *Zoſter* appellatur; & enecat, ſi cinxerit.

Haec Auctores Latini de *Zonae* appellatione, more, natura. Quae ejuſdem natura plenius ut intelligatur, operae pretium judico, ut inquiratur etiam tum genus ejuſdem, tum materia. Certum eſt quidem calidiſſimum, & fervidiſſimum hunc Tumorem, ex tali etiam humore procedere; ſed haec bilis una eſt, quae vel Eryſipelas, vel Herpetem parit; quorum appellationes & uſus Latinis fuerunt alii, atque alii. Nempe quidam ex his Herpetis, & Eryſipelatis nomen graecum attigere; quidam non attigere latino, *Ignis ſacri*, nomine contenti. Incertum autem, an Herpetem cum *igni ſacro* comprehenderint, aut confunderint? nimirum exacti rerum iſtarum aeſtimatores, & judices, minime placuit eſſe Romanis, quorum gravitas minus, quam Graeci conſueverant, medicam rem excoluit, aut dignata eſt, Plinio adnotante, *hiſtor. naturae libr.* 29. *proemio*. Unus Cornelius Celſus Eryſipelas aperte diſcrevit ab *Igni ſacro:* quod genus duplicis Herpetis poſuit, eſthiomeni, & ſecus. Eryſipelam vero atque Ignem ſacrum hi, qui ſubſequuti ſunt, aliter atque aliter acceperunt. Nam hi confuderunt, hi diſcreverunt. Atque alii Sacrum ignem cum Herpete unum eundemque affectum cenſuerunt; quorum unus eſt Jo. Monardus, *lib.* 7. *epiſt.* 2. Alii vero ſejunxerunt, e quibus eſt Oribaſius *ad aphoriſmum* 23. *l.* 5. Ita ſcilicet nomina graeca, & latina, diſtracta atque accepta, varios ſingulis ſenſus atque opiniones pepererunt.

Foret autem hic infinitus, aut etiam alienus ab inſtituto noſtro labor, ſi cunctas componere lites, aut univerſam rem pertractare vellem: ſatis huic loco videtur

tur si Latinorum, qui *zonae* meminerunt, sententiae duntaxat expendantur; quam rem sic brevi constituo. Scribonius, Apulejus, Marcellus, uterque Plinius, abjecto graeco *Erysipelatis* vocabulo, *Ignis sacri* nomine sunt usi: *Herpetem* si quando nominavere, graecis etiam characteribus expressere. Apud hos quidem *Zonae* nomen exstitit non semel; at hoc quidem discrimine: nam apud Scribonium *Herpetis* species est *Zona*; at vero Plinio *Ignis sacri*, hoc est (quae opinio nostra, & Ingrassiae fuit) Erysipelatis forma quaedam. Marcellus, vel dubius est, vel ad Scribonium accessit. Cornelius nusquam locorum, seu *Zonae*, seu *Zosteris* meminit: fortasse, quae suo seculo vel non exstitit, vel non adversa est. Caeterum enim absolutus auctor rem alioquin non contemnendam non contempsisset, aut praeteriisset.

His sic expositis inquirendum nunc occurrit, quem in modum aut situm hoc se cingulum ad corpus accommodet? an transversim scilicet ut baltheum inducitur? an vero satis est, ut secundum se ipsum tantummodo, nullo situ corporis discreto, formam illam orbis adsciscat? Plinius quidem videtur ad usum cinguli posuisse; alium vero fasciae circuitum attribuit *Zonae* Joannes Langius; cum ob nimiam sub febre continua efferventis cholerae copiam, inflammationem a lumbis, umbilico, ac testiculorum oscheo, usque ad genua hominem cingit, atque circumdat.

Verum, quem nos *Zonae* modum, & formam observavimus, audi! Saepius enim haec visa, posteriore thorace, & secundum superiores lumbos circinata: quam in Societatis Jesu Sacerdote sacrarum collegii aedium vidi, cum Mario Schipano, diligentissimo rerum istarum observatore. Alteram cum Francisco Nola, Medico satis industrio, curavi Mario Canello, Sacerdoti integerrimo. In palma similiter cujusdam sutoris calceonarii, qui Syphile fuerat affectus, luculenta nuper fuit observata cumprimis *Zona*; qui primum dolorem acrem in pectore perpessus fuerat. Itemque aliae pleraeque se obtulerunt in Valetudinario, morbis incurabilibus dicato: quas omnes explicare longum esset. Persequitur hic affectus pallidiores, habitu corrupto, ac visceribus malevalentibus, homines: qui his ipsis de causis jugulantur, non autem exilis *zonulae* vi, aut pravitate: quanquam equidem non inficior, malignitatem ad pernecandum inesse *Zonae*; sed nihilominus a me nulla comperta pernicioſa; propterea fortasse, quod hominem secundum utrumque latus praecinxisse visa est nulla; quod ad necem requisisse visus est Plinius.

## §. XII.

### *De Abscessu per umbilicum.*

UMbilicus, ut omnes Anatomici definiere, complexus est quidam duarum arteriarum, & unius venae, praeter unam aponeurosin sive nerveum processum, qui nonnullis quidem cavus est ductus, solidus vero multis: quae vasa mirifico naturae commento sunt instituta, ut per haec alimentum, vitamque, capessat foetus, dum utero gestatur; quemadmodum per pedunculum poma, & fructus omnes: a quo uteri ergastulo postquam egressus est infans, emerita & vieta reddita ista vasa coalescunt & occaecantur ita, ut in ligamentum hepatis appensi secedant: quo hepate aut cognatis partibus male habentibus, ac tumore, vel liquore vitioso, scatentibus, madefactum hoc vas, natura procurante hic hiat, ut effluere possit inde quaelibet concepta labes; per quam viam ejecta lotia puellae, cui per multos menses fuerant suppressa, narravit Bartholomeus Cabrolius, *observ.* 20. & ex hoc auctore Andreas Laurentius, *lib.* 8. *quaest.* 17. Cujus similem historiam retulit Joan. Fernel. *l.* 6. *c.* 13. Constans vero Varolius memoriae prodidit aquam.

Hy-

Hydropici per unam hanc viam effluxum habuiſſe. Ego vero ſervo memoria viſos a me complures, quibus, in multos annos, expurgatio non hepatis tantum, ſed totius etiam corporis facta eſt; ſaniem nunc cruentam, nunc ſolum ichorodem, ducente Abſceſſu; in hominibus quippe non admodum integris, aut inculpata valetudine. Ex his unus Thomas Carrafa, Ordinis Praedicatorii vir, facundia non minus quam genere clarus: qui longo cum hoc effluxu commortuus eſt; florentibus adhuc annis, dignus, qui Neſtoreos ſuperaſſet. Alter, qui nunc vivit Honophrius Clarellus adoleſcens, vigeſimum annum natus; qui jam tertium, & amplius hoc Abſceſſu tenetur. Dubius autem ſum, an hujuſmodi fuerit *Abſceſſus umbilici*, quem, decem jam menſes, plurimo pure manaſſe retulit modo citatus Bartholomeus Cabrolius, *in obſerv.* 19. Tertia fuit mulier natu grandis, quae, ex Abſceſſu ad eam partem nato, ulcus inſanabile geſtabat. Sunt porro non obducendi haec ulcera, neque impediendi Abſceſſus; quos natura inſtituit, aut plurima humorum copia fovet. Credo autem non ex hoc genere, ſed ſimpliciorem Abſceſſum fuiſſe, quem Annae Eſtenſi curaſſe teſtatus eſt Antonius Muſa Braſavolus, *in commentario lib.* 3. *Aphor.* 22. Sed neque hic judico ſilendum a Philippo Ingraſſia, *lib. de tumor. praeter naturam*, propoſitum plus ſemel, genus quoddam *Abſceſſus umbilicalis* a ſanguine conflati, quod *Aematomphalon* graece vocatum eſt. Hoc autem in infantibus potiſſimum viſum crediderim: quod ad ſanguifluorum Abſceſſuum genus referri memento.

## §. XIII.

*De Varicibus infimi ventris, & femorum, mire implicatis.*

AUrelius Cornelius Celſus *libr.* 7. *c.* 17. & Hieronymus Fabricius, *in oper. chirurg. volum.* teſtati ſunt inſolentes eſſe *ventri Variculas*. Quod fit propterea, quia exterior abdominis, habitus admodum parvis & paucis irrigatur vaſculis; quae trunco circa centrum agitato parum, dilatari non ita facile poſſunt, magis id eminentibus locis accidit. Quae ut vera ſint omnia; nihilominus viſae mihi per hypogaſtrii ſumma Varices, mirum in modum implicitae, atque diſtentae, ita, ut venter quidem appareret Meduſae caput; interiora vero femora, & crurium excurſus, anguibus veluti coeuntibus ſub cutem foeti. Quibus affectibus non mediocriter homo gravari ſe referebat: at vero cum decumberet nihil ejuſmodi rerum, totis hiſce locis, exiſtere. Juvenis erat ex familiaribus Illuſtr. Marchionis Macchiegolanae, procerior aliquanto, quam ſtatae menſurae homo; habitu mediocri; colore corpore florentiore, ſed diluto; oculis variis, capillitio prope phoenicino. Quas ob res minime melancholicus exiſtimatus eſt ab omnibus, qui viderunt. Itaque ſcrutantibus nobis exteriores cauſas, illud admirationem facti ſummovit; quod aliquot ante annis, de ſublimi admodum loco, caſum expertus eſt, a quo uno quaſi quaſſatus ſanguis, & ad inferiora propulſus diſtendere ſua vaſcula, laxareque facile potuit; ita, ut in poſterum imbecilla redderentur. Quid, quod & in partes inferiores factus corporis praegravatus, atque concuſſus, Varicoſas dictas dilatationes onera bajulantibus, curſoribus, ligones exercentibus, excitare compertum eſt? Quod etiam Arabs Avicenna notavit. Sed & longus, recto corpore ſtatus, acceſſum provocat Varicularum: id quod intellexiſſe videtur Iuvenalis poeta, qui ait,

*Varicoſus fiet Haruſpex.*

Ex grandi ſcilicet conſtitutione, & quadam quaſi ſtabulatione, ac longo ſtatu,

## §. XIV.

### *De Abſceſſu tereti, ac ferme trunculato.*

SEd & *teretem*, trunculi modo, paulo minus ſemi ſpithama productum *Tumorem*, e carne atque adipe exſtantem, neque muſculos attingentem intus, a putrilagine perinde, ut caniculatim excavatum obſervari licuit, in ſacri noſtri Noſocomii languentibus.

Id autem eſſe videtur vitii genus, quantum equidem conjectura aſſequor, quod tentare ſoleat eam hominum ſortem, qui inopiam; aeris udi, atque hyberni, proximeque attacti corpore ſoli, dum duriter cubant, injurias; pravoſque victus; & aquarum malarum potus; quotidie experiuntur. E multis, quos ex eo morbo curavi, memoria ſervavi Petrum quendam Leodienſem, tenuis procerique corporis juvenem, qui ſtudiorum gratia ſuis e laribus Patavium peregre profectus, hic Neapoli & febre, & pleriſque tuberculis corruptitiis omnibus, aegrotavit. Inter quos illud ipſum erat, quod modo deſcripſi; ab interiore ſupremo femore, ad altum filiorum clivum exporrectus, quem, ſuppuratu mollem, totum unico ſcalpri adunci tractu diſcidi, atque expurgatum brevi curavi. Intus caruncula ſemiputris, carneis corroſis fibris pleriſque locis diſtenta, & veluti lacer panniculus contrita. Quod Abſceſſus genus enarratum volui, tum novae formae, tum ſitus locique obſervatione. Equidem dubius ſaepe, an hic ipſe de his ſit, quos Hipp. *com.* 2. *progn. text.* 25. *Cyrtomata* vocavit. Verum enim vero & majora, tum mole, tum poteſtate *Cyrtomata* ſunt, ſiquidem in partes infra cutem abditiora.

## §. XV.

### *De Abſceſſibus ſuppurati artuum mediorum.*

ABceſſus *artuum* duplici ſe forma medentibus offerunt; *Alteri* quidem ex una quaſi planitie, ac lata baſi in anguſtum papillae modo extenuantur, qui tum aegrotantium incolumitati, tum Medicis hos diſcreturis, curaturiſque, commodiſſimi ſentiuntur: ob eas cauſas probati, quod alias oſtendimus ab Hippocrate. *Alteri* ſunt, qui ſecundum nullam privatam partem, ac neque etiam longo tempore ſublati, tota aequabiliter membrorum forma ſervata, extumeſcunt. Quorum cum obducta cutis, nullibi ſit extenuata, difficilem Abſceſſus notitiam, aut opinionem facit imperitis his Chirurgis, qui tractandis hiſce negotiis minime ſunt aſſueti; qui neque tam multum arguendi eſſent, ſi culpam ſuam cognoſcerent. Sed hanc etiam ipſimet infinite augent; cum Valetudinaria, & in his occupatos medentes, obnixe vituperant; quo jure, quave injuria, viderint experti doctique! Alii enim vero me, (quod non meae quidem laudi, ſed occupationi tributum volo) perpetuo adfluentibus in aede ſacra valetudinariis, mane veſperique medendis, multos jam annos exercitum admirati ſunt, non ſemel, plerique tum noſtrates; ſed candidi quidem, tum exteri Medici non eruditi; quod planos, & nil exiſtentes iſtos Abſceſſus ſeu ferro frigido, ſeu per ignem rutilo, certis ſemper adminiſtrationibus, aperuerim. At vero famigerati aliqui noſtri, leviter in levi, & medicamentaria chirurgia verſati, jampridem genus hoc tumoris in brachio Domini Fernandi de Cardinas, Illuſtr. Marchionis Layni filii, etiam atque etiam a ſe contrectatum licet, praemoniti non dignovere: ſed ad maturitatem uſque ſuam fovendum, & adjuvandum ſtatuere; a quo jam intus, late ſtagnante pure, miſellus Eques diu lancinatus fuerat ſic, ut noctes inſomnes, dies vero longos in ejulatibus duceret, non

ſine

ſine gangraenae periculo ; niſi feſtine ſuccurſum fuiſſet apertura, qua una declaratum eſt demum, utri recte ſenſerimus in hac re: quam teſtificari poteſt & Petrus Foglia, Chirurgus, ut cum honore nominem, in Valetudinario verſatus. Quae te volui non ignorare mi homo, qui legis, ut prudens cautuſque ſis, hiſce caſibus, qui perperam aut recte diſcreti, tanti momenti ſunt ad vitas ſive tuendas, ſive perdendas, miſerorum mortalium : ad extremum autem, ni vitae ſit alea ſubeunda, muſculorum nervorumque mutilatio certa eſt, ſi diutius ab acri ſanie ſinantur hi confici, & abrodi: quem partis organicae violatum, atque abruptum, mutilationem dici recte monſtravit Paulus Zacchia, Romanus Medicorum, & Juriſconſultorum, Mercurius, *in lib.* 5. *quaeſtionum medico legalium*, *tit.* 3. *quaeſt.* 1. De Abſceſſibus vero hiſce articulorum mature aperiendis, lege Nic. Florent. *l.* 7. *ſum.* 2. *tr.* 5. *c.* 68. *p.* 224. *col.* 2. F. Galen. *lib. de Theriaca ad Piſonem*, v. 90.

## §. XVI.

### *De flatulentis Abſceſſibus artuum.*

ABſceſſibus, qui nulla praeeunte phlegmone naſcuntur, a Galeno *libr.* 14. *meth. c.* 12. memoratis, & ab hominum vulgo frigidis appellatis, duplex, ad cognitionem ſpectans, difficultas ineſt: altera, qua ſuppurati, ſive puris profunditate, ſive cutis craſſitie, non deprehenduntur : altera, qua mollitudine ſuppurationem emetiuntur : quod utrumque diſcriminoſum eſt. Nos hic de ſecundo genere magis dicemus, ex quo ſunt halituoſi Tumores, *Emphyſemata* Graecis dicta, quae plerumque Medicis imponunt, ut credant aperiendos eſſe, qui minime ferro ſunt attingendi: quam rem aliquot expoſitis exemplis illuſtremus. Evenit enim non raro, ut Abſceſſus frigidi ſectionem meditati Medici, cum poſtridie mane rem accedunt adminiſtraturi, deletum inveniunt jam affectum. Id quod ad unguem accidit honorato viro Joſepho Capovae, tabellioni publico, Bartholi Chirurgi parenti: in cujus genu dextero Abſceſſus, cum Medicis veſperi fluctuantem ſaniem contrectantibus oſtendiſſet; poſtridie, incertum qua vi, diſcuſſus eſt totus. Idem accidit & Gabriae (vulgo Caprii) fabri ſartoris filiae, quam Dominicus Moſcha, diligens in arte Chirurgica vir, me plerumque collega, curavit: quam rem & alii Medici ſibi compertum etiam plana fide teſtantur. Quod ejuſdem rei meminit Avicen. *lib.* 4. *ſent.* 3. *tr.* 2. *c.* 19. De hiſce caute ſecandis, eſt tibi legendus Avic. *apud. Nic. Florent. tr.* 5. *ſum.* 1. *ſerm.* 3. *c.* 42. *p.* 204.

## §. XVII.

### *De Hydrocele praeputii.*

SEd & alterum, redundantiae ichorodis Abſceſſum, non penitendae lectionis, enarrabo ; quem nemo priorum ad hanc diem advertit, nominavit, attigit. Conſenſu omnium, & Hieronymi Mercurialis teſtimonio, *in lib. de ſoetus creatione*, firmatum eſt ; ſemen ex ſeroſa ſanguinis portione prima proficiſci : quae ipſa morbi Venerei contagione accidente inquinatur, & quoquo pacto alienata rejicitur a natura, & formam ichoris nacta, in partes infimas amandatur: hujuſmodi autem eſt inter multas praeputium, quod irruente aqua ſic diſtenditur, ut quam ampliſſime excreſcat : quod compunctum undique ſcalpello, multam aquam, ſeu tenuem ichorem, reddere ſolet; res, quae per nos in ſacro Valetudinario, prope in dies

ſin-

ſingulos, obſervatur. Quoniam autem evenire facile poteſt, ut illata vulnuſcula coaleſcant; protinus danda ſunt medicamenta, quae id vetent. Eſt autem inter omnia valentiſſimum *Sal*, quo Graeci, Latini, Arabes, & poſteriores noſtri omnes uſque ad Chymiatros, multifariam uſi ſunt in paracenteſi hydropis; tum etiam in ancyloblepharo, atque aliis pleriſque hoc genus caeſuris: de qua re nos fuſe, in operis *de auxiliis chirurgiae*, parte, quae inſcripta eſt *Pharmacochirurgicum*, qua de materia foſſili, ac de ſale.

## §. XVIII.

### *De Typocele, ſeu Tophaceo Abſceſſu, ſcroti.*

MUltiplicibus plane vitiis obnoxium eſt Scrotum, ut quod & multiforme eſt ipſum; quaternis intertextum tunicis, & pendula laxitate concuſſile; in proclivi poſitum; infirmae conditionis, & exangue. Decurſus igitur glaſteae pituitae cum ad hoſce locos fit, hic exſiccata, ac diu durata, *tophaceam* induit *formam*; in qua ſuſcitatur, aliquando putredo, ob admixtum aliquod acre fermentum, quod diu latuit: ſic ulceratur accenſus Tumor, & contumax ulcus parit, quod quam difficile curatu ſit, cognoſces facile, ſi durum undique circumſtantem offarctum animo propoſueris. Sic unus exſectus, qui veterem vanitatem reſtituere valeat, reliquus eſt: cujus adminiſtrandae rei praecepta quidem tradidit Paulus Aegineta, *lib. 6. c. 63*. Exempla nos perplura, *in efficaci chirurgia*, proprio ſuo loco narravimus.

## §. XIX.

### *De Verticillo, ani vitio.*

OBtigit mihi vidiſſe complurimis hominibus circa podicis peripheriam, neſcio dicam ſarcoma, an inteſtini recti caput extremum everſum, aliquo, ſive ſuo, ſive altiore vitio, corporis obduratum, atque firmatum extra ſic, ut a primo exortu nequaquam remeabile, aut diſcuſſile fuerit. Nimirum oſtracode, ac ſcirrhode, duritie, exerta, ſed preſſula planaque forma, laevi facie, ac paſſeo plane colore. Ad ſummam, ſi dolorem detrahas, ita conformatum, ut *verticillum*, quod mulieres medio fuſo appendunt, referat. *Verticillum* igitur *ani* pleriſque per me ſpectatum admiſſis, & nobis, nominari non inepte viſum eſt; quod credo nulli priorum adverſum vitium, aut deſcriptum. Nam neque Fungus apparet, quem *l. 6. c. 18. F.* deſcripſit Cornelius Celſus: tum, quod diſcrepat fungi figura; tum quod *Verticillum* tuberculum eſt potius, quam ulcus, quale voluit is auctor: ni tamen haud ita ſtudioſe, & examuſſim ſint ea, quae Celſus propoſuit accipienda. Omnibus autem modis, concrementum opinor a non diſſimili, aut communi, condylomatum & hypoſarcomatum latorum, quae hiſce locis obvenire ſolent, cauſa productum. Sed enim, e melancholico ſucco, & melancholicis naturis, haec obſervavi ſemper oborta. Curavi autem, non medicamentis vehementioribus, quorum opera tum inefficacior, tum acerbior eſt; ferro equidem candenti, quod & Celſus poſtremo praecepit, malum omne repreſſi; tum vetulo cuiquam honorando compatriotae Alexii Aloniae, Medici Caſtelvetrani diligentiſſimi, qui hominem ad me perduxit; tum Gregorio Carariae, Scribae libellorum Praetorii Neapolitani; tum Calabro cuidam; aliiſque compluribus in Noſodochio hoſpitatis: quarum omnium

cu-

curationum exitus felix fuit. Res apprime notae toto noſtro Valetudinario, atque extra.

## §. XX.

### *De Terminthis.*

*Terminthus ſpecies eſt Phymatis*, ait Oribaſius; *ſupra quod puſtula nigra eminet; qua rupta, inferne ſimilis deſquamato aptaret; eo autem diſſecto pus invenitur*. Dioſcorides Alexandraeus ſcriptis prodidit, *Terminthum eſſe cutis excreſcentiam rotundam, ex nigro viridem Terebinthi fructui ſimilem*. Id quod etiam Galeno viſum eſt, *lib. de voculis uſurpatis ab Hippocrate*: qui idem Galen. *text.* 37. *comment.* 3. *lib.* 6. *epidemiarum*, literis mandavit, *Terminthorum nomen, nigras quaſdam puſtulas in cruribus maxime orientes ſignificare, a figurae, coloris, magnitudiniſque, ſimilitudine, quam cum Terminthorum, hoc eſt, Cicerum fructu habent, derivatum*. His addere mihi libet, ſi licet, pleraque, tum quae intelligentia conſequutus ſum; tum quae obſervatione, atque experientia, comperi. Difficile autem, etiam atque etiam pronunciare, quid hoc morbi ſit ex his, quos aetate noſtra cognovimus. Quandoquidem ignorantur hodierna die *Terminthi*, planeque ſunt exoleti, tum nominis, tum notitiae; quaſi deſierint exſtare ab antiquorum aevo, quemadmodum *Dracunculi*, quorum penitus interiit memoria. Nihilominus & ad noſtra tempora exiſtere *Terminthos*, & frequentiſſime nobis obtingere, affirmo; nil prorſus evariantes ab his, quos Antiqui deſcriptos reliquere. Enimvero duo ſunt hujus vitii tempora: *non exulcerati* quidem nulla apud noſtros eſt appellatio, neque notio, Tuberculum non diſtinguentes, aut dignoſcentes; *exulceratum* vero, quandoquidem deſquamato ſimilis, id eſt, arroſus eſt, referunt ad Ulcera contumacia. Mirum autem, quod haec non enarravit aut Fallopius, aut Vidius, aut Tagautius, aut Fabricius, aut reliqui noſtri ſcriptores induſtrii. Manardus vero, & Ingraſſias, qui argumentum hoc tractarunt, rem hanc exacte non explicantes, majorem admirationem attulere. Arabes, & Barbaros, & horum amicos, non nomino, qui ſubtiliores res iſtas Graecorum minime comprehenderunt. Sed nos pauca, quae Veteres propoſuerunt, veſtigantes, alia, quae deſiderantur, eruamus, & adjiciamus.

Prima autem inquiſitio eſto generis, quod anceps eſt. Nempe Phyma, id eſt, tuberculum ponit Oribaſius, & Aetius *lib.* 1. *c.* 6. & Paul. 4. *c.* 24, puſtulam Galenus *loc. cit.* Dioſcorides vero Alexandrinus dixit ἡ ὑπερχωράν, id eſt, ut Raſarius, Andernacus, & Cornarius verterunt, excreſcentiam. Qui Graeci omnes auctores, etiamſi diſcrepare appareant; tamen re vera non diſcrepant. Quippe vides univerſum vitium conſtare & Phymate, ſecundum majorem ſui modum, & adnata puſtula; quae cum ſuppuratio accedit, tum maxime gignitur, atque, extenuata demum cute, diſrumpitur. Hanc igitur alii privatim, alii Tuberculum inſpexere. Quo factum eſt, ut Terminthi fructibus aequales, id eſt, ut Matthiolus cenſuit, Juniperi baccis compares, nos vero majores Terminthis faciamus; atque eo magis quod Oribaſius eminere ſupra Phyma puſtulam dixit. Accedere autem ad Phima puſtulam confirmatur, & quod ἐπικεῖσθαι ἄνω κάτω φλυκταίναν hanc dixit Paulus. Quamvis autem ἀνωτάτω corrigat Andernacus; nihilominus priori lectioni favet Aetius, qui prior fuit Paulo Aegineta: favit & Manardus *l.* 7. *epiſtol.* 2. Itaque ſi inferne ſuperne puſtulae rotundae incumbunt, liquet majuſculum eſſe Phyma *Terminthum*.

Sed

Sed cauſas nunc, quae materiam procreandi tumoris exhibent, & aliqua, quae ad has attinent, exponamus. Enunciatum eſt ab Hippocrate, *l. de humor.* Similem humoribus efflorescere colorem: atqui color ſuis cum ſuccis reſpondeat, horum ſubſtantiam non declarare non poteſt, ſi recte animum adverterimus. Porro colorem alii nigrum, ut Oribaſius, Aetius, Paulus: μελανοχλώρον nigroviridem retulit Dioſcorides Alexandraeus; qui certe, ſecundum Hippocratem, *l.* 2. *prorrheticorum*, colores ſunt peſſimi. Peſſimi igitur ſucci, qui atrae bilis erunt ſoboles. Quapropter Epinyctidis communem curationem habent apud Aetium, *relato loco*. Aſſati vero calidique ſanguinis cauſam expreſſit Georg. Bertinus, *l.* 13. *ſuae medic. c.* 3. & Franc. Valleſius, *in l.* 2. *epid. ſect.* 2. *text.* 6. Accedit, quod hujus vitii proprium eſt, inopes & malis obſoniis uti conſuetos, ac dura omnia patientes homines inſectari. Oritur autem in cruribus, qua pronus ab jecinore in partes humiles, exercitas, ac debiles, vitiati ſanguinis eſt excurſus.

Ad hunc modum expoſitus eſt prior Tumoris ſtatus. Reſtat nunc Ulceris diſquiſitio, quod natura eſt ferme maligna: ſerpit enim tacite labes, & curatione contumax eſt ita, ut pro *herpete* habeant quidam: fortaſſis autem hi non male cum *herpete* congruunt *aeſtbiomeno*; ἑλκῶδεις appellat abſolute Cornelius Celſus, adnotante Manardo, *citato loco*. Verum enim vero *Herpetici* dici poſſunt; naturam herpetis re vera non habent, ſunt autem Tubercula, Tumoreſve, potius quam ulcera; tranſmigrant autem in haec ex illis, ut quam plurima Phymata. Caeterum, hos principio cognoveris, quia fructus primum baccarumve Oxycedriae, qui vireſcentes ſunt, mox Juniperinarum, melanochloron colorem matureſcentes immutant. Ita formam, figuram, colorem, magnitudinem, ab Antiquis poſita ſingulatim comprobaveris. Illud unum inter omnia maxime advertendum eſt: Terebintho arbori, cujus fructibus haec Tubercula ſunt aequiparata, binos provenire fructus; alteros in ramorum majorum corpore, qui craſſiores, fabae & amygdalae forma ſunt, ſecundum Matthiolum; alteros in pericarpio, qui ſunt antedictis minores, ciceris, ſcilicet, magnitudine, qualem fortaſſe voluit, non ciceris formam, Galenus. Credo equidem *Terminthos*, aut magnitudinis ergo dictos, quales majoribus Terebinthi ramis adnaſcuntur; vel quales pericarpio quidem ſunt, dictos hos tumores propterea, quod, ſicut pro variis maturitatis temporibus Terebinthi fructus diverſos colores adſciſcunt: ad hunc modum haec Tubercula, quae illis comparantur. Atque haec mihi ſubeunt in praeſenti, de *Terminthis*, alias fortaſſe ſubtilius explicandis. Pauca nunc, quae ad curationem ſpectant, exſequar, in hanc etiam demonſtratione accommodata.

*Terminthos*, ne ſerpant, conſuevi quidem ſcalpro reſcindere. Quanto autem magis ab radice, & a ſana parte, amputaveris, eo conſultius feceris: effluet autem ſanguis atrior, & mororum nigrorum ſucco, interdum etiam vini faeculae, ſimilis. Quod ſi plurimum reſcindi carnis ab homine laborante vetetur, maneatque caruncula putris; valenter exſiccantia ſunt imponenda, ſtudioſiuſque ulcera ſunt tractanda: quippe quae & difficilia ſunt, & cum ſaneſcere apparuerint, conceptam fiduciam imprudentium ſubinde ludere conſueverunt.

## §. XXI.

### *De flexu ſupremi pedis, alto, ac toroſo, Tubere velut torquato.*

*Ingulum* pedis ſupremi, qua flectitur, pollicis duplicati craſſitudine vidimus, in homine ruſtico, qui ſe curandum, in ſacrum noſtrum Incurabilium Noſodochion, receperat. Tuber quidem inſolens atque hactenus a nemine obſervatum,

aut

aut certe descriptum, facile judicasses a longo gestatu compedum inductum. Sed neque ejusmodi quidquam compertum in his, qui, toto vitae decursu, compedes duros pertrahere consueverunt. Ortum autem illud ab erumpente pituita crassa, & melancholico succo; asperum autem extime velut in elephantico tumore cutis, & subnigrum. Hunc nos circumsectum, & exustum, facile curavimus. Qualem ad amussim *torosum* pedis *cingulum* nos & in alio etiam inope vidimus, in Valetudinario, qui chirurgicae se manus committere nullis suasionibus passus est.

## CAP. X.

### *De perdolentibus, Abscessu nullo apparente, Impressuris.*

DUm, *novos Abscessus* consequi pergo, duo mihi post alios adhuc se offerunt Abscessus modi, multis nominibus digni, qui describantur. Praeter enim unam novitatem, inest & vitii exilitas, in aperto alioquin loco non adspectabilis, & cacoethia, ac praeterea contumacia, quae mortales ad mortem usque comitatur. Res quae praeter alia, difficultate investigationis, & obscuritate, nulli secunda videtur; enormitate vero plerisque omnibus anteponenda.

Antonius a Cavio Provinciae Romanae oppido, Sacerdos sodalis Franciscanus ex his, quos Conventuales appellant; homo vigesimum quintum, aut circiter, annum natus; pusillo corpore; habitu gracili, dejecto plane colore, crasi omnino biliosa & non nihil exusta; id sibi molestiarum & morbi, decem jam annos, questus est incurrisse. Ad medium inferioris maxillae locum, qua cum labro, item inferiore mediis membranis connectitur, nullo unquam apparente tumore, vel alieno colore, prurigo insultat in dies, saepe sic gravis & effera, ut necessum sibi sit, ut dolor ejusmodi prehendat, nunc dextera, nunc laeva manu, partitis scilicet quasi vicibus laboris, locum, qua mentum inchoat, vehementissime quatere, pressumque huc illuc varie deducere; quo facto in horas particulae defricatu sic posse quiescere, ut furiente illo dolore non deprimatur, atque dispereat! Quamquam qualis illa quies, aut qualis illa levatio sit, cui superst amaritudo incomparabiliter potior! Cui malo nullae pares corporis aut inanitiones, aut expurgationes, aut assae sudationes: ut neque diversoria remedia, fonticuli, externa epithemata, intinctus medicamentorum acerrimi, & quae denique non medelae! Adde neque diruptus, concisusque, particulae, quae perpetuo, credo, lancinatu callum obduxerat. Quid plura? sed neque vis ignis ex ferro diaphano, & scintillante, vitii virus excoquere, quid dicam autem exstirpare valens fuit: adeo scilicet atrox fomes altis nixus radicibus intime se reduxerat. Cui contumaciae, quid remedii reliquum, praeterquam, resolutis omnibus operimentis pateret os, abraderetur, atque ad medullam (siquidem opus esset) effoderetur, unde manaret demum atque exhauriretur caeca vis mali. Sed haec quis adeat? quis sustineat? qui suasisset, aut administravisset, certe non defuit. Sed etiam si idem ipse Vir huic operae, pro defangendis quoquo pacto doloribus non difficile annuisset: caeterum sodales, & in D. Laurentii Sacris aedibus antistites sui, nequaquam id attrectandum permisere. Quamobrem vivit adhuc vitae pertaesus homo, vigiliis nocturnis, molestiisque diurnis, quassus, actusque, sic, ut aridus, & squalens toto corpore, futurum sit aliquando, ut doloribus salis in modum, quod Plautus ait, liquescat. Res nota nullis non Coenobii fratribus, Medicisque Neapolitanis, quo homo miserabilis singulos consuluit, Patavinis, & Venetis, & Romanis etiam exacto tempore immedicabilis. I nunc, & affere, malum exile loco perexiguo circumscriptum,

externum, & quasi hilum in se coactum, multis & magnis medicamentis omnis generis, & exquisitis cessurum! Sed enim opinor spiritale malum, id est, auram fumidam & nitrosam, diu aliquando collectam, periostium aut os ipsum vitiasse, interim autem, ut foveatur & conservetur ab effluente & perenni sub venis materia perpetuari, atque persistere. Quapropter remediis semper exsiccantibus agitatum malum, nedum non elevatum est aut fractum, sed fotum etiam atque auctum; fortassis autem serapia Fumariae majoris compositionis; ex aqua fontana balnea; aut lactis asinini usus; commodiora fuissent.

Sed venio jam ad *alteram*, quam relaturus promiseram, Affectus consimilis *enarrationem*. Dominus Antonius Lombardus, venerabilis Sacerdos, & curator Plebanus, in Sacris aedibus Sancti Angeli ad signum, septuagesimum annum attingens, homo plane melancholicus, habitu mediocri, sed dimensu procero, corporis: septem ab hinc annis dolorem, prunae modo flagrantem, ac perurentem persentire perpetuum; apud Franciscum Nolam, & me Medicos amicos, saepe conquestus est. Qui omni remediorum genere pulsus, nusquam excussus est aut levatus; tantum venarum summis per commissa rite multa Cardui pericarpia compunctis, molliri tantisper acerbum fervorem afferebat; sed mox tamen recurrebat infractus dolor; ut gravius torqueret; ita ferox ejusdem, ita solida semper perstitit, causa, quam equidem ad scaturiginem, & ad affluxum interiorem referendam certus sum. Porro seni sub umbilicum affatim irrequieta micabat arteria; indicio scilicet, quod fumidus ille spiritus ater, teterque, plurimus utraque vasa, sed maxime arterias distringat, atque distineat; ex qua aura discoquente suggeritur perenniter alimonia morbo. Hunc ego sane, quemadmodum & priorem hominem, curassem: sed vetulo, nescio quam ob causam, nostra exaudita suasio non est. Ita scilicet ad sensum hominum cadere darique consilia debent, ut suscipiantur, & ineantur. Habes jam duos mirificos, & sortis agnatae casus, quos equidem *Impressuras* afficientis mali vocavi propterea, quod impressum semel parti vitium, tum causa assidua fovente, tum remedio non attingente, nusquam emotum perstat, etiamsi a spiritu natum.

His adjicimus sequentia. *Perdolens impressura* & contumax, ex non cognita, vel causa, vel generationis modo, nobis observata supra vesicam; quae, post tentata in cassum multa praesidia generosa, brevi fomitis igne discussa est, in melancholico quodam viro, cujus nomen non annotavi.

Scipioni de los Previte, Fractensi tonsori, *perdolens Impressura* fuit ad indicem digitum extremum, quam ex usu *gummi*, seu *spuma venenata duorum draconum*, sustuli: adeo haec mala grandia medicamenta requirunt.

*Atrabilaria impressura* in vulva uxoris Caesaris Fortunati, nullis unquam vel valentissimis medicamentis emota, post diuturnos lancinatus foeminae miserae mortifera. Porro tam ope medica indelebilis haec noxa, ut ad τ βασανισιν fascinum nos aut incatamentum magicum dicemus, retulerint plerique. R.P. Benigno minoritae observanti, ex oppido Castellucii, intra podicem, *perdolens impressura* sic pertinax fuit & infesta, ut candens ferramentum passus immitti fuerit, in Coenobio crucis, non sine cruce. Verum hoc praesidio sic constanter est sanatus, ut nunquam amplius ad se redierit dolor.

CAP.

## CAP. XI.

*De Carunculis, ad exulceratos abditos canales corporis adnaſcentibus.*

EXulceratis particulis plerumque viſum exſurgere carnem ſuperfluam, quod fit, ſcilicet, quia multa veniens in alimentum portio, quae viſcida eſt, coagmentata ſaepe cumulum aliquem facit. Verum ſubſtantia, aut modus non unus ubilibet eſt. Canalibus, qui membranei, nerveique ſunt, ſuus & proprius eſt accretus. Sic ad urethram, quam acris & faeda, ſub Venerea contage, proluvies exaſperavit; frequentiſſime ſuccreſcunt carneae quaedam ligulae. Quanquam autem auctor eſt Jo. Riolanus, *l.* 3. *anthropologiae c.* 30. chirurgicis indoctis catetherem adurgentibus imponere renixu carunculam naturalem, quae valvulae inſtar orificium utrumque claudat; ne urina in urinarium meatum effuſa, poſthaec in vaſa ſeminaria refluat; nihilominus & hoc eodem loco vit oſas gliſcere ligulas, experimento quotidiano comprobatum eſt ita, ut haec inficiari prudens homo non poſſit. Sed & infimo inteſtino, poſt ulcera, ſubortas carneas appendiculas, & tactu digitorum, & dioptra ſaepenumero compertum eſt. Majus his omnibus eſt, quod enarrare nunc inſtituo.

Delatam ex Capuano marmoream ſtatuam, opificis egregii manu laboratam, ſed pulvere caenoque propterea, quod obruta diu fuerat, obſitam & faedatam, Joſepho Riberae pictori praecipuo perpoliendam, & exornandam, commiſerat Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dux Alcala, meus utique Dominus, rerum omnium inclitarum, & antiquitatis, inveſtigator, inter Principes Viros maximus; cui operae rite peragendae pictor induſtrius lixivium primum opificis ſaponarii parari jufferat: quod famulus ad horam quartam aut quintam in vitrea phiala delatum, & alicubi repoſitum, alter puer, forte vinum ratus, in ſtratam menſulam tranſtulit. Ad quam accedens primus Petrus Panus de los Reyes, Madritenſis, pictoris alumnus, & contubernalis, parum multae experientiae, juvenis, lixivii rubelli pro vino protropo plenum hauſtum (imprudentia commiſeranda, an excuſanda magis?) in ſtomachum demiſit: quae potio quas gulae acerbitates, quae ventriculo detrimenta, invexerit, potes ipſe tecum reputare: nimirum praeter dolorem ab uſtilagine flammeum, cordis aeſtum, ſpiritus angorem: ad haec ulceratio toto oeſophago late reſtitit, quae medicamentis ad uſturam accommodatis, ex *aceto*, inquam, *oxycrato*, *lacte*, *ſero*, gargariſatu, ac pitiſſatu, non nihil quidem principio conſedit. Verum fieri non potuit, ut brevi obduceretur, quin late circum, ad nudata cute loca, ſuccreverit inutilis caro: cujus illud experimentum fuit, quod per cereum funaliculum ſaepe adactum nonnulla extrita portio, & per vomitum ejecta eſt, hic quidem ſpongioſa, hic fungea forma. Quo ſubit id, quod narravit Albucaſis, *part.* 2. *chirurg. c.* 36. ſic ſaepe recurriſſe in exulceratas gulae radices hyperſarcoſin, ut haec igne perurenda denique fuerit in muliere, quae jam Abſceſſum hoc loco fuerat experta. Quod aegro noſtro *hyperſarcoma* tantum moleſtiarum, & in cibo deducendo difficultatis, peperit, ut ſolis apalis ovis, & juſculis diſcoctarum pulli carnium, etiam cum vi, & manu forinſecus impellente vix delabentibus, ac ſaepe etiam recurrentibus, pendula de tenui filo vita ſuſtentetur, extenuato nimis & exſucco reddito jam corpore; quod plumbeus color inveſtit. Curatus primum ab Andrea Tamajo, Sereniſſimae Ungarorum Reginae Chirurgo diligentiſſimo, & a Jacobo Sublier, medicinae ſcientiſſimo, poſtremum ad me delatus eſt, quem hiſce remediorum generibus tutatus ſum.

Principio, quoniam prima ſe offert indicatio ampliandae viae, per quam ali-

menta neceſſaria, & horum vehicula, quae potulenta ſunt, libere atque expedite ferantur: huc duo ſunt a nobis excogitata remediorum genera, alterum per cucurbitulas, ad locum ſcilicet, qui maximam anguſtiam ſentit, quod ſuperius ſternum ad ſecundam, tertiamque, coſtas eſt, oſtenſore aegro. Porro cucurbitulis, & ad anginam dilatandam vim eſſe, *ſermone de cucurbitulis in Pyrotechnia noſtra* monſtravimus, teſtimonio Aretaei, Meſuaei, Guidonis Cauliacenſis, Gulielmi Brixienſis, Joannis Arculani, Felicis Plateri. Sed & Jacobus Hollerius, & hujus imitator Ludovicus Duretus, ſimilibus in cauſſis idem conſuevere. Deinde quoniam in anguſtis urget ſolertia rebus, commentus ſum membraneum oeſophagi ductum inflatu recurvae fiſtulae diduci non mediocriter poſſe: quod cum propoſuerim plus ſemel; neque ad hanc diem aut paratum, aut adminiſtratum, eſt inſtrumentum. Quod autem ad ulcus ſpectat; ut hoc exſiccaretur, ad exteriora datae ſpongiae novae, nunc aridae, nunc ex lixivio ſalſo, aut aqua nitrata expreſſae, interne vero pitiſſatum *decoctum ligni Guajacini*, quindecies inextinctis, craſſiſſimis aeramentis inalteratum. Praeterea *fumus cinnabaris* per tubiforme inſtrumentum ore hauſtus. Denique candente auro tres circuminuſtae cruſtulae. Quae remedia atque alia dum factitantur quotidie, ſpes eſt reſtitutum iri hominem: quandoquidem ad hoc tempus, quo ſcribo, haec Typographo mox committenda, profeciſſe non parum is homo videtur.

## CAP. XII.

### *De Roſa capitis, ulcere rotundo, planoque.*

NUnc e ſpina quidem natam *Roſam*, roridam, rubore nobilem, ambitu flexili circumductam; ſed minime tamen aut ſuave halantem, aut verno decore atque elegantia perplacentem, exponam, id eſt, nullo adhuc nomine donatum Ulcus; *Roſae* nomen nunc primum auſpicatum, propterea, quod ad declive caput, & ſuper aurem, ex parva quae abſceſſit puſtula, vel thymio maligno, vel parvo herpete profectum, rotundum, inverſis plerumque oris, planum, & in tenues verrucas identidem ſublatum, ſe objicit: quod ſcaturigine fotum humoris mali ſaniem non reddit pittaciis, praeterquam ichoroden: perdolens ad aliqua tempora; nullis remediis quantumvis praeſtantibus cedere ſuetum; propterea, quod altius infixus fomes pericranion, aut cranion, ne dum cutem & carneam membranam, infecit. Adde, quod a vaſis partes bregmatis irrigantibus, quae a jugularibus profecta in anteriora capitis inflectuntur, alitur & conſervatur perpetuo. Sic vitium apparet valentibus multis cauſis immortale, vel verius cum morte finiturum, ni Chironia manus occurrerit: quod ut fiat, enimvero licebit cauſtica quidem primum experiri: ſed enim ſcalper & ignis hi fuerint, qui vehementer haerentes mali radices exſtirpare queant. Quae obſervata comprobataque ſunt a me, in viris quidem compluribus, ſed praecipue foeminis, Valetudinarii noſtri, decumbentibus. Quam rem Dominico Moſchae, Franciſco Romano, & Bartholo Capovae, Chirurgis Incurabilium aſſiduis, indicavi.

CAP.

## CAP. XIII.

### *De ossea* Tuberculi capitis duritie.

INter omnia symptomatum humanorum, affectuumque genere; si summam recte subducimus; apparebit sane rimantibus, nil non etiam incredibile in Abscessibus, Tumoribusque, fieri. Ostensurus equidem sum, paulo posterius, *ossiformes* humano corpori fieri *Abscessus*; sed hos praecurrit *osseum* ad bregma *Tuberculum*, quod in vestali foemina, Parthenophylacii Spiritus sancti Delubri Neapolitani clarissimi, primum vidi, magnitudine mali mediocris. At dixi equidem *osseum*, ut a finito genere non discederem: sed enim insolens illa durities nulli secunda visa est: quae causa fuit, ut adnotandam ipsam hoc loco judicaverim. Ex qua una re dideris interdum, haud mirum esse, quod Ovidius, mythologiarum arcanus textor, in metamorphosi, Pythagorae nostro consentiens, versos in saxa homines fecerit.

## CAP. XIV.

### *De Oculorum Abscessibus.*

SUmma boni est, acres homini contigere visus, *in hexametra medicina* Q. Serenus ait: quod cum fortasse miraris extreme dictum; te quaeso refer ad id, quod propositum est metaphysicorum initio: cognosces suapte natura affectum esse hominem ad scientiam, argumentum autem praebet sensuum dilectio, & inter caeteros oculorum, qui plurimas nobis rerum formas ostendunt. Siquidem igitur ad bene beateque vivendum adeo conducit videndi sensus; in hoc autem, cum ad caecitatem laborat, curando; quoniam maxime caecutiunt quam plurimi: ob eam rem de *Oculorum Abscessibus* inopinatis, peculiariter hoc sermone dicendum volui; natura partis sic primum adumbrata.

Sunt oculi natura sic debiles, ut ab unaquaque causarum facile offendantur, quod Hipp. *l. de medico*, prodidit. Verum ab internis multo maxime perturbantur: nam & conceptaculo magno cerebri plurimum humido substant; & laxi sunt non solidi; tenuissimis cavis & multiplicibus tunicis intertexti, vasisque duplicibus, & nervorum maxime ductibus pervii; post haec agiles, & perciti musculis ad unam quamque loci differentiam; glandularum affessu, gravibus, malis, plerisque opportuni: denique in orbita subciliari conditi, ut sint inter alia superfluitatum capitis emissaria. Quibus omnibus rebus fit, ut humorum praecipue calidorum in capite oberrantium decubitus in ipsos facile fiant; atque adeo quemadmodum Cassius, *66. suorum problematum*, arbitratus est, humores in meatibus oculi defiguntur, atque offarciuntur ita, ut, calore per obstructum intro coercito, cum perspirare non possint, vehementer exardescant & efferveseant; quam ob rem oculi, qui sub his sunt, gravissima phlegmonarum & Abscessuum pericula sunt incursuri: quae pericula quidem Hippoc. *l. de veter. medic. num.* 32. prodidit haec; *quaecumque fluxiones ad oculos vertuntur, ut fortes, & omnigenas acrimonias habentes, exulcerant quidem palpebras, erodunt autem aliquorum genas, & sub oculis, & partes ad quascunque tandem influxerint, rumpunt; ac peredunt eam, quae oculum ambit tunicam; dolores autem & ardor & inflammatio extremae adsunt aliquandiu, donec fluxiones fuerint concoctae, & crassiores redditae, & lemae ab ipsis exstiterint; fit autem concoctio permistione, temperaturaque mutua, & quasi coctura.* Haec Hippo-

pocrates. Atque haec una quidem ratio, ſed aliquanto mitior eſt malorum, quibus oculi noſtri patent.

Alter modus eſt. Celſi verbis dicam, *oculos inflammatione occupante, ubi cum tumore, in his dolor eſt, ſequiturque pituitae curſus nonnunquam copioſior, vel acrior, nonnunquam utraque parte moderatior; cognitam hanc* M. T. Cicero 23. *epiſt. l.* 16. *Epiphoram vocavit*. Differt igitur hic modus ab illo, quod in poſteriore confertus, & praeceps eſt ex capite pituitae raptus in oculos; in priore vero ſemel ſimulque non fit omnis affluxus. Haec ſecundum influxus modos expenſae *Ophthalmiae* prima dioraſis eſt. Altera ſecundum Celſum partitio eſt, qui *triplicem* omnem *Ophthalmiam* fecit, ῥιώδην, fluidam, ξηρὰν, aridam, φθινώδην, corruptivam: imitatus primum Hippocratem, qui alia praeter haec genera non cognovit. Sed nos ſingulas explicemus, Cornelii ſententiis, ſi quando incidet, incidet autem ſaepe productis atque expoſitis. Humida ſeu fluxilis *Ophthalmia* diſcreta eſt tumore ac fluxione. Tumor has habet differentias, modicus amplus; mollis durus; longus brevis; oculum occupans alterutrum, vel utrumque. Fluxio duplex, lema, & lachryma; haec quidem ex ſeroſa portione ſanguinis; illa vero ex craſſa, & glutinoſa. Lema ſic dirimitur, alba, mollis, ſicca, multa, pauca. Lachryma vero ſic diſtinguitur, multa, longa, calida, ſalſa. Horum quidem hi ſunt modi, circa quos ſuos eventus, & temporis & viae terminique praedictiones, tradidit Cornelius; pro ut varie miſcentur, ſibique ipſis occurrunt, notatae differentiae. Si enim ſimul haec *coeperint*, id eſt, lema alba, & mollis, lachrymae calidae miſta, tumore minime duro perſtante, longi morbi metus non eſt; quod evenit, quia ſimul convenientia haec robur virtutis expultricis oſtendunt, non ſine humorum lenitate ac benignitate; & quia ex laxo tumore effluit tum craſſa, tum tenuis portio recrementi; non poteſt non breviuſculus eſſe morbus.

Videtur autem in hoc Celſi prognoſtico aliquid, quod diſcrepat ab Hipprocrate: ſiquidem hic ponit in hypotheſi lachrymam non valde calidam; Celſus vero ſimpliciter calidam: ſi igitur legatur, ut Hippocrati placuit, multo certior eſt problematis noſtra ratio. Aliud addidit Hippocrates, quod oculus agglutinatur: idque fit propter lemam mollem, & agitatam. *Ex adverſo*, inquit Cornelius, *ſi lachryma multa ſit & calida, lema pauca, tumor modicus, unum utraque oculum occupaus, longum vitium erit, ſed periculo tamen vacans, & dolor vix ante vigeſimum finitur; nonnunquam duos menſes protrahitur, ſed quandoque finitur*. Fit autem id potiſſime, quod materiae ſatis in capite corporeve ſubſit, minime autem foras educatur, praeſertim per unum oculum; longe autem à periculis eſt homo; quippe qui effluxum habet omnibus modis, neque etiam urgetur dolore, qui ex adducta ad oculum & non educta fit ſuperfluitate. Eſt autem diverſa non nihil haec praedictio apud Hippocratem; quod hic obſervans vigeſimum indicationis diem, cum non finitur, tranſcurrit ad quadrageſimum: qui ſi non judicatur, ad ſexageſimum diem producit. Aliud addidit Senex, interea temporis, cum ad vigeſimum perventum eſt, ſordem ſive lemam obſervari oportere: nam cum deſitura haec eſt, alba & mollis apparet quaſi concoctionem conſequuta.

Pergit Cornelius; *ſi lema, alba, & mollis eſſe incipit, lachrymaeque miſcentur, aut hae ſimul utrumque oculum invaſerint: poterit quidem affectio brevior eſſe, ſed periculum ulcerum eſt*. Verborum haec ſententia nullam, me judice; rationem reperit: quin contrarium dictat eventum ejus, qui expreſſus eſt in codice, quando lema alba & mollis, quae caloris nativi vigentis eſt ſoboles, & concoctionis perfeae comes; ulces adferre non debet. Quodque difficultatem auget, cum hae praedictiones translatae *ex Prorrhet*. Hippocr. *dicto loco*, ſint: longe

ali-

aliter quam, ut ibi leguntur, fiunt hic expoſitae ; quare facient haec , ut homo titubet facile ſuper Cornelii doctrina . Sed equidem hoc non committam , qui videam ſectatorem hunc inter omnes Hippocratis fideliſſimum ; dicam vero mendum in hac lectione valde probabile , tum inquam interpunctione , tum depravatione ipſa verborum . Interpunctione quidem . Namque ubi haec ſententia primum incipiens diſtinguitur per finale punctum ; debet eadem legi dependens à ſuperiori ſic , ( *ſed quandoque finitur , ſi pituita alba , & mollis eſſe incipit ; lachrymaeque miſcentur*) deinde ubi legitur ( *Aut* ) reponendum eſt ( *At* ) tanquam contrarium aut diverſum quidpiam ſubſequatur . Quam codicis lectionem eo equidem affirmatius judico retinendam, quod & nullam jam , aut priorem patitur difficultatem, atque illa ipſa eſt , quam Hippocrates reliquit . Quid igitur hac re certius ? aut opinione noſtra verius ? Difficultatem, inquam, non ſentit lectio : & praeterea ratione non caret ſua : quae ratio eſt haec . *Quandoque finitur , & vincitur diuturnitas ophthalmiae , ſi pituita alba & mollis eſſe incipit , ſubeunte ſcilicet maturitate humoris morboſi* . Id vere, quod ſequitur ; *ſi lachrimaeque miſcentur* ( equidem interpretor ) *ſi ſeroſa lachrymae tenuitas , craſſitudinem nacta , viſcidior ſit reddita :* id quod Hippocrates dixerat ; ἐν τῷ δακτύλῳ μύσσεται.

Deinde cum dixit ex noſtra caſtigatione Celſus; *At ſi ſimul hae utrumque oculum invaſerunt , poteſt eſſe brevior* : conſentaneum id rationi vides : quando diviſa in duos oculos materia facilius excuti poteſt : *Sed periculum eſt* . Hoc extulit Hippocrates comparata ἐπικινδύτεροι γίνονται ἑλκοῦσθαι, quod moderatius eſt, & explicatius . Sed enim utrumque ſua ratione fulcitur . Nam multa materia longinquo tempore pergens, & utrumque oculum occupans , ut aliquid nitroſitatis, aut uredinis, nanciſcatur eſt facile ; quapropter exulcerare poteſt.

*Pituita autem ſicca , & arida, &c.* Jam ab his tranſit Celſus ad praedictiones *Ophthalmiae ſiccae*, dicitque, ſi lema ſit arida, *duo futura* ; & quod dolorem inducet vitium , & quod citius expedietur : idem niſi tamen interea exulceraverit ; atque ita ſuccedat *tertia Ophthalmiae ſpecies* . Demonſtrabimus haec nos vera . Dolor quippe ſequitur *Ophthalmiam ſiccam :* quod partes occupatae tumore ſunt adſtrictiores, non laxae : adeoque cum ſit eadem intentio , feret haec continuo triſtificum ſenſum ; erit tamen valetudo brevior , quod humoris fluxione parciore manente, nihil eſt, quod prorogare malum poſſit . Verum tamen id periculi ſubeſt; ne ulcus obrepat, quippe cum aſpera ſua natura ſit fluxio : quid mirum , ſi exaſperare poſſit ? magis autem, quod humor expeditum in horas exitum non habens , nitroſitatis & uredinis initurus eſt aliquid . Vel dico cum ſiccitate conjunctam eſſe poſſe ſalſedinem, quae ſuapte natura exulcerat.

*Tumor magnus* . Altera Celſi praedictio . *Ophthalmia ſicca* , doloremque non movens , periculo vacat . Rationem habes ex proxime ſuperioribus, dicens; periculum quidem exulcerationis eſt omne, haec autem ex una proficiſcitur acrimonia, quae nulla poteſt eſſe cum dolor non eſt : ergo &c. Atque haec prima praedictio eſt de *ophthalmia ulceroſa* . Sequitur alter fluxionis modus.

*Si ſiccus quidem , ſed cum dolore eſt , fere exulcerat ; & nonnunquam ex eo caſu fit , ut palpebra cum oculo glutinetur* . Hujus ipſius ſententiae haec eſt ratio : quod dolor oriri cum non poſſit ex nulla ſolutione , ac diſtentione : eſt enim tumor ille ſiccus : caeterum oportet acrimonia agnoſcat , adeoque exulcerabit : atque inde fieri poterit, ut oculus cum palpebra conglutinetur ; ſicut perfecto conglutinari conſueverunt , quae mutuo ſe contingunt ulceratae proxime partes , ut anguli labiorum , digitorum , &c.

*Ejuſdem ulcerationis* . Sed & malos adhinc eventus docet praeſentiri : quorum pri-

primus est. Si praeter magnum dolorem lachrymae salsae, & calidae fuerint, aut si tumore nullum finem habente, lachrymae diu cum pituita profluant, periculum est, ne palpebrae simul, & pupilla exulcerentur. Haec quidem difficilia persuasu non sunt, expensa symptomatum vi, & superfluitatum oculi nitrositate, & caliditate. (*Aut etiam si, tumore jam finito, diu lachryma cum pituita profluit*) si cum dolore conjuncta sit in *arida Ophthalmia*, lachryma salsa calidaque aut si tumori non excusso lachryma cum lema diutius effundatur, idem ulceris periculum oculum manet.

Harum praedictionum prior pars facile suadetur ex calidae salsaeque lachrymae erosione. Posterior vero pars plana fit ex communi ratione excrementorum; quae cum putridi nonnihil habent, per sanam partem adluentes exulcerant, ut in fonticulis vulgo dictis. Exulceratum autem iri pupillam periculum est propterea, quod tumore per oculum manente diu, ex hoc lachryma profluens; acris, per pupillam descendens nil contineat, ne hanc exulceret. Notandum autem, quod Hippocrates per species, & distribute, protulit, Celsum complexim enunciasse. Dixit enim ille viris quidem palpebrarum eversionem, mulieribus vero, ac pueris, exulcerationem, & palpebrarum eversionem. Dixit vero hic infinite, exulcerationis tumor in palpebris pupillisve est, non sine artificio scilicet compendii; licet explicatior Hippocrates. *Pejus etiamnum est ubi &c.* Praedictio sequitur absolutae ulcerationis non evitabilis ex hac hypothesi; *si lema sit calida* (fortasse *pallida*) namque Hipp. χλιαραὶ; *lachryma calida, aut multa, in capite persentiatur aestus; defrendere de temporibus ad oculos dolor videatur; vigilia comitetur: sub his necesse fuerit oculum disrumpi, ac tandem non exulcerari.* Horum certe necessitas est haec. Siquidem maximopere consentiunt ad oculi exitium omnes causae, tum partis mittendis, tum excipientis, tum viarum, & humoris. Mittens quidem pars, est princeps, propterea robusta: recipiens vero cum exanguis & excarnis, ex adversa debilis, capax, laxa, subdita in proclivi; viae apertae, & natura ad transmissum humorum expeditae; humores ipsi, tum copia multi, tum qualitate acres, & erosivi. Jam igitur haec omnia collecta quasi manu si conspirent; quae vis obstiterit contra? quid auxilii succurrere possit?

Addit; *Intus ruptum oculum febricula juvat.* Aliter Hippocrates in *lib. 6. aphor.* 17. in quo monstratum est, solvi hanc *Opthalmiam* alvi profluvio. Sed quod Celso rupturae verbo est, taxat Marsilius Cagnatus, *lib. 7. var. obser.* 27. & ex hoc Viro transcribens Hieronymus Rubeus, dicit, haec ex Hippocrate translata, non recte satis suam ad sententiam expressa: nimirum Hippocrates scripsit febrem conducere ad oculi tutelam, ne rumpatur, non ad rupti medelam. Sed solvit tamen idem ipse suum nodum; quod oculum rumpi Celsus intellexit, id quod ait Hippocrates ulcus fieri: & idcirco non simpliciter dixit rumpi; sed intus rumpi, id est, continuum solvi, quod autem sequitur apud Celsum, (si foras jam ruptus procedit sine auxilio est) idem esse, interpretatur Hieronymus, quod apud Hippocratem ῥαγῆναι rumpi, & pertundi, velut acinum uvae pedunculo educto. Hanc autem praedictionem Hippocrates ad hunc modum extulit. Quibus rumpuntur oculi, & postea prominent, ut extra locum oculus sit, his & tempore, & arte opem ferri non datur ad hoc, ut videant. Cujus utriusque rei communis ratio plana est: quod effusus humor, & oculi substantiae pars, nullo unquam modo redimuntur; dirupto autem oculo, substantiam hujus abjici necessarium unusquisque videt.

Si de nigro aliquid albidum factum est, diu manet. Cum dixisset de aliquo oculi ulcere sanabili; subdit nunc de cicatricibus ab ulcere relictis, quam rem expressit Hippocrates ita: si splendicans cicatrix in nigra oculorum parte fiat, partem

tem aliquam nigredinis dealbat adeo, ut si multo tempore permaneat, & aspera, & crassa, memoriam sui relinquat. Differunt autem haec Auctorum sensa, quod Hippocratis una praedictionis est sententia, quam Celsus divisit: deinde εἰ πολὺν χρόνον παραμένει per hypothesin dictum, Celsus fecit eventus. Ratio autem Celsiani dicti est; quod extrema cum sit mutatio de nigro in album, tempore brevi non videtur posse restituere oculum. Deinde addit; si asperum, & crassum est: id est, si cicatrix aspera, & crassa incumbit, etiam curatus oculus hanc non deponit. Per id enim extreme ulceratus oculus apparet. Atque hactenus bona malave, seu fluidae, seu siccae oculorum affectionis, & inflammationis, habes omnia.

Post quae si placet, & *Curationis modos*, quos Hippocrates tradidit enarremus. Ait is, *aph.* 31. *l.* 6. *Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venae sectio, aut medicamentum epotum solvit*. Qui aphorismus, ut dicam, quod sentio, visus est inter omnes lapis offensionis: sic in eodem enarrando titubarunt plerique. Primus Celsus auctorem suum propemodum accusavit ἀορισμοῦ, & neglectae distinctionis & absolutionis. Galenus vero, quasi non ausus magistrum reprehendere, vel diffisus a reprehensione defendere, professus est, haec eidem empirice collecta, nec non experiendo singulatim tentanda. Sed Aetius quasi reformidans vinum merum, quod Hippocrates explicate tradidit; praecepit, ut diluatur aqua: deinde monet, ne si expandatur in caput hominis lippientis facile laedatur. Quae monita sequitur & Jac. Hollerius. Ad hos vero Hieron. Mercurialis miratur, ecquo pacto Hippocrates solo proferat enumeratu genus omne remediorum, quae conducunt oculis male affectis. Id autem aut solenne vulgaribus, & indoctis, qui nulla sibi proposita medendi norma, nulliſque perquisitis, aut rite consultis variorum affectuum indicationibus, iis offerunt remedia, quae tantum usus medendi comprobarit. Post haec aliud quasi denuo meditatus Mercurialis, non dubitat suadere nouis, Hippocratem haec scripsisse ad Medicos ocularios, & empiricos, qui plerisque maximis indiscretis corporum circumstantiis, certa quaedam remedia ad eorum affectus adhibebant.

Sic isti omnes: post quos alius quispiam & rationes meditatus proponat, quae sint propemodum ejusmodi. Primum enim, quod de mero proponitur, insolens videtur, quandoquidem Homero *l.* 5. *Iliados* appellante αἴθοπα οἶνον, ardens vinum, inflammationem augere, nedum non levare natura comparatum est, qua causa & venenum oculis dixit Valerius Martialis. Quod si devenis ad nostros Medicos: Archigenes apud Galen. *l.* 4. *de comp. medic. per loca cap.* 1. decrevit oculorum phlegmonis aquae potum inter caetera, quae memorat, in primis convenire. Quin etiam idem ipsemet Hippocrates, *in l. de affect. num.* 2. scripta reliquit haec, vinum in capitis doloribus per partem illam calefactam, & humori attrahendo aptam, non est exhibendum. Haec & hujusmodi, quaedam non obscure laesa, summi Dictatoris auctoritate, tum isti, tum alii nostri Professores adstruxerunt; qui suam inconstantiam liquido monstrarunt. Non ita quidem nos, sed medicinae parentis effata oraculi loco suspicientis optimam ejus particulae interpretationem allaboravimus; relatis interim aliis omnibus, quas alii quilibet in medium protulere.

Galenus quidem partitas fecit opthalmiae curationes ex mero, ex fomento, ex balneo, ex detractione sanguinis, ex pharmaco, distinctis secundum causam antecedentem conjunctam, defluxus tempora; secundum, in summa, quantitatem, aut qualitatem humorum: nam ubi peccent humores acrimonia, plenitudine non conjuncta corporis, tum conducibile balneum est. Si vero succi crassiores oculorum venulas distenderint, nulla toto corpore plenitudinis affectione apparente; meri

potus hos excutiet, ut quod attenuare, ac vacuare, motuſque vehementia obſtructiones expedire queat. Ad firmitatem autem curationis, & certitudinem proponitur & fomentum, vel uſu dignoſcendi, vel curandi, gnoſticum quidem via tentativa, ut cum uſu praeſentis medelae levatur homo, moxque recurrit dolor: argumento eſt fluxionem adhuc vigere; quare affectu jam cognito ad inanitionem aliquam corporis converti ſcopum oportet: nam ſi plenitudo ſubſit, neceſſaria eſt ſanguinis detractio: ſi vero cacochymia ſe prodat, purgatio. Ut vero therapeuticum aliquod probatur fomentum, cum partem infeſtat fluxio. Tunc enim humorem in anguſto contentum digerit & abducit. Hic Galeni logiſmus, & haec expoſitio eſt. Alia methodo viaque progreſſus eſt Ludovicus Duretus graviſſimus Hippocraticae doctrinae Profeſſor, quae eſt. Fit Ophthalmia multis de cauſis; primum ex decubitu acrioris & erodentis humoris, cum affectu vitioſo corporis & capitis; ad hanc opus eſt cathartico. Deinde ex diſtenſione tunicae adnatae ob vehementem ſanguinis affluxum; cui commoda ſanguinis eſt miſſio, tum univerſalis, tum particularis. Ad haec ex implicitis ad oculos atque irretitis craſſis humoribus, aut flatuoſo coemento; his remedio erit meri potio, alias vero balneum, quod materiam primo fundat, mox reſolvat. Poſtremo ex humorum bilioſorum atque acrium impactu: huic affectui fomentum aliqua commoderandi virtute conducit, quod communi omnium, & ſolenni ritu, fit ex decocto foenigraeci, meliloti, & hoc genus.

Aliam rationem adiit Jac. Hollerius, laudatiſſimus Hippocratis interpres: quae eſt; ſcilicet variae ſunt oculorum dolentium cauſae, quibus ſuae ſingulis occurrunt medendi formae. Cauſa primum antecedens amolienda; quaſi plethora quidem eſt, haec ſanguinis miſſione tollitur: ſi cacochymia ſit, haec purgante medicamento reſolvetur: eadem vero cauſſa conjunctae, ſi craſſus & tenax humor ſit, meri potione tum attenuabitur, tum diſcutietur. Si tenuis, & acris, & mordax is humor ſit; accommodato ſuo fomento caſtigabitur. Si vapor aut fumida materia ſit, quae organo ſe miſcuerit; balneum ad hanc rem commodiſſime deligetur. Hae multorum interpretum enarrationes ſunt: per quas omnes neque recitatae nuper ambiguitates eluuntur.

Alia igitur ineunda via eſt, quae luculentam huic Problemati conferat enodationem. Primum igitur ſtatuendum eſt, dolores oculorum aliis acceptos, pro doloris latiſſimo quodam vocabulo, qui ad morboſam affectionem ſe extendit: ita Jac. Hollerius, & Jo. Heurnius. Vel minus late, & ſpeciatim pro *Ophthalmia*: quod Celſus, & Galenus fecere. Nos dolores oculorum intelligimus pro *Ophthalmia* diuturne, & pertinaci, conjuncta cum pluribus affectibus, id eſt, plenitudinis, & cacochymiae; cum apparatu ſuccorum acrium, & craſſorum: plenitudo autem non ſolum ſit corporis, ſed totius corporis, & capitis; ex quarum cauſarum omnium incurſu facili negotio ruptum iri debeat oculus: quemadmodum ex eodem Hippocrate oſtenſum eſt. Quocirca dolores intelligas diſcriminis nomine propoſitos.

Secundo ſuppones in hac Ophthalmia tantum eſſe cauſae conjunctae, ut venulae oculorum diſtentae turgeant humore plurimo.

Tertio non ignorabis, vinum Veteres cum uſu balnei miſcuiſſe: quam rem teſtatur Andreas Baccius in ultimo libro de Thermis, & Jac. Hollerius hoc eodem loco.

Quarto ſcire licet, vinum veterum, meracum & vetuſtiſſimum fuiſſe, & ſubtilitate partium cuncta medicamenta ſuperare potuiſſe; praeſertim, quod potum alimenti cauſa natura hoc amice complectitur.

Quin-

Quinto vero constitue balneum esse corporis universi remedium ; fomentum vero particulare. Sed balneum liquat funditque succos ; fomentum discutit: hoc quidem minime cognoscente sensu; illud vero tum cognoscente, tum secus.

His omnibus ante propositis videbis, discrimen inter nostram & aliorum expositionem esse, maximum, nimirum plerique omnes volunt singula illa remedia disjunctim administranda: nos vero, vel conjunctim omnia, vel plurima. Siquidem ex hypothesi Ophthalmia haec discriminosa plurimum est, tot tantarumque causarum, & affectuum concursu ; plenitudine corporis totius, & capitis, causa antecedente; conjuncta, infestante secundum quantitatem, & qualitatem ; tum crassam, tum tenuem. Ad plenitudinem autem sanguinis valet sanguinis detractio; ad universale vero vitium humorum in corpore redundantium, conducit purgatio. His, de more, praemissis universalibus & communibus medicamentis : caeterum humores crassi ac viscidi stabulantur intra venas; adversus quos peccantes conferet meri potio : ad evocandos autem extra venas mirifica vis est balnei, quod tum evacuat, tum revellit, tum a corpore, tum a capite, quo capite inanito, ad tumorem hujus excutiendum usus summi fomentum est. Ita suum singulis beneficium pro vario Medici scopo adimplentibus, solvitur Ophthalmiae diutinus dolor. Id quod confirmatur. Nam illa tandem est felix methodus curandi longas & periculosas Ophthalmias, quae ipsam mali causam exhaurit & ex toto undique corpore confertim, & ex ipsa singulariter parte, simul revellendo : obsecundat autem trahenti libenter evocatus humor, & viae patent. Atqui methodus Hippocratis praestat haec singula, sicut ostensum est: igitur, &c.

Deinde confirmatur, quod vinum, quale deligebat Hippocrates, vetustate elaboratum, atque, ut ita dicam, aethereum redditum, non laedit, aut ferit caput, quemadmodum, neque spiritus vini: verum tamen eadem tenuitate permeat facile per vias urinae: atque ita serosos acres humores Ophthalmiae causas educit, ut in diaetetico chirurgico demonstravi.

Tertio confirmatur nostra haec expositio : nam per hanc maxime servatur auctoritas Hippocratis veneranda, tollunturque singulae obtrectationes, quae derogabant fidei aphorismi. Prima Celsi, qui imputat Hippocrati inexplicationem : atqui sic satis explicita videtur ejusdem sententia. Secunda Galeni, qui voluit hunc empirice traditum aphorismum, constat autem ratione munitissimum eundem esse. Tertia eorum, qui vinum volebant aqua diluendum & modificandum, metu fortasse inflammationis. Est quidem merum abstinendum ad inflammationes, & Ophthalmias recentes, non ad eas, quae sunt inveteratae, pendentque plurima parte ex crassis succis. Atque adeo non contradicit sibimet Hippocrates, aliter loquutus *in secundo de affect.* nec eidem Hippocrati incommodant allegatae adversus oculos vini noxae ; quando apud antiquos medicatus usus meri longe alius fuit. Jam igitur si constant haec, ut constare satis possunt: quis est jam, qui de aphorismi veritate ambigat? quis Hippocrati non applaudat, & accinat?

## CAP. XV.

### *De aurium Abscessibus.*

AUriculae, quae nulla prorsus carne participant, quibus modis Abscessus ineant, & in quo sinu primum excitam saniem, quae in dies multa fluit, contineant: & a nemine video satis explicatum, & difficile id expeditu sentio. Comprehendit autem & haec res problemata perobscura, minimeque a nostris adversa:

quae tamen reſolvi nonnullius momenti ſit. Quas ob cauſas in talibus periclitari meum ingenium facile paſſus ſum, qui res tritas atque vulgatas non ſequor. In univerſum ergo mihi videtur externus hic affectus, & a cauſis cieri ſolitus item externis; ſi id quod plurimum accidit, intelligas: nam & interne conſentiunt interdum. Ad hunc autem modum, ut puto, ſe res habet. Ubi calida vi conciti ſuccorum ichores ad exteriora, & ſuperiora ſunt elati: tunc hos frigidum ſuccedens exprimit: quos natura, quae parti inſidet, in locum maxime pervium & ſinuoſum remittit, hae ſunt auris partiumque ſuarum laxitates atque compagines: enim vero Anatomica fide cognitum eſt, auriculam velut extremum tubae, quod ipſum reſectum concipe; commiſſum quidem cum pericranio, ſed cum hoc admodum laxe coagmentatum & conjunctum; quam rem oſtendit luculenter mobilitas quoquo verſum actae particulae. Inter haec igitur auris internae praeſegmina ſeſe colligit humor e venarum oſculis effuſus, cujus pars & in declivem organi tubulum refunditur. Neque enim, ut multi ſibimet ipſis ſuaſerunt, ex internis auriculae latebris humor eliſus prodit. Sic enim plane muti, ſurdique omnes, quibus ſecundum interiores aures illuvies purulenta fuerit. Verum enim vero quaerenti, num aliqua ſit pars, quae peculiariter Abſceſſum concipiat: protinus reſponderim, illam non deeſſe. Refert enim Jul. Caeſar Arantius tum in *libro de tumor. cap.* 25. tum *l. de anat. obſerv. cap.* 29. in auris anteriore particula ſitum quoddam adenoſum corpus ſolidae ſubſtantiae replens cavitatem, quae ſupra maſſeterem eſt, multis uſibus ſerviens. Primum vaſorum jugularium ad ſummum caput contendentium diremptui muniendo. Deinde articuli motui per madorem perpetuo refuſum conſervando. Tertio ad retrimenta, quae ex eiſdem vaſis emanant, ſuo ſinu colligenda. Haec igitur una ſedes eſt, & hic locus, quo primum advectae materiae ſuppurantur. Argumento autem eſt, quod ſi ſtagnantes hi ſinus manu comprimantur, pulſus humor ſurſum ex auris concha efferetur facile.

Eſt autem affectus ſubcutanei plus centeſima obſervatio per me facta: quorum experimentorum jam aliquot memoriae ſervata narrabo. Primus fuit ſodalis Franciſcanus Conventualis in Divae Annae, cui Dionyſio nomen, patria Cremenſis, atque alii duo Incurabilium Valetudinario decumbentes, Anno 1624. quorum alter Joſephus de Eriodo Eubulita homo; alter Joſephus Sanna adoleſcens Apulus Thranenſis. Quartus Leonardus Durandus, Jatrochymiae & rerum naturae ſtudioſus, qui ex parotide, ac maligna febre mortuus eſt. Porro, quod ad parotidas, ſcire licet; has raro, qua extuberant, aperiri per ſeſe, ſed per viam obliqui ductus effundi: quemadmodum ante de purulentis auribus explicui.

Verum enimvero non diſſimulabo, quae tranſvadentes introrſum extrorſumque meatus in auriculis perſuadent. Primo compreſſis naribus, atque ore ſurſum compulſo ſpiritu, purulentas aures exhauriri prodiderunt & Razes, qua de hoc eodem affectu tradit; & Meſueus *l.* 2. *Grabadin partis primae ſum.* 2. *c.* 8. quos ſequitur & Nicolaus Florentinus *ſerm.* 7. *tract.* 4. *ſum* 2. *cap.* 54. quam nos rem, periculo in multis facto, veram comprobavimus. Inter caeteros memini Domini Hieronymi Montaquilae Sacerdotis Regularis, quem apoſtema poſt aurem expertum, cum Excellentiſſimo Medico Sebaſtiano Vecchiono, curavimus. Itemque comperimus in Felice Paduano Tabularum aenearum ſculptore, & in modo memoratis hominibus, atque aliis compluribus. Deinde Alchmaeon Calaber Crotoniata rei Anatomicae primus auctor, Philoſophuſque, vel ab Ariſtotele celebratus: ſicuti ſcriptum eſt in *libr.* 1. *de natur. animal. c.* 11. capras non ore ſolum, & naribus, verum & auribus ſpirare ſentiit. Quam rem aliquando admonitus Bartholomaeus Euſtachius, ſeculi noſtri ſtudioſiſſimus, idemque ſubactiſſimus Ana-

to-

tomicus inventis explorate viis ſpiritus, hoc ipſo ſermone de auditus organis mirum in modum admiratus eſt, habet autem uſus in medicina praeclaros. Horum unum, & admirabilem indicavit Auctor *l. de rem. fac. parab. ad Solo. c.* 10. qui vel ex hoc Galen. aut magnus homo cognoſcitur, quod ad dolentes Aures citra ulcus ſulphur ignem non expertum per nares interventu calami inſpirat. Sed & Guljelmus Rondeletius *in practica method. c. ſexto* ſcripſit, maxime conferre ſternutamenta tinnitibus aurium reſolvendis, ſi frequenter excitentur: nam ſtatus, ait, cerebri non minus per aures, quam per nares diſcutiuntur.

Haec illi: quae quanti ſint ad noſtra deprimenda momenti jam vides. Spirare apud Alchmaeonem noſtrum interpretor, & ſpiritum auribus allidentem, & ejus omnes modos ſentire: quod Virgilius fortaſſe cum Crotoniaca conſentiens dixit haurire. Donata vero capreis nimirum ardua petentibus, ac de ſumma rupe pendentibus, (unde capricioſa dicuntur ingenia) κατ' ἐζοχὴν diſciplina, quae alioquin eſt & damis, cervis, leporibus, ut per hunc exactiſſimum ſenſum ſe ſuamque vitam maxime tueantur. Sed & animantibus omnibus ad diſciplinam aptis haec dos non deeſt. Equus quippe meus inter multos ſagaciſſimus, ſed quia cantherius, & nigro univerſo tegmine amictus, id eſt, exuſtus, & melancholicus: ob haec pavidae naturae, & ad omnia antrorſum ſemper arrectis auribus incedit, ut differentias omnes ſpiritus, id eſt, rerum captet. His jam apparet nil nobis Alchmaeonem noſtrum contradicere.

Sed neque Rondeletii doctrina quicquam adverſus nos facit: quandoquidem infinite tenuior eſt ſpiritus, quam humoris purulenti ſubſtantia. Poſt haec autem cum Razae, & caeterorum Arabiſtarum huc producitur experimentum: illud hac ratione explico. Siquidem ore naribuſque compreſſis compulſus ad ſuperiora ſpiritus partim tenduntur muſculi temporum auribus affinium; partim interne diſtenditur auriculae tympanum: itaque compreſſa externe, expulſa interne, ſanies, ſic foras non exilire non poteſt. Non igitur illud fit, quod ex inferioribus tympano ſinubus erumpat per obtenſam organo membranam, ut falſo quidam exiſtimarunt.

Caeterum, quod dixi, parte auriculae ſubcutanea procreari ſolitum Abſceſſum, & quod ſuper tympanum externe conſcendens ſanies expreſſa pellitur, non ex interioribus venit (nempe ſic prompta ſurditas) non ſic intelligendum eſt abſolute, ut non interna etiam ſub auricula creari poſſit Abſceſſus: quo tempore occupatis a ſanie membranis, neque etiam ſequitur ſurditas perpetuo; quippe quod interdum educitur ſanies vel per rarefactam membranam, vel per rimam inter porum auditorium, & os calvariae. Scribit autem Fallopius annulum, quo tympanum continetur, eſſe cartilagineum non oſſeum, nec conjunctum ſic cum oſſe calvariae, ut non ſit contiguum: in pueris autem ſeparari facile poſſe. Confirmat haec & Rodericus Fonſeca in *conſil.* 39. *tom.* 1. quae propterea retulimus, ut ne videantur contradicere noſtris. Quamquam nihil in Medicina perpetuum dixit Celſus in prooemio generali: & nos ea, quae plurimum, & frequentius accidunt, producta volumus. Sic de aurium abſceſſibus, & horum problematis expeditam brevi rem habes.

## CAP. XVI.

### *De Scliroſarcomatis gingivarum.*

PRoditum eſt a Bartholomeo Euſtachio id de dentibus; ad horum praeſepiola ſaepe, tum multum effluere gypſeae pituitae, ut ſinubus ipſorum repletis dentes a vinculis exſolvantur, foraſque ſenſim propellantur. Mea vero eſt obſerva-

tio,

tio, ex eadem eluvie pituitae concrementum enaſci carneum ; ſubrubrum , progerminum, quod interdum galli coronam, interdum oſtracodermi carnem purpuream refert. Hoc genus *epulidem* noſtrates Medici nominant, verum qua recte viderint. Etſi enim epulis excreſcentia quaedam eſt carnis : haec tamen ſuccedit ad male purgatam & minime reſiccatam *Parulidem* , quae , Paulo & Aetio teſtibus , inflammatio quaedam eſt particulae cujuſpiam gingivarum. Utraque autem expullulatio quaedam eſt ſanguinis, & calida ἀποσημασία quae Pauli eſt doctrina partim *in l.* 3. partim *in l. 6.* deſcripta . At vero , quod nos proponimus Germen , eſt carnis nulla unquam praegreſſa phlegmone, ſed ſola humoris viſcidi craſſique ſcatebra profectum: quod genus σαρκόδη βλαστήματα Galenus vocavit *lib. de tumor. praet. nat. c.* 21. παρόντιδας vero , latino non invento nomine , dixit Cornelius Celſus, *libr. 6. rei medicae c.* 13. Non difficile autem eſt , ut Germen latiuſculum intellexerit carnis; quandoquidem ait; ſi major is tumor eſt, commodius totus exciditur ſic, ut ex utraque parte dens liberetur . Quod ſi minor interdum etiam hic tumor a Celſo deſcribitur: id propterea non facit , quo minus & major hoc genere comprehendatur .

Recte igitur Aldinus uterque codex, id eſt, Venetus , & Romanus παρόντιδας, non *parulidas* legit: quod nomen perperam reponunt primus Joannes Manardus *l. 7. Epiſt.* 2. mox Gulielmus Pantinus, & Robertus Conſtantius in ſcholiolis. Neque enim quicquam facit, quod apud Graecos id nominis non extet . Nempe fieri potuit, ut neque omnes iſtorum libri ad nos pervenerint ; praeſertim Alexandrinorum, quos ubique citavit Latinorum antiquiſſimus Celſus . Jam vero, quod aſſeruit hic Auctor vocatas a Graecis *parontidas* : id adſtruit & vere vocatas, quippe ſuum nobis abunde teſtimonium ſatisfacere poteſt. Quid quod recte formatum , apteque impoſitum nomen videtur *parontidum* , id eſt , poſiti juxta dentes affectus, vitiive ; qua de re laudo ſummopere conſtantiam Balduini Ronſei , viri medius fidius de Medicina bene meriti, qui *parontidon* nomen mutari nullo modo paſſus eſt. Quod ego Germen , tum ex ſubſtantia , tum ex duritie *Sclirosarcoma* vocandum judico: quale ferme deſcripſit idem Balduinus *in hiſtor. medicinal. miſcellaneorum* 7. aut quale narravit Felix Platerus, *in obſervat.* Sed & quaecunque nos ejus generis curavimus, omnia citra phlegmonem evenere . Quae , ſi placet, experimenta de plurimis ſelecta narremus.

Perſiae Peregrinae conjugi Michaelis Angeli Pinti , trigeſimum annum natae , ad antepenultimum molarem oblique nata caruncula , principio lentis magnitudine, mox dimidiae fabae modo. Quod concrementum a Medicis , & Chirurgis , leniter tractatum , & per medicamenta plurima non repreſſum, intus, extraque ſepta dentium excrevit ſic , ut molarem altera parte revulſerit , & contorſerit ; quo tempore infrenabilia profluvia ſanguinis exſtiterunt: atque eo magis verenda, quod cumulatiſſime praegnantem offenderunt, a qua jam ſarcina diu levata ; ſed incremento latiore ſarcomatis, & putore ſaniei, quam grypi duxerant, afflicta & pertaeſa : jam me ferramenta liquido adhibiturum accerſit . Quibus ego tum frigidis, & reſcindentibus, tum igne retorridis varie, atque apte, adminiſtratis, viraginem alioqui foeminam ab annua , & amplivaga noxa liberavi; collega ad eam rem Joanne Dominico Malliocho efficacis Medicinae cumprimis amico . Quo ipſo item praeſente , & Jo. Baptiſtae filio Adreae Piſicelli, octavuum annum nato; ſcirrhoſam iſtiuſmodi carunculam , mole quidem aliquanto minorem , ſed pro immedicabili ab aliis ſummis Chirurgis relictam , ſemel igneo diſcindente ſcalpro curavi . Poſt hos erit tertia filia Tonſoris, Antonii Fuſci, quam rem *in l. privatae chirurgice c. de ſarcomatis gingivarum* expoſui . Sed aliis nominibus admiranda narratio

fue-

fuerit de Victoria Antonii Conradi Sartoris filia, quae ad hunc se modum habuit. Maxilla inferior dextri lateris mirum in modum turgida vitium alebat; qua molaris secundus est. Hic si ferro plusculum attrectaretur, audiri tum fragor, & resonitus vaginulae veluti quassae. Ita scilicet minus amicus dentium complexus erat, quamobrem de excutiendo saltem uno molari alioquin infirmiore significatum a me est: qui sic quidem haerebat laxe, ut matris manu per filum fuerit exemptus. Sic carnis inutile glomer, quod radicibus extracti dentis exultaverat, tractari commodius fuit adeoque refectum primo per scalprum, mox ignito auro repressum est: quae cum semel opera exhauriendo vitio non satisfeciſſet; rursus ac tertio repetita est. Mirumque fuit, ut extumescens diu facies, atque etiam maxillae turgor residere, brevi sunt visae; quamquam ad exteriorem malae faciem & medicatae cinnabaris fumo spongiolae, & diapyriti emplastra, & ex plumbo hydrargyroque conflatae lamellae, nonnihil adjumenti dedere. Quas meas omnes administrationes, & curationes confidenter admittendas, atque exsequendas, parentibus suaserat excellens in arte medica vir, Horatius Thesaurerius Salernitani Collegii Doctor. Ad haec exempla possem & de caruncula spongiformi dicere, quam Illustri foeminae Victoriae Pyrrhoniae de primo molari dente subduxi. Quibus jam omnibus expositis experimentis, satis perdiscere potuistis, initiis, materia, substantia, magnitudine, more, atque aliis accedentibus propriis, & privatis *Sclirosarcoma* esse. Tantum abest, ut de *Parulidis* genere sit, quod firmatum aliorum opinione fuerat.

## CAP. XVII.

### *De Genuini Dentis eruptu, ementiente Abscessum.*

GRaves, ac perdolentes singulorum Dentium omni aetate sentiuntur exortus: in quibus scilicet excludendis, magnus in dies a natura commissus apparet conatus. Ex qua causa febres, aestus, convulsiones, languor, & immutatio multa corporis visuntur: in pueris maxime; de quibus Hippocrat *in libr. 3. aphor.* 25. Narravit autem Ambrosius Paraeus, *in lib.* 23. suorum operum *cap.* 57. complures teneros suos natos ad usque fauces orci perductos, una vi prorumpentium denticulorum: usque adeo ut scalpri necessitas fuerit expediendis obicibus, & habenis ipsorum. Quam rem & Andreas Vesalius *in l. 1. de fabrica corpor. humani c.* 11. docuit; atque etiam Alexander Benedictus *in* 8. *lib. de cur. morb. c.* 18. & post hos omnes Jacobus Fontanus *in l. 1. pract. med. F.*

Sed ne minus quidem molestus est proruptus dentis prudentiam ducentis (*sophronisterem* Graeci dixerunt), sub obduratis aevo membranis, dum vigesimo post anno, aut etiam trigesimo contingit; sub quo tum inchoante, tum in dies augescente, Abscessus, musculorum massaterum distentus, & genarum gingivarumque tumor non exiguus, cum oris maxillarumque impedimentis, adveniunt. Quibus omnibus fit, ut parum experti Medici nil discernentes aetatem, affectiones habitudinemque corporis, circumstantias denique rerum obtuse perspicientes, ad multas sanguinis detractiones, ad solennes corporis expurgationes, protinus accedentes, illud operis, quod a natura sedulo curatur, pro Phymate, proque inflammatorio Abscessu, tractant: ex quo genere, quod hisce diebus evenit nobili Decio Favillae, Neapolitano, supra quintum & vigesimum annum nato juveni, narrabo. Doluerat homini diu multumque forinsecus commissura malarum, interne vero molarium utrorumque confinium parte sinistra, propterea scilicet, quod extremi mola-

ris

ris nuper exerti menſula parum exerta, ac tantum non gingivae fibrulae contecta, cibos ſolidiores nedum commandere non poſſet, ſed graves etiam diſtentus noctu diuque ſentiret. Cum vero, ſub ſemitecta particulae lacuna, ſanies aliqua collecta putorem redderet; opinio multis fuit ulceris, aut fiſtulae. Ego vero, perſpecta re, continuo ſuſpicionem exurgentis Dentis *ſophroniſteris* objeci; qua ſic, ut abſurda re audita, decurſum eſt ad demoliendam incumbentis gingivae particulam, qua confecta re continuo quidem putor, ac dolor; abjicere: verum ad extremum luculenter apparuit, affectiones omnes malas ab una dentis eruptione productas. Sic luſae ſaepe ſententiae, quae firmamento nituntur aliquo, praeſtabiles exitu ſeipſas produnt: & contra falſa, quae primum ſpecie probatae fuerunt: ad extremum leves & inanes deprehenduntur. Quae de ſenilis dentis eruptu primo relata volui; ut ementitam Abſceſſus imaginem praemoniti ſint inexperti quicunque. Porro quemadmodum Gemmarius artifex lapides Orientis pretioſos ab his omnibus, qui nexiles, aut culti non ſunt, ſecernit, atque ſecludit; ita & qui de morboſis affectibus agit, ementitos a legitimis ſejungere debet.

## CAP. XVIII.

### *De lepido Sarcomate, ſeu ſquamiformi Tumore bucci interioris.*

POſt illud vero, quod modo audiſti, ſemiputridae pituitae Germen: tradam & alterum loco quidem proximum, forma vero, & materia, longe diſſitum. Homini cuidam ſtatae aetatis, corporis aliquanto procerioris, nigris oculis nigriſque capillis, venis ad brachia manuſque extantibus, colore fuſco, melancholico ad ſummam habitu; gena tenus dextera interne, magna velut incluſa offa, ſublatum Tuber carneum, globoſum quidem initio, mox, ligulae cujuſdam craſſioris modo, ad guttur oblique flexum, multos jam annos, cum incommodo multiplici loquendi, mandendi, deglutiendi, perlatum fuerat, a Medicis omnibus pro immedicabili relictum: cum ad me, & ad Flamminium Craſſum, Calabrum Tropienſem, Curtorum inſtaurandorum peritum ab homine, qui noſtram operam etiam in arduo negotio expertus fuerat, miſſus eſt; quem nos inito conſilio curandum ſuſcepimus, juſſum interim, & ſuaſum, firma ſpe ut eſſet ſui breviſſime reſtituendi. Quibus ille malum, ait, omne futurum ſua miſeria levius. Ventum ad agendi commenta, ac rite paratis omnibus, quae neceſſaria viſa fuerant, collocato jam in humili ſella homine, diductoque ad proximam operam ampliter ore, per miniſtri manus, & lignea forficula conſectum eſt glomer carneum, acuto ſcalpro, qui primum obtuſus eſt, cum offendit ad aliqua, quae mox referam. Nempe reſciſſo per vim majorem & firmiorem toto *Sarcomatis* corpore, in conſpectum ſe dedere ſquamae propemodum oſſeae, perſperſae per ipſum, nulloque ordine diſpoſitae ſic, ut hirtum hortenſis braſſicae thyrſum referret. Res oſtenſa multis amicis Medicis, qui nulla non admiratione ſunt completi. Sub exſectionem, aut poſt ipſam, offenſa nulla praeterquam aliquid ſanguinis effuſum eſt, e reticulata quadam vena, quam vitii creditam nutriculam, cauteriolo ad id parato, facile repreſſi. Vixit autem exinde homo minus pro menſe liber, famulus & pediſſequus Illuſtris Viri Fr. Horacii Majorani, ex ordine militum Melitaeorum, jam vetuli. Rem quam, annorum duodeviginti memoria, vidit Joannes Baptiſta Nauclerius, vir praeter multam rei phyſicae ſcientiam optimis moribus excultus.

CAP.

## CAP. XIX.

### *De ſubatro Farcimini ſimili Tumore.*

PRodidit memoriae Thomas Cneulinus auctor, ab Joanne Schenckio, *in opere medicin. obſervat.* ſaepe relatus, puello nuper in lucem edito, vivido & eleganti, ſub dorſi finem paulo ſupra coccygem; viſum *tumorem Farciminis* modo exſtantem, e quo, Chirurgica manu aperto, ſaniei modicum effluxit, quo rurſus, aliorum Medicorum conſilio, funditus exſecto, quarto poſt die puer jam noviſſime relictum reviſit Orcum. Id ad unguem, ut nil ferme detrahas. An. 1621. evenit filiolo Domini Flaminii Conſtantii, criminum Quaeſtoris, in magno praetorio probatiſſimi, quem *atro cruentum inteſtinulum*, cum contra ſentiente Tarquinio Mokio, Chirurgo ſatis perito, diſcidiſſet alter quidam, non poſtremae notae Chirurgus; lepidiſſimo protinus puello (proh facinus) tenue vitae ſtamen incidit. Vidi & ejuſmodi aliam quaſi *jecinoris ſubatri fibrulam* fronti appenſam, in puellulo nuper nato Antonii de Luca, in Valetudinarii Sancti Angeli ad Nilum ordinarii noſoduli. Item in tenerrimo infantulo Hieronymi Dentii, quotidiani in Parthenophylacio Spiritus Sancti obſonatoris. Atque item filio Franciſci Albini, Fabri ſtannarii, ad ſubſellia Portus Neapolitana: atque in aliis aetatis primae puellulis, ſed maribus perpetuo. Ut jam conjicere liceat ex multa tum materiae, tum facultatis attrahentis vi, talia concrementa naſci: quae aceti ego faecula, & diluto vividae calcis ſpongiolis accommodatis & hujuſmodi medicamentis exſiccantibus ſaepe diſcuſſi.

Atque hactenus quidem de lacteolorum homuncionum *atroſanguineis Abſceſſibus*: nam & natu grandibus, ac bene firmis hac coloris ſpecie vidi nonnullos; inter caeteros quale morum ſeminaturum coloratus, varicoſus, & pulmonis inſtar laxus tumor de ſuperioris labri angulo Eſcharae marinae ſpecie pendulus eſt, illuſtris & integerrimi Conſiliarii Santelicii, ſorori germanae; qui tumor cum vulgare mulierum verticillum in praeſenti ſuperet magnitudinem, fuit & quo tempore vix etiam Juniperi baccam attigit: arbitror autem, (quod nemo propter atechniam referendo diſcrevit) ortum habuiſſe ex tenui varicula, quam affluxus poſtmodum humoris multus ampliavit, atque diſtendit ſic, ut formanti voces, & manducanti nonnihil incommodum, & grave ſit additamentum.

## CAP. XX.

### *De Faviformibus Abſceſſibus.*

FAviformes Abſceſſus vocavi ſubputria quaedam & caeca ulcera, quae circum adductis digitis primoribus expreſſa ſanioſum mucorem forulatim reddunt, ad eum prope modum, quo favus mel. Adveniunt autem plurimum poſtica corporis parte a cervicibus pone dorſum ad uſque coccygem, ſenibus, aut grandi jam aetate hominibus, qui craſſum & ſemiputrem ſanguinem cumularunt. Ego vetulos homines, qui labem hanc ſubiere poſſem numerare quam plurimos: ſed paucis ero contentus.

Primus, quem adhuc juvenis ad curantem magiſtrum Julium Jaſolinum obſervavi, fuit Horatii Cytharellae Medici pater ſeptuagenarius: qui cum eo morbo in dies proſerpente commortuus eſt.

Secundus ab eodem praeceptore curatus Hieronymus Albertinus, Vir patri-

cius octogenario non minor, qui ab eodem affectu spathulas graffato praereptus est.

Tertius Martius Cinnamus, sexagesimum annum natus, qui secundum cervices id vitii perpessus distentiones exitiales jam a Medicis interminatas incurrisset, nisi Chironia, per nos, opera succursum esset; cujus rei descripta plene legitur Historia libro *Pyrotechniae nostrae Chirurgicae cap. de Anthracibus*; enimvero sic ibi cum vulgo Medicorum appellare libuit eos, qui nonnullam cum Anthracibus cognationem habent.

Quarta vetula fuit monacha veneranda Parthenophylacii Spiritus Sancti, cui Franciscae Castigliae nomen, secundum cervices etiam experta saevituram in mortem affectionem; nisi, provido equidem consilio, totum ulceris ambitum ad radices usque praesecuissem.

Quintus Melchior de Gaudio, supra sexagesimum quintum annum natus; qui vir etiam ad inion foraminosum hoc malum sensit, liberatus item a me vi scalpri.

Sextus Marcellus Ferrellius, custos nostri Valetudinarii, septuagenario major; qui binis ad nates *amaris* ejusmodi *favis* post importune suppressam a se scabiem, postque diram, in scroto, sedeque, feliciter a nobis curatam gangraenam, gravatus est.

Post hos omnes, ultima recensebitur Catharina Scarpata Cler. Francisci Antonii Masulli mater, quinquagenaria; quae ab amico quodam nostro, in Chirurgia satis exercito, valentissimis quidem medicamentis, sed sine respectu diu curata, vitam prius, quam sinuosum mali fomitem reliquit.

Porro sis admonitus velim, malum hoc spongiae, favique modo, perfractum; propterea, quod secundum omnes suos cuniculos expurgari probe non potest, putredinem nutrire latentem; qua sensim ἄνω καὶ κάτω proserpens, affatim ampliato vitio serpit, ac debiles homines febre, doloribusque, opprimit; quamquam non ita eos, qui robore valentes reperit. Adversus quae discrimina nostrum est experimentum, vel ab initio scalprum; & post hunc, si multa vitii vis exegerit, ignem etiam salutariter adhiberi; pauco & momentaneo doloris saepe dispendio, periculis praesentibus inclusam vitam facile vindicaveris.

## CAP. XXI.

### *De vastissima Omphalocele atque Enterocele.*

PAtiemur & in hos quoque sermones aliquando veniant *Abscessus, qui sunt cum illapsu partium certarum corporis:* has κήλας veteres Graeci nominaverunt. Ex his autem omnibus formis commemoranda esto, multo ante tempore a me notata, *Omphalocele* atque *Enterocele*, quotquot cernere licuit vastissimae: nos umbilicarium *Ramicem* prius exponamus. In Parthenophylacio Spiritus Sancti, Virgo fuit adolescentula, (Sabellae Carbonae nomen) cui ab assumpto leviter veneno, concitatis cum vi plurima vomitibus, & inconsultis, sicut in casibus hisce fit, ejusmodi concussibus corporis: ad umbilici laxitatem, partem agitato ventriculo proximam, diruptum est principio, parte tenus aliqua diploidis, peritonaeum; quam inchoatam unitatis solutionem imprudens puella victu promiscuo ciborum flatulentorum, & frigidae potibus intempestivis; nec non ex catarrho, cui se subdidit, & consequente, quam acetariis fovit, tussi; non mediocriter promovit; usque adeo, ut ab *Exomphalo* in luculentam devenerit *Omphalocelen*: quam fatua

puel-






A. Umbilicus. Abscessu. Protractus.

puella, prae rubore, nulli Medicorum oſtendente, ac negligente, ſub pannis etiam fuit facile deprehendere nobiliter extuberantem : quo tempore admonita ( ſodales etiam ad ſuadendum hortatae ) ut obligaculis *Abſceſſum* reprimeret, & cohiberet, atque etiam, ut ſe curari permitteret : levitate neſcio dicam in foeminis miranda magis, an miſeranda, rem in contemptum in dies ponens; tandem ſupplicium incuriae pleniſſime tulit. Porro *Abſceſſus* in magnitudinem excrevit non mediocris utris, aut diſtenti potius ferrarii follis, ut Figura refertur. Nam mirum eſt ſane quantum impellentibus interne inteſtinis poſſit diſtendi cutis. Viſus enim Neapoli, plurimos annos, inops homo; qui nudata publicitus *Enterocele* medio tritici pari, ſtipem in triviis emendicabat. Itemque fuit alter, cui laxatum cum hypogaſtrio ſcrotum, obtecto undique pene, ad media uſque femora, lato circumambitu, deſcendebat. Illud autem non dubito, ex diſtracto, ſeu quod perdoleat, ſeu quod praegravet, tum epigaſtrio, tum hypogaſtrio, concitatos ex ſuperioribus, interioribuſque confluxus humorum aſſiduos ; unde tam multa Sarcomati facta fuerit acceſſio. Quod idem in Bronchocelis compertum a nobis alias narravimus. Sic major admiratio Sarcomatis, quam ingentis inteſtinorum dilapſus eſto, ejus rei Picturam appoſita Figura, offendes.

## CAP. XXII.

### *De Abſceſſibus perinaei, ani, & partium proximarum.*

NOn ſunt autem in his omnibus praetereundi Perinaei, affiniumque partium, Abſceſſus: quorum & naturae conſideratio, & propria curandi ratio graviſſima eſt. Prius autem agendum eſt de natura ad quam conditio partis privata, cauſa, & effectus modi, pertinent. Sunt hae partes, ut quae diſtendi ad uſus, mox contrahi debent, ad ſpiritus excurſuros, recurſuroſque, poroſae, ac laxae, ſummo Naturae ſtudio comparatae ; ad quos ipſos meatus cum illuvies putrida, ſeu corrupti ſeminis, ſeu materiae purulentae, quae de veſica, aut urethra exulceratis pervenerit : haec viſciditate ſua prompte ſub anguſtis locis adhaerente, ac quotidianis ſe additamentis tollet ſic, ut aliquo poſt tempore computreſcens Abſceſſum faciat Cujus & carunculis, quae per tubulum colis expullularit, ſaepe cauſa eſt. Siquidem obſtructa per ſe fiſtula, quae per hanc effluxura fuerat, ſanies ſubiens alio, quae proximae viae ſunt; huc divertens, atque conſiſtens Apoſtema creat, cujus jam procreandi modum quaeſieras ante.

Sed illud inſuper intelliges eiſdem, quas retuli, cauſis naturalibus nimirum, & praeter naturam, vocatis fieri; ut non uno ejuſmodi Phymate contenta ſit materia, quae diffluit : verum pluribus etiam excurſus faciat : uſque adeo, ut cum unum ſcilicet ex his ſumma cura perpurgaveris, ſubinde Tuberculum aliud proximo loco appareat. Idque tertio, quarto, quintoque, viſeris. Quae res curatori Medico fiduciae plurimum adempſerit. Quam ob rem natura in curando, ſeu potius praevertendo providentia opus eſt, quae, meo quidem experimento, multis conſtat adverſionibus.

Prima ut ſimul ac hiſce partibus quid vitii doloriſque ſenſerit is, qui difficultatem mictus experitur: has continuo fluxiones revulſeris ac diverteris vomitionibus, dejectionibus, ſudoribus, vinculis, frictionibus, omnibus denique averſionum generibus: victus quoque modum praeſcripſeris, quo minus alimenti cauſae morbificae ſuggeratur. Ad haec & affectus hic morbiferus tollendus eſt, ingenti cura deſtructis ulcerum carunculis, expeditiſque viis &c. Atque hi quidem occurrendi

modi ſunt adventanti malo: ſed enim, ubi vel non principio curaveris hominem, vel ſic curato facere non potueris, quo minus Abſceſſus plenis ſe incrementis provexerit: tum alter prudentiae modus eſt, in effluxu ſeſſine dando, nam neque ad ultimam maturitatem ſinendus eſt idem. Verum, ubi ſe ſuppuratae ſubſtantiae portio ſub cute prodiderit, continuo per ſcalprum aperies Phyma: quod tu quidem, tum accommodatis medicamentis exacte expurgabis; tum victus potuſque parcitate ſiccabis. Non nimium autem utili eſt expreſſio, qua pari doloris detrectatu nonnulli medentes abſtinent.

Multo autem omnium maxime neceſſaria eſt ſinuum quorumlibet praeſertim ad alterum reſpondentium. Ad hunc quidem modum Joannem Donatum Corregium, Bergomatem Civem, induſtria & virtute ſua nobilem, ſeptuagenarium prope hominem, ex multiplicibus ad ſcrotum, atque interfemineum, Abſceſſibus; per quos ampliter urina defluebat; ex vicennali veſicae purulentia profectis, liberavi. Cui curationi interfuerunt ab initio, Marius Schipanus, & Aloyſius de Gratia, Medici noſtrae urbis conſultiſſimi. Aliter vero curatus Surrentinus ille Patritius, Cognatus Illuſtris viri Domini Antonii de Bologna, fiſtulam in medio cole, longos in annos duraturam, ſervat. Quod dictum volui propter eos, qui leniſſima curandi ratione delectantur. Caeterum iſtiuſmodi fiſtulas, per quas urina deſtillaverat, in Valetudinario nonnullis ad unitatem perduximus; quod Thomas Zampalia, civis Montecalvenſis, Chirurgus diligens, pro re admiranda praedicat, habetque inter omnia vere maxima. Haec jam de Perinaei Abſceſſibus, & vomicis; monitus eaſdem ferme de ano ſtatues obſervationes. De his autem Langius *l. 3. epiſt. 4.*

## CAP. XXIII.

### *De Elephantia privato pedum Tumore.*

CUm de vaſtis quibuſdam Tibiarum Abſceſſibus aliquando retulerim: conſentaneum rationi viſum eſt, ut dicendum eſſet quod de *Tumore pedis* ampliſſimo, calli modo praeduro, intime craſſo, concolore, ac non perdolente: in quo ſi quidem ulcus, aut prurigine, aut extrinſecus aliter, excitatum ſit; hoc cum priore malo ſit inſanabile. Accidit autem hoc mali genus melancholicae quidem craſis hominibus, cujuſque vitae generis & inſtituti; ſed potiſſimum inopibus & victu quocunque contentis. Hujuſmodi autem, in Valetudinario, nobis occurrerunt complures. Inter caeteros unus, cui vis Abſceſſus pollicem admodum ad interiora retraxerat. Hujus autem cauſa continens non omnibus judicibus una eſt: aliis referentibus ad humorem melancholicum; e quibus eſt Haliabbas *in* 8. *Theoricae*: aliis, quorum unus eſt Avenzoar. 2. *Theiſir. tr.* 7, *c.* 26. *P.* ad craſſos humores promiſcue: aliis ad phlegma gypſeum, aut glaſteum. Avicenna vero *l.* 3. *fen.* 21. *tr.* 1. *c.* 16. dixit *Elephantiam* additionem eſſe ad pedes accidentem modo varicum. At vero Guido Cauliacus *in tract.* 2. *doctr. c.* 7. ſingulari quadam opinione cenſuit, *Elephantiam* eſſe carneum quoddam additamentum in pedes ac tibias, ultra dimenſum proprium, ſed ſimilem pedibus elephanti.

Cui placito firmiter adhaeſit Rembertus Dodonaeus, profeſſus inſuper incrementum hoc eſſe, non ex humoribus quidem qualitate peccantibus, qui ſint ad eum locum affuſi, ſed ex ſuperfluo ad partem illapſo alimento nondum tamen rite agglutinato; quo copioſius huc adjecto, pes craſſior ac veluti praeturgidus redditur ſuperioribus particulis, ut alimento deſtitutis, magna ex parte extenuatis. Quamquam autem Guidoni placuit, & tibias eſſe his iiſdem affluxibus incrementi partici-

ticipes; nihilo tamen minus, ait Dodonaeus, ſibi perpetuo partes ſuperiores viſas extenuatas. Addit autem ad haec Rembertus, pro modo praevalentis auctricis facultatis, haec incrementa pedum evenire; quae quidem opinio, niſi fallor, & ex Felice Platero videtur deducta, rem hanc ex profeſſo diſcutiente, *in tomo 3. prax. medicae, titulo de Extuberantia*, qua de cauſis affectus diſputatur; opinio profecto non aſpernenda: quam propterea retuli libentius, quod noſtrae de carniformibus Abſceſſibus ſententiae non parum ſuffragatur. Suadet autem, & ad confirmationem facit; quod gracilibus corporibus accidiſſe nunquam viſa eſt affectio: plurimum autem ſupra mediocritatem plenis corporibus gaudet, quam tum equidem obſervatione mea conſequor. Qua cauſa mihi viſus eſt hoc morbi genus expertus, aliquot ab hinc annis, Dominus Franciſcus Caracciolus, Binetti Marchio, vir alioqui belle procero, atque aeque ſecundum latum perfarcto corpore: cujus morbi curationem, quam reſcripſi conſultus; tum quia plurimum huic loco congruit eadem; tum, ut me multorum labore levem, huc libuit referre, quae fuit.

Hippocr. *l. 2. prorr. num. 17.* conſtituit, Abſceſſus, & ulcera, rite dignoturis, ſpectandas eſſe primum hominum naturas, aetates, & habitudines, quae meliores ad eadem perferenda ſint, aut deteriores: deinde perſpiciendos eſſe locos, quibus haec acciderint. Subdidit autem ſpecies hominum commendari, quae leves ſunt, & commoderatae, quaeque viſceribus non ſint vitiatis, aut malis obductae coloribus. Horum aliqua, ſi nos obſervare curemus in Illuſt. Viro; difficiles hercle curandi conditiones offendemus. Nam, quod ad naturam corporis ſpectat, haec non levis, & commoderata, ſed contraria prorſus apparet. Ex viſceribus vero ſi ſit unum aliquod, quod non bene habeat oportet, quale equidem puto jecur, cujus vitio proferentis humores ineptos fit, ut hos natura non amplexetur, ſed ad ſubjectas ſibi partes deponat; quam tranſmiſſionem promovent, foventque, multa primum humorum plethora, cum ſuperfluitate multa conjuncta; exemplo vini, cum dolium magnum complentis multa ſubſidet faecula. Praeterea favet Abſceſſui proclivitas & imbecillitas partis recipientis, unde dixit Hippocrates, quod morae fiant in ipſis & recidivae. Favet & robur partis mittentis, quod eſt jecur impenſe vegetum ac magnum. Adjuvant & vicinitas; & viae brevitas; & humoris gravitas, & hypoſtaſis, quae nutu facili vergit, ac pene procumbit ad inferiora. Ita conſentiunt ad hunc unum defluxum cauſae multae, quas omnes, aut plurimas quantumcunque, licet Medicus prudens incumbere, aut etiam retundere debet.

Igitur, ut jam ad Curationem deveniam; appetente proxime vere, quod commodiſſimum tempus puto: minuenda nimietas eſt, & plethora, ſanguinis pluſculis detractionibus ex utroque brachio: & poſtquam etiam cacochymia fuerit elevata per accommodatos corporis eruderatus: ſub haec ex venis ſedis etiam eliciendus eſt ſanguis; deinde decocto *Sarſaeparillae & Chinae radicum, & Rhapontici*, quod a Dioſcoride ſuiſque maxime commendatum eſt, ad defluxiones cohibendas, atque ad humores fervidos contemperandos; additis herbis aliquot aliis, aut harum ſuccis peccantes viſcerum dyſcraſias commoderantibus, ad viginti dies utetur: at non ſine ſudatione competente; quam plenitudini minuendae neceſſariam ſtatuo: quas ſudationes eodem inanitionis nomine ad Anianae Cryptae, quae in agro Puteolano eſt, mirificos evaporatus captabit. Interim optima victus ratio ciborumque parcitas amice colitor. *Vinum* pauciſerum cum *lixae Rhapontici* portione, tum prandio, tum coena bibitor. Omnibus autem modis ſi contra radix recens, vel conſervae, vel zulapii, vel aquae ſtillatitiae, vel lixae modo parata, uſui eſto quotidiano; eſto magno hanc uſui futuram conducibile & pro comperto habetur.

At-

Atque haec quidem universi corporis Medicamenta sunt. Caeterum extumescens membrum procurandum ita videtur. Primum fonticulus, ut cum praeclarissimo collega Stephano de Rinaldis decrevimus, de loco inferiori tibiae, qui nimiis humorum incursibus patet, ad supremum femur interceptus gratia transferendus. Spongiis vero ex aqua nitrata expressis fovendus, in singulos dies, crebro pes est. Rondeletius ad pedum oedemata *lixivium* commendat *cinerum sarmentorum*, & hujusmodi, ex quo etiam madefactum exsiccatumque tibiale, dies ac noctes, indutum geret. Sed duo subeunt hic advertenda: alterum quidem, ut topici medicatus non administrentur, praeterquam ubi diu multumque, tum plethorae, tum cacochymiae consultum, satisfactumque, fuerit: alterum, ut ab hoc tempore nullus sit metus superdandorum exteriorum, quantumvis adstringentia, atque exsiccantia, sint. Etenim non placet consilium illorum medentium, qui, postquam corpori providerint, unis, quibus unice confidunt catholicis remediis, caeterum partem, quae languore pressa est, immedicatam relinquunt, per epithemata praecaventes ad interiora recursum humoris, qui longo jam tempore fuit castigatus, atque repressus; atqui, ut unaquaeque pars de universitate corporis est: sic junctim cum illa gaudet curari. Haec quidem ego in Illustri persona; qualis quidem, ut Celsus ait, fieri non potest, ut sine verecundia curetur: verum durioribus efficacissime medicatus sum, ad inguina setis affixis Chirurgicis, & ad partem extumescentem facto crebro scarificatu, & per fomitem a me dictis usturis: de quarum omnium rerum administratione mox in *Efficaci Chirurgia* nostra, propediem edenda, leges.

## CAP. XXIV.

### *Super Syphilide morbo, selectae aliquot Adversiones.*

### §. I.

POst haec omnia non indictus abibit mihi *Venereus*, qui totus *absessorius* est *Affectus*; dignus profecto, qui, dum consistat perpetuo, ab optimis ingeniis observetur, ab industriis quibusque scriptoribus pertractetur. Primum autem Theorema esto de natura ejus & vi, quae summam ob suam insolentiam atque atrociam nulli morbo comparabilis, sed super omnes admirabilis visa est ita, ut veneno contulerint plerique. Alii vero crediderunt affectum totius substantiae, id est, qualitatum omnium exsuperantiis exercentem, ac labefacientem, temperamentum humanum; nempe nulla ex his, quas primas appellant, facultatibus circumscriptus; & fervidos evagatus, & frigidos infirmatus, laxos madores & graciles squalores, aeque parit. Ad hos accesserunt & alii, qui scripserunt affectum, ut secundum singula quidem symptomata nulla non parte perspicuum; ita secundum formam humanae menti abditum & incomprehensum. Mihi vero, post magnos Viros, explicandus, quando certe non demonstrandus, sic brevi videtur. *Siphylis, est impressura prodiens ab inquinabulo, impense putri, crassoque, & a tota substantia, oppugnante temperamentum humanum; ad partes primum spermaticas spectante, mox alias acris fermenti facultate, ac virulentae aurae transmissu pervadente; quod si intro perstiterit, nec effluxu aliquo absesserit, hepate occupato, corpus omne conterit & tabesacit.* Scire licet per *impressuram* exprimi formam ac vim apprime fixam, quae *tinctura* vocata per Theophrastum, *infectio* vulgo; nobis alioquin insigni vehementia & inaudita contumacia rectius *impressurae* nomine cen-

cenſetur. Primum quod extrinſecus inducta, ut nota quaedam inuſta eſt : deinde velut ictus morſuſque ferae venenatus, latius ſeſe promovet ac propagat; eandemque vim deleteriam conſervans, varia producit toto corpore ſymptomata, quae multo negotio vix delentur, in filios uſque tradu&ta. Quamquam hoc utique neceſſarium aut perpetuum non eſt, ut Ludovicus Mercatus *in libr. de morbis haereditariis*, oſtendit.

Aptiſſime autem inter omnes morbos, *Elephantiaſi* propter eaſdem cauſas aequiparatur ſic, ut a multis pro illa fuerit habita ; revera tamen *Elephantiaſis* non eſt. Siquidem haec definitae facultatis, & actionis eſt, ſemper cum calore conjun&tae. At vero *Morbus Venereus*, quemadmodum inferius exa&te demonſtrabimus, ſumme varius, ſecundum primas alterationes ſentitur : itemque diſſita, nec unius ordinis, ſed omnis generis, ſymptomata profert : quorum ſua, & probabilis non invenitur cauſſa. At vero effectorum omnium, ab *Elephantiaſi* productorum, ſua & certa apud omnes eſt cauſſa. Praeterea *Syphilis* partes omnes tum ſpermaticas aeque tentat, cauſſis morborum, & morbis omnibus, ad has invectis. Et, quod maxime mirum eſt; in una eademque particula, puta membrana varios & acres humores, praeſente frigido, dolores ; in diverſis vero membris plurimos cruciatus modo creat; qua res in *Elephantiaſi* viſuntur nullae ; ſicut cuique diſcurrenti per ſe ipſum eſt facile comprobare. Taceo diſcrimina duorum complura, quae Gabriel Fallopius expoſuit, leviora non dubito, ac minutior, quam antedicta.

(*Ab inquinabulo, ſeu mavis inquinamento*) cauſa ſcilicet effectrice atque materia, tanta eſt neceſſitas eaque vis, ut Hieronymus Capivaccius, ſeminarii ſolius interventu judicavit, omnia primum mala fieri, & ab hoc uno vitio ſuccos utiles corrumpi ; hac facultates impediri ; indeque caetera detrimenta in corpus derivare ſingula. Verum enimvero, quod non cauſa, ſed morbus vere *Syphilis* eſt, hoc nonnulli demonſtraverunt ; inter quos Thomas Minadous & Fabius Pacius fuerunt.

(*Impenſe putri, craſſoque.*) Hae ſunt conditiones inquinamenti *Syphilii* perſpectae; caeterum enim ejuſdem antipathia & admiranda proprietas non perſpectae. Putredo, inquam, manifeſte ſe prodit ex univerſo ſui fervoris, & acrimoniae complexu, qui Phymata, Abſceſſus, ulcera, & caries uſque oſſium excitat. Advertendum autem cum duplex putredo ſit; conſummata, qualis ab Ariſtotele definita eſt; ſemiperfecta, qualis a Galeno, ſuiſque propoſita eſt : hanc nos, qui Galeni dogmata profitemur, intelligi volumus: quam ipſam intenſa quadam ratione valentem nos ſtatuimus, propterea, quod uſque oſſa ſublevat & erodit, quid mollia & cedentia dicam ? Adhaec & univerſum corpus abſumit, niſi quemlibet effluxum nacta fuerit. Alterum putredinis indicium eſt contagioſa natura; a qua putredo non ſejungitur; ut diſerte quidem Fabius Pacius *l. de morbo Gallico*, ſed multo ſatius id oſtendit, exactiſſimus inter noſtros multos, Hieronymus Fracaſtorius, qui *l.* 5. *de contagio c.* 1. definiit contagionem eſſe, conſimilem quandam miſti ſecundum ſubſtantiam corruptionem, de uno in aliud tranſeuntem ; infectione in particulis inſenſibilibus primo facta. Sed Fracaſtorio quidem auctor Ariſtoteles, *in problematis*, fuit.

(*Partes ſpermaticas*, &c. Hac re porro nihil certius eſſe debet ; quando ſic maxime ſervatur analogia Venereae materiae ; quod ſemen eſt, ad partes ex hacce ſubſtantia conflatas, quam rem oculatus homo Franciſcus Valleſius *in librum tertium epidemiorum ſect.* 3. *ſuper hiſtoria aegrotorum* decima, diſertis hiſce verbis expreſſit; *Venere putreſcit ſemen, quod computrefacit rores partium, utpote ſuccos analogos*. Confirmatur & quod partibus ſpermaticis, id eſt, cuti, membranis,

ner-

nervis, unguibus, articulis, dentibus, ossibus, infesta plurimum est *Syphilis*; minus vero sanguineis, & carnosis. Quod si neque jecinori parcit: illud quidem non ista, sed abditæ, & excellenti quadam alia ratione fit; quae veneni est antipathia, per hac affectum principium hominem perditura: quam rei subtilitatem nescio an attigerit alius quispiam. Interim ea re sic exposita cognovisti, duplici nobis usu significationis esse spermaticas. Verum enimvero e partibus spermaticis, i. e. usui seminis universo dicatis, praecipuum *Syphilicis* considentis diversorium pono glandulas prostatas, vesiculasque parastatas; utpote quae loco, structura, & usu, ad alienam excrementitiamque rem, omnem suo sinu excipiendam sese exhibent accommodatissimas. Jam vero sic non omnes universi corporis glandulas complector, quas Pacius adstruxit propterea, quod his adstantia perpetuo vasa transcursurae labi ductus paratos praebere possunt. Porro fit alia ratione, ut etiam non seminariis quibusque viis conceptum vitium, in alias partes omnes transfundatur, nempe quod, ut adverti principio, plurima fermenti vi, & mirifica energia, differam hic cum Petro Castello, Romanae scholae doctore, & scriptore, in evincendis suis placitis acerrimo atque efficaciissimo; *in epistolarum*, inquam, *medicinalium* 3. 4. 5. in quibus unis divinum hominis ingenium facile respexerint docti. Quos enim in his disputationibus maximos ex omnibus Theologos, Philosophos, Hermeticos, Medicos, confirmatores, ac testes suos non produxit? aut, ut rectius dicam, quos horum locos ad hanc diem incomprehensos non attigit? aut quos eorum abditos sensus non aperiit? aut quae subtilissima naturae secreta non evestigavit? de *αὐτοκράτης* plaste, discretore, formatore, perfectore, moderatore, panturgo spiritu philosophatus, sed nos pathologiam hujus potius, quam physiologiam comminiscemur.

Est *fermentum* secundum praecipuam, atque energeticam suam naturam, *acidum*: sic enim, ut ipsum est, & alia coacescere facit, est autem acidi participatio certe ab aceto, quod paronymiae fundamentum praebuit, profecta. Sed aceti mira profecto est natura, quod calidi simul, & frigidi, potestatem atque effectus complectitur & comprehendit; ut a Galeno monstratum est 3. *de temperam. & lib.* 1. *de simpl. medic. facult.* Ad haec, acetum & humidum est, ut Hippocr. 2. *de diaeta*, &, eodem ibidem auctore, humiditatem consumit. Sic sitim sedat & infert. *eod.* 1. *de simpl.* Vulgata autem opinione etiam adusque tertium ordinem arefacit. Item adstricta laxat, quae methodicorum, & Prosperi Alpini, fuit opinio *l.* 19. *de medic. method. c.* 15. atque ex adverso adstringit, siquidem phthoae subvenit, quae ad unguem sententia fuit Aureolo Theophrasto *tract.* 3. *Paragrani*. Ad haec acute perrodit, *ut* 8. *simpl.* & acute perrodentes humores obtundit, densatque & gracilia reddit corpora, quod Jo. Mesueo visum est. Reprimit quoque putredinem, & corpora conservat, deinde substantiam a nonnullis exprimit, extrahitque; quod quotidianum Alchymistarum est experimentum; sed praeterquam detrahit *l.* 1. & 8. *simpl.* etiam reprimit 1. *de comp. medic. per loca.* Praeter haec & venas aperit, & sanguinem provocat: quam rem Ambrosius Paraeus, alicubi suorum operum, ostendit; nec non cohibet, cogitque, postremo exasperat, excitatque, dolorem, ut 5. *simpl.* & mitigat etiam: nempe podagram Agrippae sedavit, ut est apud Plinium. Itaque si recte summam subducimus a primo qualitatum ordine, ad usque quartas, in singulis contrarios effectus acetum promit.

Illud autem fit multas ob causas. Primum quod unum ad unguem non est: quin etiam e contrariis constat partibus, ut primo simplicium. Deinde & praeteriti status energiam, quae vini fuit, retineat conservetque nonnihil, quemadmodum ligni ab extincto igne cinis: mirum autem atque etiam mirum, quod vini calorem putredine amiserit & calorem ipsum ex putredine retinet, ut *primo & quar-*

*quarto ſimpl. & alibi*. Sic & lac poſtquam acidum redditum eſt, & dulcia aceſcentia omnia, contrarias & mirificas complectuntur in ſe conditiones: quas & fermentum quoque refert, & quae ab ipſo ſunt homologa contacta. Item & quae acetum acida & fermentum aemulantur omnia. Sic una quidem atra bilis eſt, ſed quid ipſa multiplicius & inaequalius eſt? nimirum haec calida ſimul & frigida; humens & ſicca; varia & inaequalis; neque ad unum morem determinata. Atque illud maxime fit, quia fermento, acidis, & aceto per ſimilem naturam eſt nacta. Quid igitur ſi his reſpondeat *Syphilis*? ſed reſpondet utique plurimum, ſi recte ſingula perviſantur.

Porro, ſi *Veneream luem* qualitatibus & affectionibus comprehenſam accipias, harum nulla *Syphilidi* determinata eſt: verum nunc ſub hujus, nunc ſub illius eſt forma, veluti Protheus, & Hyle, quam ſingularem, atque admirabilem, conditionem, ut indicaret Theophraſtus Paracelſus, etiam cum duplicibus antitheſibus expreſſit 2. *de orig. morbi Gallici*, dicens: in frigido quidem corpore calidum, in calido frigidum. Similiter autem ſiccus eſt in humido, quandoquidem obeſa plane corpora marcore conficit, quae res Dominico Antonio de Alexiis accidit. Itemque ſiccos multam in plenitudinem perducit: quod expertus Doctor Fulgentius Phaſanarius, teſtari veraciter poteſt. Uſque adeo, ut ne mirum quidem ſit, quod intelligentiſſimi rerum ſcriptores; alii quidem ad exſuperantiam calidam; alii vero ad frigidam retulerint, mire nocentem hominibus: hique madidatu multo, hi ſqualore intrinſecus indito, corrumpentem corpora dixerint. Deinde ſicut putredo inchoata in acido multarum eſt virium, ac poteſtatis: ad eundem prope modum computrefactum *Syphilide* ſemen, & ad hoc attinentes partes alias praeterea contaminat, & coafficit. Sed & progreſſilem fermenti vim adſcivit *Syphilis*, qua ſe celeriter in omne corpus didit, lateque diffundit: atque id quidem cum ſubjecta ſeminarii materia calidior, accommodatiorque, ſecundum caetera ſe obtulerit. Fit autem & cum ſegnior ipſa eſt, ubi torpidiores & obtuſiores ſuccos offenderit, ſub quibus ſane vim ſuam omnem expedite & cito exerere non poteſt, velut ignis nimirum, qui lignis implicitus viridibus, feſtine flammam edere non valet.

Quae communis morbis omnibus eſt una, unde *Syphilis* nos incurſet, ratio. Caeterum eſt & alia triveneſica propria, quae per inexplicabilem antipathiam ſymptomata plane contraria, tum in uno eodemque homine, eademque corporis parte, (quid autem in multis & diverſis?) producit. Haec autem apte comparari poteſt aceto & acidi ſucci portioni, qui ſolidos uniones, corallia, metalla, ſilices reſolvunt ac molliunt; mollia vero adſtringunt & indurant.

Praeter quae ſunt & alia ſubtilius eruta: in quibus conferri bina rerum capita reliquum ſit? nam quae *Syphilidi* poteſtas ac varia vis ineſt: haec & in uno fermenti acore reperitur plane plurima: quae res futuro mox ſermone pateſcet. Deinde quaeſo te qualis, & unde illa per exilem, ne indiviſibilem dicamus, micam propagatio? ut exanthematum inſtar in corporis uſque ſumma ſe rapiat, & unde? niſi a praepotenti ſeminis ſemicorrupti fermento; proruptus autem quis, aut qualis; in ampullatus varios toto corpore papularum, verrucarum; elephantica tubera; bubones; terminthos; adenas; ſtrumas; atque, ut unum pro multis argumentum feram, in Satyricos, Dionyſiſcos, atque Exoſtoſes, Gummi vulgo vocata? quam quorum oſſium duritiem ac ſoliditatem quid in altum extulerit, praeterquam unica fermenti vivida vis? quam cognoſces inſuper & *Syphilidi* praecellenter ineſſe propterea, quod eadem & ſua ſymptomata, febrem etiam, ut Capivaccius notavit, hydrargyri, tum liquor fluorque tum ὑπαρκτικὸς intimuſve dul-

cor exſolvet? nam quid ptyaliſmus ſub hydrargyro tam conducibilis, quam laxata per ipſum acoris putridi vis & compago?

Jam vero, quid fermentum apud nos, ſi recte ſententiam aſſequutus fueris, quam invecta, ſub parte plurima, vel praecipua corporis praepotens, licet non abſoluta putredo? Atqui hanc *Syphilidi* ſummam eſſe, quis homo doctus inficietur? de qua dicerem quidem quantum ſatis; ſed rem relegari ſatius eſt ad Fabium Pacium, qui diſertiſſime ſuper omnes de hac ipſa re diſputavit peculiari, quem alias memoravi, *libello de morbo Gallico*. At ne ſic quidem illud affero, voloque, ut putredinem cum *Syphilide* conjunctam opiner ſolam mali cauſſam effectricem; longe gravior, ac ſenſibus noſtris abſtrufior vis ejus omnis eſt, quam totius ſubſtantiae ſcriptores optimi cenſuerunt. Nam quid praeterquam abditae naturae medicamentis non expelli? vides etiam quos *Syphilis* tabefacit, ſuis alexipharmacis, non aliis medicamentis reſtitutos? Deinde ut tam effera, tam inemendabilis putredo, temporis momento, ſubeat corpus, & complexu Venereo, baſiatu, compotatu, convictu, lactatu, ſupra communem omnem putredinis morem, modumque, communicetur? Qui tot ac tanta & inſolentia & admiranda & contraria proferat & producat? Putredo autem humoris quomodoque conſtituti vis, ſiquidem in elephanticis, & melancholicis, affectibus mira facit: horum utique cauſae rimantibus notae; ſed inſolentiae *Syphiliae*, non prorſus ignota; niſi quantum cum admiranda fermenti natura, & cum acidi varia & multiplici conditione ſit collata; hac enim unice ratione pateſcere poſſe contendo, quamquam alius aliorum eſt modus. Ad extremum hoc, noſtra traditione lucrifeceris, ut ſingulari, & incomparabili hujus naturae ſatius intellecta non ſic offendaris, ac torquearis, quando rei cuipiam inveneris hanc plurima parte correſpondentem.

(*Quod ſi intro perſtiterit.*) Declarandum hoc a me poſterius, & experimentis uſque monſtrandum, ſuſtine tantiſper amice Lector. Caeteras autem omnes definitionis particulas quoniam planae ſunt & a pleriſque noſtris expoſitae, declarare non ſum ſollicitus.

Poſt haec, ſi grata futura ſit definitio Chymiſtarum, quae noſtrae nonnulla parte reſpondeat; hanc dabimus ex Petri Joannis Fabri *Chirurgia ſpagyrica* translatam; quae eſt; *Morbus Venereus, corruptio univerſalis trium ſubſtantiarum i. e. ſalis, ſulphuris, Mercurii; cum alteratione, & corruptione ſpirituum vitalium, & calcinatione ac deſiccatione ſalis balſami naturalis.* Ita ut lepram imitetur, & communem cum ea curationem delucretur; ubi ſcilicet abſoluta fuerit corruptio trium ſubſtantiarum, quas dixi.

## §. II.

DEſcriptus autem & enarratus ſic *Aphrodyſias* peculiares, & proprios ſuos humores, habet: quorum ego ſpecies ſeu modos fecerim quaternos. Unus, qui ad intemperiem ſpectat, licet materiae non expertem, exuſtorium appellatum; ſub quo ſunt phlogoſis, & aeſtus, manuum praecipue; eryſipela; fervor urinae, peniſque, quae *piſe chaude* dicta eſt Gallis; puſtulae; exanthemata; pruritus; ſcabies; pſora; alopecia; de quibus lege commentarium Joannis Baptiſtae Montani; qui calidam ſiccam intemperiem *morbo Venereo* tribuit. Alterum genus eſt ficoſorum, ſub quo ſunt mariſcae; thymi; verrucae; fungi; tubercula; gummi; atheromata; ſarcomata; ſycoſes; tonſillae; carunculae praeſertim urethrae, interfemineorum, interſtitiorumque, in digitis maxime pedum. Ab hac ſymptomatum idea, qui *lue Venerea* correpti ſunt, *ficoſos* perpetuo vocavit Levinus Lemnius,

in

*in opere de naturae miraculis*; non aliter, quam nos Syphilios, alii putide Gallicoſos appellant. Sic vidicus univerſo corpore verrucoſus, avellanae magnitudinem exſuperantibus verrucis viſus eſt, & deſcriptus a Leonardo Botallo, *lib. de morbo Gallico c.* 8. itemque ab aliis & a Marcello Donato *l.* 5. *medic. hiſtor. c.* 5.

Tertius cenſeri poteſt puſtuloſus; ſive quidem hae puſtulae ſint minutae, ac variolarum modo per corpus perſperſae, quales erumpere conſueverunt in ſuppreſſa Pſeudogonorrhoea; ſive ſint papulae majores, ac latiores, quae ſaepe cruſtis renaſcentibus & recidivis obſitae viſuntur: has hiſpanice *bubas*, gallice *dartres*, apud vulgus hominum noſtrorum Scabies Gallica dicuntur.

Quartus corroſivus eſt character: ſub quo equidem obſervo penis ulcuſcula, herpetem, phagedenas, mutilationes narium, &c. de quo genere cecinit haec aptiſſime Fracaſtorius:

*Quin etiam erodens alte, & ſe funditus abdens,*
*Corpora paſcebat miſere; nam ſaepius ipſi*
*Carne ſua exutos artus, ſquallentiaque oſſa,*
*Vidimus, & faedo roſa ora dehiſcere hiatu;*
*Ora, atque exiles reddentia guttura voces.*

Ad hunc accedit proxime rimoſus *Venereae contagis* affectus: qui loca poſt aures, linguam, angulos labiorum, mammas, umbilicum, penem, vulvam, anum, ſed maxime palmas manuum plantaſque pedum, & interſtitia digitorum occupare conſuevit. Mirum autem, ut manus acerbe findit ac multifariam arat; rhagades ſeu rhagadia fiſſuras ejuſmodi graece dicimus; ex quibus mire moleſtis, ac jam annuis & recidivis, Illuſtrem quendam Virum patriciae gentis Neapolitanum, hoc titulo non dehoneſtandum liberavi; collega Marco Antonio Galterio, gymnaſi noſtri Profeſſore, ac Medico, multis nominibus ornatiſſimo, ipſe autem ſemet editis pleriſque libris declaravit. Jam autem hos ordines omnes affectionum diſpoſueris ad hunc modum. Comprehenduntur ſimul aeſtuoſus, corroſivus, rimoſus; quippe qui veniunt ab unis humoribus fervidis; ſed eo tamen diſcrimine, quod corroſivus & rimoſus aguntur a vi quadam ſalſa & nitroſa, quanquam corruptorius cum humido, rimoſus cum arido, conjunctus eſt, ut alias oſtendimus. At vero nitredinis ineſſe aliquid aeſtuoſae affectioni non eſt neceſſe. Haec omnia partim ad ſulphur, partim ad ſalem, referret facile Theophraſtus Bombaſtius; ad Argentum vero vivum revocaret ficoſum & puſtuloſum; quamquam in puſtuloſo videtur plus ſulphuris apud nos fermenti ſubeſſe. Sed doloribus gravem ideam, ad craſſamenta ſalis, qui ad ſubiime corpus ex interioribus agi non potuit, acriorem agitatu caloris perpetuo redditum, refert Petrus Jo. Faber, *in ſect.* 3. *c.* 13. apud quem auctorem haec & alia perpulcra de hac re leges. Nos enim vulgatae Philoſophiae cauſis, rerum compendio conſulentes, abſtinere ſatius eſſe duximus.

Alius mos dolorum & vigiliarum eſt *ſator*: cujus vis haerere videtur halituoſae ſimul & craſſae materiae, quae ſub perioſtii & muſculorum membranis intime ſe defigit, ut has perinde ut ampullata lancinet ac divellat, ſed & juncturas oſſium, ſeu qua finiunt, ſeu circa intercapedines inflatu diſtendens, quotidie nobis obſervantibus, in veſperam ferit, laceſſitque ita, ut de his apte cecinerit Fracaſtorius, *in l. primo Syphilidos*.

*Illis nulla quies aderat, ſopor omnis in auras*
*Fugerat; his oriens ingrata Aurora rubebat,*
*His inimica dies, inimicaque noctis imago.*
*Nulla Ceres illos, Bacchi, non ulla juvabant*
*Munera; non dulces epulae; non copia rerum;*

*Non urbis, non ruris opes; non ulla voluptas.*
*Quamvis ſaepe amnes nitidos, jucundaque Tempe,*
*Et placidas ſummis quaeſiſſent montibus auras.*

Haec ille: qui deſcripſit etiam quo pacto & ad Solis occaſum invadant ejuſmodi cruciatus. Aliam partitionem plane prolixam, & longe diverſam expoſuit Antonius Muſa Braſavolus, *in opere de morbo Gallico*; quae, meo quidem judicio, ad noſtram hanc facili negotio redigi ac replicari poteſt. Nam lapſus capillorum, dentium, unguium, ad calidam laxitatem proxime referentur.

## §. III.

POſt haec intelliges miram naturae providentiam in teterrimo ac viroſo fomite abigendo ac profligando eſſe: perſpicitur autem a principio ſummum hoc ejuſdem ſtudium. Nempe gubernatrix noſtri tota in hoc eſt; ut per quamprimum loca vitium venit, genitales inquam & his attiguas partes: per has eaſdem vias quaſi facto recurſu pellat. Sic parat lurida per penem effluvia: quae falſo quidam, ſi ſubſtantiam rite ſpectes, *Gonorrhoeam* appellant: aut etiam proximo quaſi bivio per inguina Bubonum orditur Abſceſſus. Vidi autem ſaepe per expeditas ani venulas erupiſſe virulentam materiam, quae primum inguinibus fuerat concepta: contra vero per ſedem, quae prima contagia ſenſerat aliquo facto gyro ad bubonas, aut ad colis vias, illuviei tranſcurſus eſt factus. Facient autem, ut in ejuſmodi re non dubites, impuberes pueri innuptaeque puellae, qui contacti poſtica *Syphilide*, ſaepe per antica ſubeunte lue, ſeu turgidas adenas inguinibus, ſeu ſuppurabiles bubonas, ſeu perpetuas, interfemineorum uligines, ſeu thymos eruptiles, ſeu effluxus denique luridos per naturalia, ſenſere. Ita converſis quaſi vicibus ſibi mutuo communicant quidpiam alterutrae partes.

Quoniam autem id me locus admonuit, referam huc Abſceſſum, ut mole quidem adſpernabilem, ita conditione mirificum. Etenim vero neſcias primum plus ulcus an tumor ſit? deinde cum tumores quilibet novi non ſint, quos ducit *aphrodyſia lues*, praeterquam in hac una duntaxat, non in alia qualibet affectione tuberculum, ulcuſculumve, quod praedico videris: ut mirum ſit, cur illud nemo noſtrorum ad hanc diem adverterit. Haec autem humoris eſt eruptio pinguis & ſemiputris, odore viroſo, & rancido, propemodum; ab epidermide nudata, & exulcerata, parvo lupini gyro cute manans: puſtulam aut verruculum planam dixeris, *pachas* a vulgo vocatas, non abſurda herçules voce; quando παχὺν craſſum aliquid & pingue ſignificet, atqui craſſus eſt humor, quem ejuſmodi verrucae ducunt, ac pinguis etiam & glutinoſus, ut adhaeſus oſtendit.

Ad haec, ut de caeteris eruptionibus dicam: ubi vel habitudo materiae vel locorum aptitudo ſic requiſiverit: per ſudores excretionem amplexa eſt ſaepe natura, qui ſudores ſi uberes fuerint ſic ſatisfeciſſe viſi ſunt, ut hominem ab omni labe liberarint: quin & ſi Bubo unus aut alter initiatus etiam erit, materia per aliquot corporis exſudationes fuſa, & extra cutem acta, etiam ipſa abiit ſorte felici laborantis. Quae mea quidem obſervatio non ſemel, ſed plus ſexcenties comprobata eſt: qua una nixus equidem ſaepe non mitto ſciſcitari, eum diſcuſſum bubonem: quaeritur quiſpiam, num per infinitos cutis extimae canales exturbata prodierit clandeſtina tabes, ut poſſim ſcilicet judicare, bonus, an ſuſpicioſus, fuerit Tumoris ille diſceſſus.

Dixi de ſudoribus. At neque per ſedem difficilis excretio eſt, licet admodum rara, neque adeo felix: quando ſcilicet a venis ad inteſtina non ſic opportuna tran-

tranſitio ſit, etiamſi non ſum neſcius, quando ipſa deligat tutrix unamquamque commodam eſſe viam languenti. Audi vero quam ſingularis, quam admirabilis in hac re perſpicientia in ſe ſit: nempe, ſi quando ſic correptus homo fuerit; ut ab his protinus excretionibus adjuvari nequiverit; neque in praeſenti poſſit, propterea ſcilicet quod hae partes apprime denſae coactaeque ſint; continuo toto luſtrato corpore, atque artubus, qua laxitas major apparet, hac humoris exitialis exitum machinatur. Sic & poſt aures, perque jugulorum foſſulas; per umbilicum; per interfeminia; per glandis urethrae meatus inſenſiles; per ſcrotum; per digitorum pedum intercapedines, & per ungues manuum & pedum, aphthis veluti quibuſdam, aut puſtulis exſuſcitatis, ichorodem ac terram illuviem diu exhauſit. Vidi autem & cum per carpos interiores, exterioreſque, virus infeſtum elui procuravit. Porro Ametho Barbaro, nunquam ſatis laudandi viri Scipionis Roviti, Regii ſupremorum libellorum & cauſſarum Regentis, ſervo ſellulario; qui conceptam hanc lu:m, nulla primum excretione levaverat: poſt aliquod tempus, natura ſagax ad ſimos ulnarum fines exaſperata cute veluti per lichenas, & achores artuum novos, putrilaginem intro, exulcerantem expromere, multos menſes, conata eſt. Quin haec ipſa emiſſaria adobſtruentibus quibuſdam Chirurgis, qui rem hanc minime perviderant, ipſa nihilominus ſuum inſtitutum perpetuo retinuit, atque recruſtata per aquas ſortes ulcera ſaepe redintegravit. Rem quidem, quam ſerio advertere debebunt hi, qui *Syphiliorum* haec ſymptomata curant. Quam omiſſorum achorem viam cognovit unus lectiſſimus poeta Hieronymus Fracaſtorius, qui *l.* 1. *Syphilidos*, ad hunc modum cecinit;

*Protinus informes totum per corpus achores*
*Rumpebant: faciemque, horrendum, & pectora foede*
*Turpabant.*

Et rurſus *l.* 2. Curationem iſtorum attingens ait.

*Verum ipſos ope non alia conſumere achores,*
*Urentum quam vi poteris: quibus addere debes*
*Pingue aliquid, quod ſecum intro ſiccantia portet.*

Sed & per phlyctaenas atque pſydracia (quod adnotavit Joannes Langius, *in epiſtola* 42. *l.* 1.) conſuevit optima curatrix obſeſſorum corpora levare. Deſcripſimus autem nos ſuperius hydrocelem praeputii, quo de ſpermaticis ſedibus derivat labes maligna, non aliter, quam ſaepe etiam in hydrocele ſimpliciter dicta.

Sunt jam plurimi narrati loci, quos in emiſſaria torquet natura. Jam vero, qui fieri poſſe videatur, ut per plantas pedum noxius humor effundatur? at nihilo tamen minus novi ego adoleſcentem, familiarem ejuſdem Illuſtriſſ. Regentis, cui manantibus in dies ſingulos affatim pedibus per ſeſquimenſem, & amplius, diſcuſſio Bubonum facta eſt felix: quem pernicioſum ille regreſſum certo crediderat. Rem quam plurima animi delectatione cognovit Alexander Alexius, philoſophicas & medicas res non vulgariter profeſſus. Ita ſuis opificiis ſatagit natura parens; ita in adverſis proſpicit; ita nullam viam relinquit intentatam, ut nos adjuvet.

## §. IV.

ATque hi quidem Abſceſſus ſunt fluidarum effuſionum, quas extra corpus omnino molitur natura: ad haec autem alterum effluxus eſt genus; humorum, inquam, e partibus principibus atque intimis effuſorum, nam ubi cutim alioqui denſiorem ſucci craſſiores attigerunt: utraque hac cauſſa fit, ut ſub extima pellicula conſiſtant, formam glandularum, tonſillarum, ſycoſium, nodorum, terminthorum,

rum, tuberum, ectymatumque duriuſculorum, verrucarum, & uſque ſtrumarum. Quas res omnes ad levanda lue viſcera, quis non videt maxime commodas? Ad hunc equidem modum non raro vidi homines, quibus ſuppreſſa pſeudogonorrhoea fuerat, extima corporis ejuſmodi defaedatione levatos. Atque ita etiam aliqui docti, bono laborantis indicio, perhibent, quod principio defluxerint his capilli: diffuſo ſcilicet extrorſum, vel ab incunabilis vitio, quod natura non tulerat intro.

Aliud inter haec privatim enarrandus eſt affectus, plerumque cum bonis quidem aegri rebus eveniens; ſed profligatu contumax, & refractarium: quod eſt ſcilicet, *Scliroma* teſtibus utriſque, vel alterutri circumjectum. Hoc praeterquam colliſu, equitatu, poſt calidam affectionem refrigeratu, & caeteris cauſſis externis, ſaepiſſime proficiſcitur, ex congreſſu Venereo ſeu perperam exercito, ſeu *Syphilio*, quem nos dicimus, alii *Gallicum*. Nimirum, ut notat G. Rondeletius, *in meth. pract. c. de ardore urinae*; ſemen coeuntis interdum agitatum, & non emiſſum, ad laxatas ſcroti partes per venas, quae ſunt ibi multae, confluit, & ibidem haeret; ut extra ſuum locum perfrigeratum in durum tumorem abeat, & perſiſtat.

Jam autem hujuſmodi *Scliroma* in pueris interdum automa, cum inſuetum, & extra genus omne ſarcocelarum ſtatuunt, obſervatione Franciſci Hildeſii Joannes Schenckius *in l. 3. Paratiriſeon medicarum*: quid & nos praeter ramicum omne genus non faciamus? Cui demoliendo mirabile ſane cataplaſma deſcripſit ipſe Guliermus, *eodem opere c. de teſtibus, & ſcroti inflammatione*. Gravioris autem notae ſymptoma eſt, quod referam. Porro ſolent ad articulos manuum ſuperne tranſverſi quidem obnaſci tumores propemodum oviformes, itemque genubus, & malleolis, qui neque corpus levant & perdolent: non levant, inquam propterea, quod ex multa materiae ubertate ſunt. Indicio autem eſt, quod praeterquam ſudoribus aut ſpontaneis, aut Laconico prolectis non exhauriuntur. *Arthritin* hanc *Syphiliam* vocare poſſis; cujus materiam frigidam, viſcidam, craſſam facile concipis; pituitam nimirum vitream aut hujuſmodi. Atque haec quidem expoſita ſunt cum effunditur ad exteriora *Syphilidis* materia. Caeterum enim cum eadem intra corpus conſiſtit: haec accipe.

*Luis Venereae* duo ſunt ſtatus & ſumma tempora: interminati, ſive inchoantis unus, abſoluti jam & late graſſati alter; in *ſcheſi*, & in *hexi* dixere Graeci. Ab abſoluto, nulla primum manatione, ſed multo languore ſequutis marceſcit corpus, vel faedis excretionibus exercetur, ſive per penem, ſive per uterum, ſive per inteſtini ac ſedis ulceratae vias; quae effluvia certe ſunt tanta, ut vix fieri poſſe videatur: praeſertim ſi ad ulcera referas. Sed nihilominus ſunt manationes non ex ulcuſculis privatim, ſed ex univerſo corpore; quemadmodum ſcilicet alba foeminarum profluvia, non ex utero privatim; quod Altimarus noſter advertit, ſed ex corporis univerſitate eluuntur. Has tu nullo pacto cohibeas oportet; praeterquam ſi labem omnem, & cauſſam, prius exemeris atque deleveris. Quod dum facturus meditaris ſedulus expende, num rite fidem opinata merentur. Nimirum etiam atque etiam difficile, ut tantae proluviei cauſſa, quae ſumma intemperie fit viſcerum, pauco negotio fuerit abolita. Ipſe tamen interea videris, an cachexia, vel quod Cornelio malus eſt corporis habitus, vel quae Hippocrati κακοπλάχνωσις ἡ κακόχρωια ſit: ſub his enim nulla unquam recta fiducia fuerit. Caeterum ſi juventutis vigore aut firma aetate, aut virium robore munitus homo fit; nonnihil ſubire ſpei poſſis. Haec, obſervatione mea longa firmata, fac comprehenderis. Plurimum ad uſus medendi compereris ipſa facere.

§. V.

## §. V.

EXtremis his memoratis ſtatibus, tertius & medius eſt quidam; id eſt, neque adeo gravis, neque adeo commodus, qualis eſt excretio periodicae *Pſeudogonorrhoeae*, quae ſtatis temporum intervallis obrepit: cujus equidem haud novi, qui meminerit. Quamquam neſcius non ſum equidem, Joanni Langio quadruplicem diſcretum fluxum, ex quo viro mutuatum Hieronymum Fabricium certus ſum. Verum periodicam *Pſaudogonorrhoeam*, quae contagio *Syphilio* profecta non eſt, ambo explicarunt; primus ego de periodica, aut etiam inordinate recurrente, ſermonem feci; quam pleriſque tum viris, tum foeminis in ſingulos, binos, ternos, quaternos, ſenoſque, menſes accedit interdum, cum levibus ſubuculae inquinamentis, interdum etiam cum majoribus & longioribus. Sunt & quibus in annum reſurgit; cujus quidem circuitus cauſſas difficillimum eſt aſſequi ſic, ut probabiles appareant: quas tamen facillime produxerint hi, qui congenitis ex cauſſis evenire *Syphilidem* opinati ſunt, Theophraſtus, inquam, Paracelſus, dein Alexander Petronius, & Gregorius Vella Brixienſis, & ſi qui ſunt alii: nimirum, in horum placito recurſus iſtos habuerit *Syphilia Pſeudogonorrhoea* non aliter, quam collectis ſuo tempore ſaniebus, in *Pſeudogonorrhoea* ſeptemtrionalium incolarum, quas memorant Langius & Fabricius, vel in ſtatis muliebrium menſium anaphoris. Sed enim hac eadem ratione, & in *Syphilia Pſeudogonorrhoea* pariter uti commodum non eſt; propterea, quod morboſior & enormis haec plane, neque tam ex peculiari quatuor humorum ſtatu & conditione, quam privata ſua cacoethia, & fortaſſe totius ſubſtantiae proprietate, nititur *Syphilis*; niſi quod fortaſſe ſervata humorum, & ſui quaternionis, legitima, rataque. Syſtaſi etiam vero poteſt ad haec accommodari *Syphilia anomalia*.

Atqui ego cum pleriſque doctis ſentio *Venereum* hunc *affectum*, & ſi propriis privatiſque ſuis praerogativis, exlegibuſque conditionibus, cenſeatur gaudere, certaque ſua ſpecie conſiſtere, quae humoribus analoga non eſt: tamen haec analogia ſua vacuitas in humorum ſubjacentium areas cadens; horum etiam affectiones & motiones non ſuam abſolute hyperchen ſequetur; quemadmodum vigor aethereus ſtellarum rebus hiſce generalibus accedens, horum ſe materiae qualitatibus accommodat: aut ut peſtilens omnis cauſſa & divinum, quod Hippocrates dixit, ad eadem noſtra corpora, & ad humores lapſa, ſic agitant, ut ſubjectorum diatheſes popoſcerit: verum ejus rei cauſſam Medicus eruditus agnoſcet; quod *Syphilia* vis omnis, & inexplicabilis forma, principio adalligata & concreta fuit corpori ſubſtrato ſeminis, cujus & ſecundum ſe diſcreti, & corrupti per morbum, affectiones atque elementarias qualitates omnes non ſequi non poteſt, impreſſa forma: quemadmodum indita flamma ligni ac ſubjecti cujuſque corporis protogonas conditiones, naturali quodam formarum concilio, mutuoque tranſitu, neceſſe eſt ſequatur. Itaque, quid eſt quod dubitemus *Syphilidem* morbum eximium, praevalentibus ſingulis humoribus, & horum apparatibus variiſque flexibus coaptari: ut expeditum jam habeas Problema de ſtatis *Syphiliae Pſeudogonorrhoeae* recurſibus.

Sub his aliud non ignorare te velim, duos a me poni modos morbi Venerei, ſanabilem, & inſanabilem, hujuſmodi quidem *Syphilis* eſt conſummata atque perfecta: ante quod tempus & ante quem terminum ſanabilis ipſa eſt. Porro perfecti morbi ſubjecta ſedes hepar eſt, ut quod aptum eſt veluti fons, & ſcaturigo ad diffundendum, perpetuandumque, malum cum vita finiturum, non ita quidem inchoatus: qui quoniam in fluxu eſt, & non permanet, (etenim vel ad confirmandum ſe pergit, vel a natura per excretiones exercetur) ſic morbus adhuc non

eſt,

eſt, ſed paſſio vel pathema, quod Galeno vocabulum eſt *in meth.* Hujus nulla certa ſedes eſt, quam ſtatuere quis poſſit: ſed ſatis eſt, vel ut toto ſanguine, & humorum univerſitate, vagetur: ex ſolidis vero partibus nunc cuti, cum primum exoritur, nunc altius extimo carnium habitui, nunc membranis, nunc vaſis particuliſque ſpermaticis inhaeret. Fabius quidem Pacius, in commentario de *morbo Gallico*, quem tractatum ad expoſitiones librorum ſex methodi priorum appendit; glandulas adaequatum, ut ipſe vocat, *Gallici morbi* ſubjectum poſuit: id quod plurimum ego verum affirmo tum in morbo confectis, tum in nuper expertis; tamen in utriſque non ſemper, verum in confectis quidem frequentiſſime: porro, quotquot *Syphiliorum* nos cadavera inſecuimus, qui fuerunt certe quam plurimi; in omnibus fere, aut maxima iſtorum parte, vitiatas quoquo modo partes has offendimus. Atque haec noſtra ſententia, rataque obſervatio, de partibus *Syphilide* correptis eſto. Ad alia nunc experimenta noſtra recenſenda tranſeamus.

## §. VI.

HIc *ordo felicis effluxus* eſt. Verum cum hi modis omnibus allaborati non eveniunt: alteri ſuccedunt illa quidem invita progreſſi; ſed ſic tamen, ut cauſſam ipſorum non negligat, interdum enim vi materiae productos in halitum primo, ſi datur, quo ad ejus fieri poteſt, diſpergit: vel ſi illud non conceditur, ad apoſtemoden aliquem maturatum perducit; aliaſque item operas & conatus edit, in his, gubernatrix corporis, in quibus mira ſui ſtudii vis elucet; ut in diſcludendis emarcidis oſſibus, quae ſub gummoſis ſuppuratibus abſcedunt: in procreando item & promovendo porro ſarcoide, & in obductu demum ulceris procurando. Quoniam autem de Abſceſſibus cum oſſis marcore ſuppuratis, incidit ſermo; placet, ut hic explicetur Problema inter caetera hujus argumenti omnia nobiliſſimum, cujus expoſitionem ſcribentes omnes de *morbo Gallico* neglexere: rem alioqui nedum quidem non negligendam, ſed maxime curandam & pertractandam.

Scire licet, affecto capite per hos Abſceſſus, ſic uberes aliquando ſubeſſe puris & ſaniei manationes, ut cerebri membranas affatim alluant: quae res quidem exitio multis fuiſſe deberet: illud obſervantibus nobis, ſiquidem Abſceſſus ab illato vulnere fiat circa cerebrum, aut ejus membranas, e ſanguine de venis effuſo pernicioſum hoc eſſe. Cujus tamen cauſſae diſcrimen commentus eſt unus, ni memoria fallit, Baptiſta Leo, qui *in opere de vuln. capitis* dixit a *Syphilis* capitis *Abſceſſibus* aliquod periculum non eſſe, propterea, quod huic vitio alioquin automato, non autem per vim illato, aſſueſcit natura ſic, ut non laedatur extremo vitae diſpendio. At quae laetalem vim inferunt, illae ſunt conferctae ac ſubjectae mutationes, non quae ſenſim modice ſe inſinuant graduque teſtudineo, id eſt, lenibus quaſi momentis obrepunt. Hoc judicium, haec dividendi ratio viſa eſt multis ſatisfeciſſe, ſed enim ambiguitatem parit, quod cerebrum omnibus modis aeri circumfluo ſubditum, omni coelo patefactum; hujus vim ad immutandam promptam, ac non lentam, neque inefficacem, ſentire deberet: at nihilominus non ſentit.

Sed occurritur, quod fortaſſe obduratum antea cerebrum ad ſuppurationis attactum videtur, ob id, &c. Atque illud quoque te perturbet, quod narrat Vidius Florentinus *in opere de curatione gener. tract. de morbo Gallico c.* 18. homini cuidam a putrida oſſis calvariae ac teredine curato, non multo poſt tempore, frequentem ac vehementem Epilepſiam acceſſiſſe; mox vero ſanitatem reſtitutam uſtione per ferrum candens adminiſtrata, qua parte guttula ſaniei, tam prava

quam

quam parva, ſupra craſſam cerebri tunicam defluebat. Quod ſi guttula, inquam, in cerebri membranam inſidens, Epilepſiae, miniſtraverat; quid eſt, quod plurima incumbens ſanies epileptica cunctis non eſt? an peculiaris locus & capitis privati craſis aliquid facit? ſed neque ſanies, ad membranas vulnerati capitis interdum accidens, hominem perdit. Quae faciunt omnia, ut quae particulas circa cerebrum repente permovent ac tranſmutant: hae diſcriminum maximae ſint cauſſae: quae ſenſim obrepunt & latenter obtruduntur, non item.

## §. VII.

INter haec omnia, & pulchrae indaginis uſu, & optato curationis fructu, praecipuum eſt *Theorema contumaciae*; qua ſuper omnes affectus teterrima & odioſa ſumme fit *Syphilis*. Noveris igitur *Syphilidis* duas eſſe ſummas facultates: alteram, quam ſuae qualitates effectuſque produnt; nititur enim hac parte temperamentis ſingularium corporum & humorum; atque hoc ſic afficit, prout habentes invenerit. Alteram cujus σωματικὴν energiam admirati quidem ſunt omnes ſemper; comprehendit hucuſque nemo. Ita nimirum abdita eſt, ita ſenſuum omnium noſtrorum & intelligentiae vim exſuperat. Ex hujus igitur vehementia; tum, quod minime nota, quatenus his aut aliis remediis expugnatur; tum quod omnino ſummae poteſtatis eſt totius ſubſtantiae morbus, proficiſci pertinaciam poſſe quis non videt? ex altero vero qualitatum & humorum apparatu proficiſci eandem poſſe monſtratur.

Primum; *Aphrodyſius* morbus exercet homines, pro modo temperamenti, proque more materiae praevalentis. Sic *melancholici* cumprimis hoc affectu correpti vexantur: ſecundi ſunt *bilioſi*; minus his *ſanguinei*; multo minime *pituitoſi*; quae opinio, quaeque gradatio; fuit Joannis Almenaris Hiſpani, *in libello de morbo Gallico:* cujus quidem rei ratio, ac norma, nititur in eo, quod tradidit mirus Hippocrates, *initio lib. de loc. in homine*, per haec. *Quod enim ſiccius eſt, morbos magis recipere, ac magis dolere, a natura ſolet; humidum vero minus: morbus enim, qui in ſicco eſt, ſtabilitur & non ceſſat; qui vero in humido, diffluit, & alius aliam corporis partem occupat; ſemper tranſmigrans requiem facit, & citius quoque ſedatur, utpote non ſtabilitus.*

Haec ille: quam quidem hominis doctrinam, ut univerſo de ſtatu corporis latam approbas, ita & de parte ejuſdem principe veram exiſtima: quippe cum ſiccius, calidiuſque, jecur exſtiterit, neque imperiti dubitant tunc efferatiorem vim *Syphilidis* futuram.

Accedit ad haec textura, quam dicunt, habitumque corporis, qui ſi vel denſus vel gracilis, ſive natura, ſive exercitatione fuerit, haec firmius hanc labem ſunt receptura, quod ſcite advertit Jacobus Catanaeus, Genuenſis, non contemnendus *de morbo Gallico* ſcriptor; non abſimili ſcilicet ratione, quam quae producta fuit nuper ex Hippocrate.


Sed humoris craſſitudinem ac viſciditatem quid non memoro? quae ſi, quod alium morbo quemcunque fovere, diuque conſervare & hunc maxime poſſunt. Atque ita Hieronymus Fracaſtorius propterea valentiſſimam hanc contagem facit, quod phlegmati craſſo, ſordidoque, putat haerere; quamquam difficilis percuratu viſa eſt eadem Joanni Baptiſtae Montano, cui calida quidem, ſed magis ſicca, intemperies cenſita eſt. Succedunt his aetates: ex quibus omnibus ſenilis accommodatiſſima eſt; nimirum quae melancholica eſt & ſicca. Deinde etiam quia Razes docuit, ſenibus ſalſos plurimum ſuccos provenire; praeterea craſſos humores eſſe; poros ſuimet coalitu anguſtos; expultricem vero vim debilem. Sed & imbecillitas

concoctricis multum facit, ut minus dextere discuti possit *Syphilis*; nam quae bona, aut quae verius non mala, proferat *Syphilis*? His adde postremas morbi causas, malasque corporis diatheses, quae sunt scilicet viscerum tum obstructio vetus, tum debilitas, cacochymia, cachexia, gibbosis ad tabem propensio, congeniti morbi: de quibus Hippocr. *in l. Coac. praenot. & in aliis*. His comprehensis, utique possis & contumaciſſimae *Syphilidos* causas cognoscere, & eventus insuper, solvendaeque ejusdem tempus & modos, praesentire.

## §. VIII.

### *Syphiliae metamorphosis.*

NUnc super omnia maximum praevalentis in nostrum genus *Syphilidis monumentum* exponam: quod est, scilicet, cum male feriatum, direque interminatum a se hominem, in satyricam usque formam immutat: quam quidem nonnullorum scribentium narrationem fabulae cujusdam loco admirationis excitandae libidine confictam, juvenis adhuc habueram: verum ab hinc longo medendorum ejusmodi Valetudinariorum usu comperi; tam verum id esse, quod circumferebatur, quam nulla nunc ratione vellem, spectata nostri mortalium miseria. Inter caeteros enim occurrit unus Neapoli, qui potuit a multis adverti; praeter omnem modum ad hyrcinam speciem facie tenus abreptus. Utinam autem par mihi styli dexteritas, quae graphice talem exprimere queat: utcunque illum ego meo modulo describam. In memoriam autem revocandum est primum, *Syphilidi* vocato morbo fermenti plurimum inesse: cujus vis in sublimem faciem, rerum ita ferente conditione, cum attollitur, enormem plane deformitatem inducit: sic alicui nasum verrucis undique turgidum, limonii corticosi magnitudine vidi. Aliis tuberosa undique facies ac frons est notata. Alii rictu prope canino se obtulerunt: sic labia foras extulerat tumor. Quae cum singulatim immutata, tantum admirationis pariant: quid, cum omnia simul perversionum modos faciei partes singulae coacervarint? Primum enim homini misero, circa frontis utramque partem, quae temporibus respondet, projectura quaedam veluti nodosa, subsultantis inferne ossis, gummi dixerunt aliqui; cujusmodi & alia complura, sub cutem obducta, glabrum caput oblique dextra, levaque, coronae modo praecinxerant. In cujus capitis utroque latere proclivi, surgentium auricularum tum supremas pinnas, tum infimos lobos vidisses, ample distractos. Sed *epiſcenium*, quod oculis attrahimus, cum deglubratis superciliis atque glabella, tuberculis uno quasi clivo consertis sic exstabat; ut *subgrundium* utrimque ingens appareret: sub quibus, & verrucosis, depilibusque palpebris occulebantur a nimia viscerum ariditate retracti oculi, fibris quibusdam veluti sanguineis tincti. Inter quos nasi jugum plus semisse deserat: nimirum ossis firmamento, quod interseptum vocant, per Abscessum collapso. Caeterum autem nasi globus flammeo circum rubore obsitus, & ad philtrum humile depressus, cum labiis nescio quo madore turgentibus; rictum Delphini, vel nescio cujusmodi pecudum, efficiebant. Consonum etiam universo faciei vitio mentum, quod lichene scabrum & pugni modo praeturgidum, infesto pondere, maxillam ad infera detrahebat; quod proxime loco dictus anthereon ludibundas barbae reliquias ostendebar. Sed malas quas dico, vel quales nunc adumbro, cum reliquis partibus? porro, liquatis circum carnibus exertisque pene ossibus; oris musculi convulsi sic, ut risum ludere videretur homo ridendus, quin vero miserandus; qui caetero corpore qua quidem abrosus, & phagedaenis infossus, qua scaber





ber ac tuberoſus, languidus ad ſummum totus, ſquallens ac doloroſus, ut etiam commemorantem ac deſcribentem me compleat horror. Satius igitur lepidiſſimi poetae Fracaſtorii ſit audire rapſodiam.

*Ipſe ego Caenomanum memini, qua pinguia dives*
*Paſcua Sebina praeterfluit Ollius unda:*
*Vidiſſe inſignem juvenem; quo clarior alter*
*Non fuit, Auſonia, nec fortunatior omni.*
*Vix pubeſcentis florebat vere juventae,*
*Divitiis, proaviſque potens, & corpore pulchro.*
*Cui ſtudia, aut pernicis equi compeſcere curſum,*
*Aut galeam induere, & pictis ſplendeſcere in armis;*
*Aut juvenile gravi corpus durare palaeſtra,*
*Venatuque feras agere, & praevertere cervos.*
*Illum omnes Ollique Deae, Eridanique puellae*
*Optarunt, nemorumque Deae, ruriſque puellae:*
*Omnes optatos ſuſpiravere Hymenaeos.*
*Forſan & ultores ſuperos neglecta vocavit,*
*Nonne quicquam aliqua, & votis pia numina movit.*
*Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem*
*Invaſit miſerum labes; qua ſaevior uſquam*
*Nulla fuit; nulla unquam aliis ſpectabitur annis.*
*Paulatim ver id nitidum, flos ille juventae,*
*Diſperiit; vis illa animi; tum ſqualida tabes*
*Artus (horrendum) miſeros obduxit: & alte*
*Grandia turgebant foedis abſceſſibus oſſa.*
*Ulcera (proh Divum pietatem) informia pulchros*
*Paſcebant oculos, & diae lucis amorem,*
*Paſcebantque acri corroſas ulcere nares.*
*Quo tandem infelix fato, poſt tempore parvo,*
*Aetheris inviſas auras lucemque reliquit.*
*Illum Alpes vicinae, illum vaga flumina flerunt.*
*Illum omnes Ollique Deae, Eridanique puellae,*
*Fleverunt nemorumque Deae, ruriſque puellae:*
*Sebinuſque alto gemitum Lacus edidit amne.*

Hi blandae ſcilicet voluptatis, hi tenerorum complexuum ſunt fructus: heu tragici tantum & miſerabiles! quantum inter multiplices cruciatus amiſiſſe vitae dulcedinem? & quantum ex humana ſpecie tranſmigraſſe in brutam? cujus ejuſdem haec adumbrata vobis eſto figura.

## §. IX.

JAm autem ad exactas *Syphilias* adverſiones incertus equidem ſum, an ab ullis Medicinae candidatis requirar, ut ejuſdem morbi Curationem exponam. Dubius etiam, quod vulgata jam ſunt haec, & nullis non antehac pertractata: ad quae alioqui longe plurima, quis aliquid addere, vel audeat, vel poſſit? verumtamen praereptam cuiquam, ad hoc tempus ea de re tradendi, facultatem haud opinor; qui videam vaſtiſſimum exhiberi materiam a morbo, qui, ad hanc aetatem ad uſitata remedia plerumque contumax & inexcuſſus manet; quapropter ad inſueta & nova tranſire ſaepe neceſſum fuit. Ex quo genere cum ſint Chemica

& ad Hermetem primum experimenta relata: de his eſt animus inquirere, quae praeſtantiſſima puto, rem autem cum experientiſſimis aliquot Doctoribus exſequar; qualem, inter caeteros, exiſtimo Joſephum Quercetanum, & Rodericum Fonſecam, qui de hoc argumento tradidere, ſcriptis ea de re conſiliis, quae tu viſas opto.

Fonſeca quidem illam ingreſſus fortaſſe viam, quam praemonſtraverat Hippocr. *in lib. de alimento*, pharmaciae modum in eſcas induxit; ad has adjectis alexipharmacis, abdita quadam facultate valentibus adverſus *Luem*, cogitatum, ut equidem arbitror, amplexatu dignum. Enimvero, dum partes ſolidae nutrimentum adveniens in ſui ſubſtantiam applicant, & convertunt: medicata vis, quae ſubeſt, morboſam partium affectionem paulatim corrigit, munitque ipſas, ut cum ſublevato calore nativo vitium omne depellant: ita panem initio confici docet cum diluto, decoctove, *Sparti parilis Indici* vel *ligni Quajac.* vel *radicis Chinae;* cum quibus & carnes pullorum, atque aliorum, praecepit incoqui, ptiſanam item ac neceſſariam omnem eſcam, praeparat autem & *Vinum Indici Sparti radicis medicatum* ad hunc modum.

*Cape Sparti parilis Indici conciſi. lib.* ij.
*Vini albi mediocris non dulcis. lib.* xxx.

Vaſe, quod receperit, ad ignem admoto, *vino* primum inferveſcenti *praeparatum Spartum* immittito, quorum ebullitione competenti facta, removendum ab igne vas, panniſque obvolutum triduo ſervandum, & rurſus igni ſubjiciendum, quoad ferveat, quo tempore tranſcolatum *Vinum* infundito in doliolum, quod capiat libras centum: & *de hoc*, tribus diebus obturato, atque intacto, *deinceps hauri, quod neceſſarium eſt, mane veſperique, tum in prandium, tum in coenam.*

Haec in victu curatio eſt, quae continenter in longos menſes ſervari debet. Poſt haec cogitandum eſt de medicamentis, quae nullo non judice viro docto, vel experto, non alia ſunt, quam, quae gens omnis amplexa principia retinet ad hanc diem: *lignum* inquam *Quajacinum* dictum, & *Hydrargyrium;* ſeu quidem haec a prudentibus experimento ſeu ratione primum excogitata fuerint.

*Nempe Dei haec pietas terras non poſſe malorum,*
*Nec ſimul expertas vindicis eſſe manus.*

Verum enimvero, Quercetano delectus horum & apparatus eſt, qui requiritur ſolum. Itaque rejectis vulgatis, hominum modis, exquiſitas aliquot horum praeparationes proponit, tum experimentis, tum rationis ſuffragio maxime commendabiles. Primum autem ſtatuit, ut in rebus quidem omnibus, ita & ligno *Quajacino ſpiritus eſſe acidos* plurimum neceſſarios, qui vi ſua extenuent, eleventque mali conſtabilita concrementa; non aliter, quam acidus fermenti ſpiritus panis crudi craſſamentum leve reddit ac ſublevat. Indicio autem eſt clariſſimo, quod elicitus ex eodem *Quajacino*, ſicut ex Quercino, Juniperinoque, ligno ſpiritus Calcanthinus non minus, quam ipſius Calcanthi ſpiritus corallia, margaritas & alia diſſolvere viſus eſt: quod quotidianum Chemiſtarum eſt experimentum. Accedit, quod praeſtabilis *ejuſdem ſpiritus aciduli virtus eſt extenuandi craſſas humorum materias, in ſudores elevandi, ac per corpus omne diffundendi.* Adeo autem praeſtans aciduli, ejuſque ſpirituum, eſt vis, ut hujus ex *Quajacino*, Junipero, Sulphure, Calcantho atque Hydrotica, omni materia ſecreti guttulas decoctis, quibuſque Quajacini vulgo paratis, anteponat longe Joſephus: id quod, ſuo non ſemel facto periculo, teſtatus eſt. Deinde, ſuppoſito quod iiſdem ſimplicibus medicamentis ſpiritus faciles exſolutu, diſſipatuque, ſunt, diu ad ignem exercitu, ſine cautione ſervoriſque retorridi moderatione: ſic tertio damnato more noſtrorum hominum,

qui

qui ad quadrantis aut ſemiſſis abſumptionem dilutum igne urgent, ſic enim ut tenuiſſima atque optima medicamenti pars non in auras rapta diſſolvatur & exſpiret?

Praeterquam halituoſam Calcanthi portionem, & alterae Mercurialis, Sulphureaque ſunt ad ſudores exprimendos apprime nobiles; quae perperam uſitatis illis ligni decoctionibus, quo pacto non diffidentur rapaci & longo ignis adhaeſu? Sic probatiſſimam ſuam apparandi rationem expoſuit Quercetanus, quae eſt. *Principio tum ſcobe ligni, tum aqua quanta ſuffecerit, conjecta in retortum vitrum, quod noſti; hoc Hermetico luto concluſum igni, cinerum vel ad halitum aquae ſervantis impone. Exſtillabit tum aquea quaedam, tum acida, portio, Mercurialis & ſpirituoſa; atque hac tenuior etiam ſulphurea ſive oleagina, tertia haec & precioſa, & palato non inſuavis, Quajacini ſecretio ſuo ipſius decocto millenis momentis praecellit, ut uncias hujus binas aut ternas, libra vulgaris decocti potiores ſis experturus. Licebit etiam univerſum humorem deſtillare ad ſemiſſem, & quod exceperis cum decocti reliqua parte percolata commiſcere. Caeterum in ſedimentum ex prima deſtillatione reſiduum, affuſam rurſus aquam plurimam, per horas duodecim, cum primis caementis ad coalitum relictam ſecundo premes igne; ut qui proliciatur humor ſaccharo vel cinnamomo conditus, tum prandio, tum coena, & reliquo etiam tempore, poſſit uſui potus eſſe.*

*Ad haec reſiduis illis binos jam ignis adhaeſus expertis, & Mercuriali ſuo ſymbolo exutis, ſi tertium ignis furorem immiſeris, oleum inde recipies ex nigro rubens, quod gummi, phagedaenis ulceribuſque Syphiliis & cancroſis percommodum erit. Sed neque faeculas illas poſt inculcatos tot ignei caloris impreſſus, ſua carentes gratia, reperies; has enim modo cinerum arefactas atque contritas, ſi ultimae deſtillationis aqua principio per te ſervata dilueris ſaepe ac ſaepius; praegnante cremoris utilis aqua reclinata & ſeparata; ſalem demum habebis ad ſudores ciendos praecipuum, ad alvum vero bis terve dejiciendam non contemnendum.*

Poſt haec *Argenti vivi* praeparamenta ſunt recenſenda: quorum *Turbith minerale* primum ab eodem auctore Quercetano, *in Pharmacopaea reſtituta*, deſcriptum ad unguem eſt, non recitandum hic a me ſuperfluo labore, quod illud opus omnium manibus teri videam. Eſt & altera *Turbethi mineralis* deſcriptio apud Oſwaldum Crollium, *libro* quem *Baſilicae chemicae* inſcripſit. Alterum eſt *ſpiritus Mercurii*, qui, Quercetano auctore, parabitur facile, *ſi ſuper fluidum Argentum oleum ammoniaci ſalis affuſeris*, hoc enim metalli compages continuo reſolvetur, cujus reſoluti portio cum interne cum *Vini* hauſtu, tum externe illita mira praeſtabit eorum, quae tu quaeſieris *Syphilidem*, & ejus ſymptomata, propellens. Praeter haec & illo medicamento Strumae diſſolventur, ſi credimus experimentis, quae multa Joſephus expoſuit. An autem homini praeterea crediderimus, qui ſcripſit, oleo Mercurii palmis, plantiſque pedum, illito, *Luem* hanc diſcuti per ſudores? Id certe confeſſum ab omnibus *ad Syphilios* quoslibet contumaces *affectus* expugnandos, nil praeſtantius exſtare *Mercurio*: cujus etiam varios apparandi modos deſcripſerunt Oſwaldus Crollius, Bernardus Penodus, Jacobus Veccherius, Philippus Mullerius, & Joannes Beguinus, & horum omnium poſtremus Petrus Joannes Faber, *in Chirurgiae Spagyricae ſect. 3. c. 13.* Quorum omnium Auctorum ſingulos locos, *in Chirurgiae chymiatria* noſtra, produximus.

CAP.

## CAP. XXIV.

HIsce noviſſime obſervatis Abſceſſibus adjicimus & alios, non minus lectu jucundos, quam ſcitu neceſſarios, in ſuperiori editione promiſſos.

## CAP. XXV.

### *De Cornu referentibus Abſceſſibus.*

CUm Jacobo Rigitano Locrenſi, Medico Doctore, probato, vidimus *Corniculum*, in frontis angulo ſubortum, Carolo ſartore, ad D. Dominici ſartoriam officinam habente, *Corniculum*, inquam, parum eductum, quale vel cervae vel vitulae primordio exſurgit. Tale quidem mire depinxit Flaccus, ad Julum Antonii Triumviri filium ſcribens, *l.* 4. *carmin.* 2. *per haec.*

*Me tener ſolvet vitulus relicta*
*Matre, quae largis juveneſcit herbis*
*In mea vota*
*Fronte curvatos ignes*
*Tertium Lunae referentis ortum.*

## CAP. XXVI.

### *De Abſceſſibus naturalibus, h. e. inoffenſa ſanitate, inculpatae materiae turgore, venientibus.*

REſtant e tot multis Abſceſſuum generibus quidam, qui, me judice & adverſore, nullo cum hominis detrimento, quin etiam augmento, fieri conſueverunt; quos vel hoc ipſo titulo, quod ſolius naturae praeſtantia & acceſſu meliore proficiſcantur, ſtatim cum admiratione excipient non pauci; verum ſi me audient, & mecum ipſi concordabunt, & admirabilis naturae factum, poſita jam admiratione, collaudebunt. Cum primum indunt ephebi ac ſentiunt ſeſe hirquitallos, h. e. craſſeſcere ſibi vocem, & inter acutum & grave modis inaequalibus, aſperiſque, ſtrideſcere, quemadmodum natura ſit hircis graece τραγίζειν, ſub hoc *inguina, ſponte ſua, ſibi diſtendi atque extumeſcere advertent: durabit autem hic tumor Luna una vel circiter, donec ſua itidem ſponte ſecedat;* ſimiliter & puellae, quae pubeſcunt, jam jamque nubiles fiunt, in unanimis, adenas in globulum exaltari experientur, & ſua ſororiandi primordia, quam rem non intelligentes Medici vulgares medicamentis providi tractant, ſtultitiam natura ridente. Porro fiunt utraque glandularum incrementa, capeſſente jam hominis natura, praeſtabiliorem conditionem & uſum, qui eſt viro quidem ad ſeminandum, foeminae vero ad excipiendum non praematurae ſemen. Ratio autem συνβεβικυῖα pueris quidem, dum ad loca generationis proxima commotus derivat ſuccus; puellis vero dum pluſculus ad mammas adfluit humor, alimento pueri παρασκευαστικός: qui adfluxus a noſtris dicitur *la fava*, quod fabae nimirum vocentur ab his glandulae univerſae: quod genus quidem tumoris, in Parthenophylacio Spiritus S. Neapolitano, plus centies obſervatum, & a nobis comprobatum, fuit.

Quoniam vero de foeminis & de bubone criticum ementiente dictum eſt; utrorumque mentione ac rerum ſimilitudine factum eſt, ut alius jam ſuccurrerit animo memorandus & criticis accenſendus bubo; qui mulieribus jam grandibus ex men-

menſium mora naſci ſuetus eſt; de quo Hippocr. *in l. de nat. pueri*, & *principio de morbis mulierum*, ſcripſit haec; *quibuſdam ubi bimeſtres aut trimeſtres, aut diuturniores fuerint menſes & ad lateris mollitudinem allapſi fuerint, cum non ſuppurati ſint menſes, velut Tuberculum fit ſupra inguen, ſine capite magnum, rubrum; & vulgus Medicorum ignarum quid hoc eſſet, jam ſaepe ſecuerunt, & ſic rem in periculum induxerunt. Caeterum illud, quod veluti Tuberculum fit, tali modo fruitur ſanguine caro ipſa, utpote oſculo uterorum lateris mollitudini adjacenti, & impletur caro ab ipſo, & inſurgit, & eminet velut ſanguine repleta; & aliquando ſi tranſmotum fuerit os uterorum, & ad pudendum converſum, & menſes proceſſerint per pudendum, id quod circa lateris mollitudinem eminuit, ſedatur: in uteros enim diſtribuitur, hi vero foras laxantur*. Hactenus Hippocrates de bubonis foeminei generatione & modo.

Vias autem Abſceſſus proprias adſtruxit Julius Caeſar Arantius, *in libr. de Tumoribus p.* 11. *c.* 46. per haec; *ſcire enim licet vaſa, quae per inguina feruntur, majoris illius jam ſoboles eſſe, a quo vaſa in uterum propagantur, ut ab utero ad inguina turgens in venis humor facile derivari queat*, hactenus nos de triplici bubone ſalubri.

## CAP. XXVII.

*De Abſceſſu ἐπίσημα dicto, Morbum originarium elevante.*

HIppocrates, *in l. de Morbo ſacro*, *n.* 9. ſcripta reliquit haec. *Si vero modica exiſtens pituita in utraſque venas defluxum fecerit, aut in alterius partis, ſupervivunt*, nota *ex morbo* impreſſa relicta; *aut enim os convellitur, aut oculus, aut cervix, aut manus; ubicunque ſane vena pituita repleta ſuperata fuerit, aut gracilis reddita. Hanc itaque venam neceſſe eſt debiliorem eſſe, & hanc corporis partem laeſam defectuoſiorem. Verum ad longius tempus plerumque prodeſt; non enim amplius morbo apprehenditur, ſi ſemel* Notam impreſſam *ſuſceperit.*

Et *numero* 10. *Quibuſcumque aut imperfectis & valde modica pituita defluxerit, & ea in dexteras partes; hi citra* notae impreſſionem, *ſupervivunt: verum periculum eſt, ne morbus connutriatur, & ſimul augeſcat, ſi non his, quae commoda ſunt, curetur*. Haec quidem ille cum aliis pleriſque ſuperius traditis. Quae divini hominis effata ſi perpenderis, ſi plene comprehenderis, vides, Lector, materiam Morbi ſacri, quae pituita eſt, ut plurimum ſuffuſa in tenues infantium venas, atque his ſucci craſſitudine & copia confarctis, obſtructiſque ſic, ut via ſpiritui praecludatur, ſanguiſque congeletur, perimi pueros. Sic ex adverſo, modica pituita in utriuſque lateris venas, aut in alterutras, delapſa, non perimi pueros, verum ipſos in vita relinqui; *Nota*, quam ἐπίσημα vocavit, a morbo impreſſa relicta, hoc eſt, oculo, ore, cervice, manu, convulſis: quae cauſſa interim eſt, ut pars venam ambiens reddatur debilior, venis ſcilicet reliquis ſimul repletis, & gracilibus factis. Dixi jam, ſi modica irruens pituita *Notam* reliquerit in infantibus. Quod ſi valde modica pituita defluxerit, praeſertim in dexteras corporis partes, vides etiam per Hippocratem ἄσημως, id eſt, citra *Notae impreſſuram* pueros ſupervicturos; quamquam non ſine periculo, ne morbus connutriatur: & cum augeſcentibus pueris ſimul augeſcat, niſi arte praevertatur.

Itaque jam noſcis, quae ſit ejuſmodi *Nota*, ac quanti in morbo ſacro momenti ſit; quatenus aut ferme liberet, aut pueros retineat ſub periculo, ne connutriantur. Verum enim vero, ſi licet novum quidpiam cum Hippocratis norma ſtatue-

re

re *Notam* hanc, ne dum in morbo ſacro, ſed etiam in apoplexia, comate, caro, catoche, catalepſi, & in alia quacunque, ſed gravi cerebri noxa, ſi relicta in ſubjecta aliqua parte fuerit a morbo impreſſa; credam equidem hanc pari pacto benefacturam, nec ſolum *Notam* convulſionis, ſed & paralyſis, tremoris, atrophiae, languoris, & cujuſque contracturae, qualem Aureolus Theophraſtus nominavit. Quas ob res, ſiquidem Abſceſſum, ἐπίσημα graece, latine *Notam*, notare ſcriptis hiſce noſtris & inter alios multos reponere voluerim, ne ineptum quidem illud videatur; praeſertim quando ex divini Magiſtri placitis petita obſervatio fuit: ſed haec, ut neque incongrue videamur feciſſe, qui notas iſtas inter Abſceſſus repoſuerimus. En ipſius magni Dictatoris exemplum; qui *l.* 2. *praedict.* ſcripſit, *impetigines & leprae & vitiligines albae leucae appellatae, quibus quidem juvenibus, aut pueris aliquid horum factum eſt, aut paulatim conſpectum in multo tempore augeſcit, his non putare oportet, Abſceſſum tam popularem eruptionem aut morbum.* Quae quidem Hippocratis verba ut plene intelligantur, eſt annotatio lucida Hieronymi Mercurialis, qui ſubdit haec; quid ſit Abſceſſum eſſe & non morbum, atque e converſo forſan non omnes intelligunt; verum intelligent facillime, ſi ſciant, Tumores vel ſponte oriri atque ex ſeſe operationes laedere, ſi enim primo modo fiant, morbi ſunt; ut docet Galenus *l. de differentiis morborum c.* 9. ſin autem ſecundo modo, ſymptomata potius, quam morbi ſunt appellandi; quod itidem in lichenibus & lepris ſtatuendum eſt; quae ſi ſint ſymptomata, Abſceſſus eſſe ſcribit auctor, ſicuti ſi fiant citra alias aegritudines, vocat morbos.

## CAP. XXVIII.

### *De Tuberculis lapidicondis.*

RETulerunt quidem priores rei medicae ſcriptores, in Abſceſſibus anomalis reperta corpora lapidiformia, factis ſcilicet his heterogeneis & pluriformibus. Verum, qui Tuberculum, praeſertim exteriori habitu corporis, ex unica uniformi lapidea ſubſtantia conſtans memoriae prodiderit, hactenus legi neminem. Hoc autem genus obtigit vidiſſe mihi anno hujus ſeculi quadrageſimo, menſe Majo. Porro, ſpecioſa quaedam & honeſta foemina oppidana Fractenſis, cui Arborellae nomen, a viro ſuo, & a Damiano de lo Proite Doctore, Chirurgo perito, meo quondam auditore, ad me perducta, qui ſcirrhoſum foeminae Tuberculum pone jugularia vaſa ſitum dextera exſtirparem. Attrectato equidem Tuberculo, profeſſus ſum confeſtim, ſupra quam *ſcirrhodem* eſſe *duritiem*, atque adeo *lapideam* videri, quod meum enunciatum continuo Medicus confirmavit; nimirum, quod diceret propemodum incredibile, quam multis, quamve valentibus, malacticis tentatum, tamen indies ſolidius permanſiſſet: tandem ventum eſt ad id, ut omnibus modis vellet mulier eximi ſibi malum, etiam cum reſpectu, quippe quae informem affectum in tota vita pati nollet. Nempe appoſite Celſus, in ſexto *foeminis quidem ornandi ſui cura eripi non poteſt.*

Itaque aperta per ſemilunarem ſectionem cute, deinde pollicum binorum expreſſu, facile ſectum eſt, caſtaneae forma & magnitudine Concrementum, at inaequale & ſemiſepultis quaſi botris undique diſcretum, lapidea duritie ac denſitate, quod in aquam conjectum rubellum perſtitit propterea, quod amiculum praetenue, venulis & fibris obſitum, puſillulis ſecum protraxiſſet adſtrictiſſime obductum. Interim una ad aequalitatem recepta fibula, & eccriſi enaema ſanguinis microcoſmi tractata plagula brevi eſt coalita. Quod lapidis genus vidit & hoc anno 1641.

dum

dum apud me degeret Neapoli, ſolertiſſimus naturae inveſtigator Joannes Georgius Volkamerus, Norinbergenſis, atque alii plerique maxime admirati. Alias autem vidimus & de brachio detractum lapillum coryli forma Juriſperito, cui Octavio nomen. Qua mea jam obſervatione demonſtrata, idem modo memoratus Vir retulit, continuo viſum a ſe lapillum nuclei dactulari formam repraeſentantem, quem dexterrimus & ſagaciſſimus Anatomicus ac peritiſſimus Chirurgus, Johannes Georgius Wurſung, Bavarus, Practicus Medicus Patavinus, foeminae cuipiam anno praeterlapſo 1640. Patavii extraxerat ex angulo linguae ſubdito, ſecundum ductum ejuſdem linguae locatum.

Haec dum accepiſti, Lector erudite, credo diſcreviſti duos jam modos conſiderandarum lapidearum materierum eſſe Abſceſſibus; alterum quidem eorum, qui immergantur & innatent propemodum, in ſinu cyſtive anomalorum, ſub infarctu pultaceo adipeve pleniore; qui totum ſinus ambitum complet, adeoque haec illorum ſubſtantia omni undique ſuperficiei cavae conceptaculi non arcte adhaeret, neque idem conceptaculum una complet aut exaequat.

Alterum modum continendi vides, qui eſt, quantum ſinus arcte materiam comprehendit, & viciſſim hic comprehenditur ab eadem; qui modus a priori diſtat, tum quidem in eo modo complectendi, quem modo dixi cum mutuo adhaeſu perfecto, tum etiam quia modus hic eſt cum ſimplicitate materiae conjunctus; quare privatus eſt anomali calculus, ille vero promiſcuus. Verum enim vero nec tantum homogeneae & heterogeneae ſubſtantiae varietas eſt, nec ſolum inhaeſus, receptuſve, diſcrimen eſt, verum etiam generis anomalorum nobilis eſt diverſitas, quando novum hoc genus duricondum videatur, non autem ſpecies ſub Atheromate vel Steatomate comprehenſa. Quod enim tria tantum genera non plura priſcis ſint prodita, credo equidem factum, quod praecipua haec genera voluerint trinario ſolum anomala concluſa, praeterquam quod omnia ſemel ſimulque mortales conſequi divinitatis potius videtur quam humanitatis. Atque hoc περὶ ἑ φύματος λιθοφόρου noſtrum eſto judicium.

Jam vero quod lapidum interiore corpore concretorum memini nolens, de his jam volens differo paucis. Hippocrates quidem *in* 5. *epidem.* 2. lapidis aſperi in utero concreti meminit. Paulus vero Aegineta, *l.* 3. *c.* 41. ejus, qui in teneſmo rejectus eſt; ſic calculus ſub lingua procreatus Avenzoari *l.* 2. *Theyzir. tr.* 2. *c.* 2. & Gentili referente Nicolao ſerm. 4. *tr.* 1. *c.* 6. Jacob. Foroliv. *l.* 4. *aph. c.* 29. Montuus *l.* 4. *c.* 1. Joubert. *decad.* 2. *paradox.* 8. Foreſtus *l.* 14. *obſerv.* 26. Zavitus Luſitanus *l.* 1. *de princip. med. hiſtor.* 10. Aetius *Tetrabibl.* 3. *ſerm.* 1. *c.* 30. natos raro licet calculos in colo teſtatus eſt. Joannes Centimanus *l.* huic ipſi narrationi dicato, duodena lapidum genera variis humani corporis locis accreta prodidit. Nos duas hujus generis exploratiſſimas hiſtorias trademus.

Prior haec eſto. Franciſcus Compagnus auditor quondam meus, nunc Medicus & Chirurgus, arte probatus, certa fide narrabat, Scipionem Peluſium, qui dolorem intenſivum in mejendo acerrimum, tetrae ac viſcidae ſpurcitiei emiſſu, ſentire conſueverat, calculos per anum tres nucis juglandis forma excreviſſe. Hanc autem, & omnes, ſuperat tum rei magnitudine, tum fide probatiſſima, traditio lapidis, qui apud nos eſt, anſerini ovi magnitudine & forma; hunc in colo demortui cujuſdam hominis diſſecti Romae in Valetudinario D. Jacobi Incurabilium, oculis & mente rimatus reperiit Anatomicus exercitatiſſimus, & Phyſico-Chirurgus praeſtantiſſimus, Nicolaus Larcheus; qui, qua eſt humanitate & animi candore, pleraque hujuſmodi ſua obſervata ſolitus eſt ad me tranſmittere, quippe

qui rara & nova gesta jam indies adnotare ; sed de lapidiformibus concrementis nolim jam plura quam satis.

## CAP. XXIX.

### *De atro cruento labii Tuberculo.*

SEd & lacteolae infantis, vix semestre spatium emensae, Andreae cujusdam holoserici Mercatoris filiolae, *atro cruentum Tuberculum* labio inferiori agglutinatum nedum observare mihi contigit, sed & curare, molliusculum, non aequabile, interne etiam prominulum, testudinis terrestris ovo majus ; cujus objectu laboriose, cumque ejulatu, simul & exsuctu minus felici, remixtis, infantula victum attingebat. Ac ne attingebat quidem, ne proinde adjutans nutrix prumpta manu, compressis assidue mammis, quaesitam nectaris guttulam aridum in os infunderet : ad quam calamitatem diurnam, nocturnamque, levandam accitus ego, miseris in rebus adhiberi solitus sum, non tam Poeoniam quam Chironiam opem necessariam denuncio ; cui decreto remissus a parentibus nuncius continuo fuit, qui tamen, post aliquod tempus, auxilii cujusque puellulam videntes exsortem infortunioque obnoxiam, perpetuo per Deum, perque homines, orarunt me supplices mature succurrerem, ferre nec se nec misellulam infantulam posse longiora supplicia.

Tum accedens paratis omnibus, quae de more requiruntur, aureis ignitis scalpellis, sanguineum offensamentum omne sum demolitus ; sanguis quidem fluere paratus & abunde fluens nostris nonnullis adminiculis retrocessit ; Curatum emphyreuma per dies plusculos; interea dum expressa de papilla per manum lacte sustineretur infantulae vita, perpurgata caro, cicatriculam recepit, vivitque puella laeta jam annis & libera. Illud jam non est omittendum, natam infantem de matre sanguineae plenitudinis & corpore sane praefarcto ; ut videantur jam apte respondisse, superflua foetus concrementa generationi & sanguinis affluentis undique primordiis.

Alter infans mihi sese obtulit, hoc anno 1642. sexto plus minus mense natus, cujus labium item inferius mirabile visu fuit ; nam magnitudine praealtum, ut pueri ipsius pugillum aequaret, naturalem formam tum interne, tum externe excedens, colore violaceo, aliquando dilutius, venarum surculis quam creberrimis distinctum ; figura linguae testudinis marinae, id est, crassis seu bucca seu mento tenus initiis in quoddam quasi rostrum & in sinum dedolatum ad summam de ore infimo exstabat, modo pinnulae pulmonis leporini ; quae quidem animantis pinnula, objecta matri fuerat cum utero gestaret in esum appetita medici mensibus : extra autem opinionem nostram de suctu infantis sciscitati rescivimus, in tam magno offensamento neque amissum infanti suctum, & hoc etiam lac sibi prolicere non difficile : sic edocti scilicet & instructi a natura procedimus ad exsuctum, quam rem adulti vix ullo possumus ingenio comparare. De vitii vero curatione requisiti respondimus, praeterquam ablactatum infantem non adigendum in Chirurgi manus, nisi grandiusculum factum, tum futuram tutiorem curationem, quando vita pultibus & sorbilibus sustineatur; in cujus alioquin discrimen facile, hoc praecipue tempore, & per ulcus, & per sanguinis compescendi, necessitates, sublato suctu liquido conjiceretur; qui puer, & matre prognatus est summe melancholica atque hepate retorrido : ut peracri phantasia illud monstri pareret in suo genito ; sed de hisce *natis* infantium sub utero impressis alias fortasse privatim.

CAP.

## CAP. XXX.

### *De Abſceſſibus natura fiſtulatis.*

QUantum quidem obſervavi, diu factitans Medicinam, terna ſunt a totidem cauſſis prodita *fiſtularum* genera; *Unum* quidem eorum, quae fiunt malo medentium conſilio, qui, Tubercula, collectiones & ulcera curantes, ſinunt haec facile fiſtulari, vel in cavitatem quampiam ſerpere & penetrare, deſito vitio, vel quod ante callus obducatur ulceribus ſinubuſque, quam hos ſanie deplerint aut carne replerint. Hujus generis meminit Ludovicus Duretus in Hippoc. *coacas praenotiones*, *corollario de fiſtulis*. *Aliud* genus eſt earum, quae producuntur a morbi vi, quae vinci non potuit, utpote cum ampliſſimus ſinus & vaſta lacuna vel exhauriri ſuperfluitatum affluxu, vel carne jam longe lateque abſumpta compleri, atque adeo coaleſcere, nequit. *Tertium* genus eſt earum, quae naturae, vitae, & ſoſpitatem homini ſatagentis & providentis conſilio, parantur; materia ſcilicet mala de toto corpore, vel de hujus obſeſſo viſcere, per deſtinatas huic operi vias in viliorem, ac laxiorem, partem quampiam amandata, ſine cujus effluvio deterius malum futurum animali fuiſſet. Itaque ſunt hae *fiſtulae* rei ſtatuſve melioris, ſi recte naturae proſpicientis arbitrium intueri noverimus: quod inſtitutum, quoniam a Magiſtra noſtra, bonorum noſtrorum diſcretrice, parente proficiſcitur, facinus hercle ſit, aut antevertere, aut divertere, aut retrotrahere, aut amoliri, aut cohibere, conarit: tametſi enim haud criticum eſt illud opus, nihilominus, quia cum profectu eſt animalis, amplectendum eſt beneficium & a parente benefica agnoſcendum. Porro, praeterquam in cacheticis, i. e. habitus corrupti hominibus id non fit, aut fit nova ſuccedente affectione ſub morbi prioris ſuperfluitatibus & reliquiis: de quo ſecundo genere profeſſus Avicenna fuit haec; *ulcera generata ſucceſſione aegritudinum ſunt mala, quoniam natura repellit ad ea reſiduum corruptionis ſuperfluitatum*. Mala autem haec Germina cenſuit Avicenna, quia ſanationem non ſint adeptura, haec autem fiſtulas non malas viſus eſt judicaſſe Hippocrates, qui *lib. de humoribus* 28. *& l. epidem. ſect.* 3. §. 35. *fiſtulae*, dixit, *Abſceſſuum aliorum medelae*. Ab his enim fiſtulis, inquit Galenus, *in com. de humoribus; ſicut etiam ab haemorrhoidibus repurgatur redundantia humorum in animantis corpore collectorum, ac plerique non ſecus quam ex haemorrhoidum excretione, hujus evacuationis beneficio integra valetudine perfruuntur; ut igitur neque oſcitanter neque ſine magna diligentia curare haemorrhoides oportet, ita, ne fiſtulas quidem: neceſſe enim eſt, ut humores ſuppreſſi & dolores & morbos pariant; eoſque ejuſmodi, cujuſmodi ſunt humores, qui redundant: non igitur a ratione alienum eſt, quod dixit, fiſtulas eſſe aliorum morborum remedia, ſicut de haemorrhoidibus loquens, affirmavit eos, in quibus illae eſſent, neque lateris dolore, neque pulmonis inflammatione, neque caeteris corripi morbis poſſe*. Haec ille; caeterum, ut diſcernantur haec *Fiſtulae*, naturae providentia paratae ab his, quas vel prava medentium curatio, vel morbi vis peperit, operae pretium erit exponere. Utinam autem id tradere nobis primis hujuſce rei auctoribus liceat; ſed allaboremus. Haec igitur diſcrimina, tum corporum ſtatus varii, tum morbi vitiaque docebunt. De corporum habitudine nunc pauca. Si haec bene colorata, ſi bonis viſceribus, ſucciſque praedita; ſive per haec, ſive per evidentes cauſſas *fiſtulas* promant, a Medicis parum ſcientibus curata, dicito fiſtulas ab homine non autem a naturae opera factas; ſin minus intueri naturas patientium oportet, quemadmodum docefecit nos Hipp. *in l. praedict.* 2. *num.* 17. profeſſus haec; *ſpecies*

*hominum bonae ſunt, hae leves & commodoratae & bonis viſceribus praeditae, & neque valde carnoſae, neque durae: juxta colorem vero ſit ſpecies alba, aut nigra, aut rubens; hae enim omnes bonae ſunt, ſi purae ſint; ſi vero pallidus color admixtus fuerit, aut color ipſe pallidus aut lividus fuerit, pejus eſt: ſpecies vero, quae praedictis contrariae ſunt, eas deteriores eſſe ſcito.* Haec naturae diſcernicula ſi rite rectèque ſpectaveris, Lector, facile diſcreturus es & corpora, quae *fiſtulatis Abſceſſibus* ſunt parata: atque ita, ſi me Deus bene amet, nonnullos & divina vi malo huic obnoxios, qui vere jam erant, nec quicquam aperuerant; & praeterea nonnullos ex his curari ſe volentes dimiſi, monitos, ne ſe curent, quibus tamen ulcus obduci fuerat facile.

Narrabo huc auditu non indignam & memorabilem Hiſtoriam, quae eſt. Sacerdos quidam apprime pius, cujus nomen reverentia E. non audeo publicare, perpeti ſolitus *haemorrhoidas* lenes, ex Tuberculo pone podicem reſiduas, curandas obtulerat *fiſtulas*, doloribus diurnis ac nocturnis afflictantes adeo; ſecundum pubem, atque os coccygis, ut nulla ſe miſer conſolatione tueretur; niſi quod haec quaſi martyria reciperet voveretque Servatori Chriſto. Exhorreſcere ſuetus ſecum excernendarum neceſſitatem propterea, quod ſupplicii modo torqueretur in his reddendis. Hanc ob cauſam emetico levi ſtomachum imbecillo viro perpurgo; ſecuto levamento per eductam bilem amaram, ad fiſtularum negotium appello manus, quas fiſtulas cum judicaverim reſpondentes ex altero orificio in alterum deducto, ſpecillo ſtanneo funiculum ducente, relinquo funiculum, *Cerato ecpyitico*, tinctum: mirum viſu fuit, quam ſubinde levari dolores ceperint omnes, retroagi febricula, ſomni diu expetiti obrepere, ventriculus reconciliari, vires denique reſtitui, non triduo vel quatriduo, verum etiam in dies; quare non tam laudandum funiculum medicatum quam ſuſcipiendum θεοδώρον ac divinitus miſſam exiſtimavi ſic, ut eundem proviſioni malorum & cautioni perenni decreverim: de curandis vero affatim fiſtulis cura renunciata. Quod conſilium ut ſequerer, multa ſuaſere, atque ut in unum complura referam phyſiognomonica: Puſillus & macer homo; voce exili; pene glaber, tum mento, tum ſuperciliis, tum toto corpore; fronte perampla; pulſu arteriarum exiguo; colore inter plumbeum & palleſcentem medio; paucae eſcae ventriculus & pauci potus; quamquam ad potum propenſior, quam ad eſcam; actiones omnes lentae, laxantibus quibuſcumque citatior alvus. Haec homini naturalia fuere, ex his vero quae *p.* 11. praeſertim quae circa ulcus ſuperfluitates, ichorodes quamplurimae; quod unum inter multa fuit argumento, ſanguinem huic viro crudum & ichorodem fore: venit autem hac obſervatione in mentem mihi, quam accurate Hippocrates melancholicam cruditatem appellaverit; quas ob res itaque maxime confirmatus ſum, ut *fiſtulas* haſce crederem morbum congenitum, indelebilem, incurabilem, ſicut curandum non attrectarim, Hippocrati monitori parens, & ſuaſionibus naturae jam dictis.

## CAP. XXXI.

### *De Abſceſſibus forulatis.*

SUnt Abſceſſus, qui ſponte dirupti forulum relinquunt, qui forulus vix ſpe-ctabilis eſt: quare ut curentur expreſſione ſola, velut furunculi contenti ſunt; curantur autem cito propterea, quod carnium natura minimum fuerit extrita ſuppuratu; materia quippe ſubſtrata plurimum ichoroſa: *forulatos* hos jure vocaveris ad eum prope modum, quo natura fiſtulatos Abſceſſus dixit Hipp. *l. de humoribus;*

*bus*; sic linguae tumorem magnum, adeo, ut os totum oppleret, cum collega Josepho Civella Benincata, solertis ingenii Medico curavi, qui Abscessus quidem suppuratus & diruptus, eo quem dixi modo, compressus resedit.

## CAP. XXXII.

*De Abscessibus, qui in partes solidas putredinem invexere.*

IN puella bima Ferrantis de Afflicto filia post apertum Abscessum, qui viginti quinque diebus suppuratus fuerat, repertum ligamentum humeri & radii jam diruptum, qua calamitate in tenellula infantula quid miserius? In Joannis Dominici Mammoli Florentini Atheromate, quod genam prehenderat, ossis jugalis caries. Itemque sub Atheromate selectae matronae Aureliae de Ligorio, verticis olabefactatum, & cancrosus affectus est inductus, qui postmodum a me vividi ignis praesidio curatus est: sic etiam in aliis pleriisque, longo Atheromatis inhaesu cas riem & teredinem ossi substrato convectam vidi. Quam rem discant hi, qui, quod nihil molestent hi Abscessus, neutiquam attrectari volunt; quando autem solidissimis ossibus non parcit vitium, qui caeteras partes spermaticas praetereat innocuum?

## CAP. XXXIII.

STeatoma, in coxa, cancriformi specie, mulieri cuidam, in Valetudinario nostro decumbenti, redditum, ex carnoso perperam curato Abscessu. Talis fortassis fuit, quae descripta est a Benevinio *l. de abd. c.* 13. Itemque Aureliae de Ligorio, nobili foeminae Neapolitanae, ex male curati Steatomatis reliquiis obvenerat *cancrosum ulcus*, quod nos igne compressimus & obduximus.

## CAP. XXXIV.

*De Abscessibus qui sua vel vi, vel mole, peremerunt.*

JOannes Saltus Glavensis *sanguifluo* sub poplite *Abscessu* peremptus est. Itemque Sutor vestium Magister, prope Palatinas aedes. Celebris genere Isabella Garilia, Lucae de Alimentis uxor, ex *sanguifluo* in crure *Abscessu* mortua, quam ad Hospitale nostrum, ulcerosorum domum, duxerat tonsor quidam amicus. Victoriae Carinolae *Bronchocele livens* mortifera. R. P. D. Stephanus Tuccius, Societatis Jesu Sacerdos ac Theologus, ex *appendula* ad collum *Naptha* alias Bronchocele, quae 18. ℔. pependit praefocatus est. Itemque Presbyter spectatissimus, in aedibus Domini Clementis N. amici nostri, fuerat hospitio receptus. Puellam nuper natam, quae de materni uteri claustris detulit ad postremum jujon *molle Tuberculum*, sanguinis concreti colore, pomi Aurantii mediocris magnitudine, secunda a partu hebdomade sepeliit parens.

Abscessus omnes magni, quae nostra est observatio, proferunt mala symptomata vel mortem.

CAP.

## CAP. XXXV.

*Anatomicae de Abſceſſibus obſervationes.*

POſt haec, & comitatos ad mortem Abſceſſus corporis interioris deſcribi par eſt. Nam ſi qui oculis & manuum adminiſtrationi non ſe ſubduxerunt, ſed ſe cominus obtulerunt; hos enarrari pretio fuit; quid non & latentiores atque altiores, qui mentem medentemque torxere? gratiora profecto ſcitu fuerint haec, quae praeterquam Orcus & umbrae, non fuerat aliquis inſpecturus. Ea igitur his gratia eſto; quae jam erutis a caligine monumentis eſſe ſolet.

## CAP. XXXVI.


### §. I.


*Hydropicus, in utero, tum abdomine, tum pectore, collectis aquis.*

PRincipio rem exponam nulli hominum ad hoc tempus aut viſam aut auditam quae dextera nobis ſorte ſub Junium, anno labentis ſeculi trigeſimo primo, Neapoli viſenda obtigit. Quis opinetur acerba *Hydropis* illuvie vixdum vitam, nedum non lucem, expertum puellum; non plenum adhuc uteri geſtamen & crudum jam hominis rudimentum, in ipſo non tam mortalis matris, quam foventis, & educantis, naturae ſinu correptum? quomodo enim, integro jam, & vivido, & late, ſe diffundente calore naturali, ubertimque vigente ſpiritu aethereo & vitali, ſolidiſſimis & firmiſſimis formationis noſtrae principiis & fundamentis, mire munitum & cuſtoditum agalma novum; invida morbi vis attigerit, & inſolens intercus penetrarit? profecto non debuerant infeſtae aquae tantum virium & facultatis habuiſſe, ut congenito viſceribus igni praevaluerint: ſed tamen ita demum evenit, ut plus molitus, pluſque potentiae nactus, morbus naturam vicerit, ac ſymptoma produxerit, quod eſt hydrops. Itaque quod difficile viſum eſt, id plane neceſſarium & verum apparet: nimirum ut praeſidia corporis, & ad haec ſpectans omnis apparatus, labefactati prius fuerint; ſic incredibilis ille morbi languor acceſſerit. Anne igitur res evenit toto habitu & ipſa craſi uteri complectentis everſa? An male habitis utrorumque principiorum ſeu quidem efficientium, ſeu ſubſtratorum generationi circumſtantiis? praecipue quando relatum eſt, ternas aut quaternas abortiones, exactis annis, tenuem alioqui foeminam commiſiſſe. An denique anteactae vitae, victuſque ratio, & ſine lege potus omni tempore plurimis, qualis quantuſque ſolennis mulieri fuiſſe dicitur, hoc mali peperit? non attinet autem ad nos haec diſquiri tantum, ut vere narrari. In qua re facienda nomina quidem parentum aut hiſtoriae lege, aut fidei cumulandae neceſſitate, pandenda eſſent: verum quia dubito, quam aequo animo rem tuliſſent parentes, illuſtres in urbe Neapoli Viri: parcendum nominibus exiſtimavi. Satis eſt ad ſubſidia Nili, cum integerrimis atque optimis teſtibus rem ad hanc peractam, inter quos alter eſt omni reverentia colendus Andreas Albertinus, e Societate Jeſu Sacerdos; alter Marius Schipanus, omni literarum genere ſpectatiſſimus. Foetura fuerat abortiva octimeſtris, diſtento ſic abdomine, ut magnitudine reliquum corpus exſuperari facile dixiſſes. Qui venter diſciſſus, e veſtigio, fluentem affatim reddidit aquam, qua patinae argenteae, quam ampliſſimae, vacuitas repleta eſt, ſed & totum pectus eodem humore perfuſum erat; ex abdominis, quod Fernelius *in l.* 5.

*Pa-*

ad Pag: 190.





*Pathologiae c.* 11. credidit, caecis ductibus profecto illuc. Quod autem oppido mirum fuit, hepati nulla labes aut vitium; nisi quod sciſſurae omnis expers ac pendulis lobis nullis: sed globosum & obtusae non praeruptae rupi simile: ualem huic speciei fides anatomica refert esse.

## §. II.

### *De Phthisi non exulcerati pulmonis.*

SCribentium omnium calculo comprobatum est, & communi sermone vulgatum; Phthisis pulmonis ideam, & diorismum, esse ulcus ipsius; citra quem terminum & consummationem haud Phthisin aliquam dici patiuntur nostri, sic re sancita per Galenum, in com. 7. *aph.* 16. *&* 3. *de praesagit. ex pulsib.* Verum enimvero, ne quidquam quod verum ratumque sit, etiam contra principum auctorum opinionem latum, dissimuletur, aut sileatur: id quod alias in una quadam epistola ad Petrum Nactam, Medicum Romanum, anatomicae rei studiosissimum, me feciſſe memini, monstrabo brevi citra exulcerationem exstare; languore scilicet & marcore, id est, putrida quadam laxitate tacto pulmone, quod fit nimirum, ubi mucore pituitoso ac semiputri diu multumque alluente distabunt; quemadmodum scilicet folium longo lentoris immaceratu flaccescit. De qua re ita Hieronymus Fracastorius *l.* 2. *de morbis contag. c.* 9. *Verum & illam quoque possumus Phthisin satis proprie appellare, quae corruptis putrefactisque pituitis ita pulmonem affecit; ut si non ulceratus est, at flaccidus, tamen & putridus jam reddatur. Quippe factis dissectionibus quorundam, vidimus interdum partem pulmonis sinceram, & nullatenus vitiatam: partem admodum exacte putridam, nondumque ulceratam, sed tamen flaccidam, mollemque atque in marcorem tendentem, quandoque & totum pulmonem talem vidimus*, &c. quae ille. Praeter quem Virum ejusdem rei meminit, & Desiderius Jacotius, *in com. ad aphor.* 13. *sect.* 2. *praenot. Coacarum Hippocrat.* Quod Phthisis vitio, atque aliis mire multis Abscessibus, enectum illustrem Virum Marcellum Sachettum, Ann. 1629. Neapoli per nos dissecto corpore, non dissimili quam Franciſci primi Gallorum Regis sorte comperimus; cujus rei historiam alias per nos ipsos private editam; propterea, quod in hos sermones accommodatissime cadit: ad hos etiam attexere placuit.

*Historia anatomica, Observatioque Medica, eviscerati corporis incliti Viri*

# MARCELLI SACCHETTI.

*per nos confecta.*

ANatomica observatio si probatur exercita super corporibus eorum hominum, qui non intestini vitio, sed extrinsecus illata causa periere: multo maxime praestabilis videri debet confecta super his, qui morbo gravi, longoque, victi concidere: quam rem equidem eo libentius affero, quod video primitus Aegyptiorum Reges, corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecasse; quae Plinii sunt verba *lib.* 14. *natur. c.* 1. descripta. Eoque apparet, non omittenda fuisse insectio demortui corporis, Illustrissimi Viri Marcelli Sacchetti, qui siniſtra valet diu, varieque, quassatus, arte nulla nobilium Medicorum Urbis primum,

mox

mox noſtratium fieri potuit, quin abreptus fato fuerit demum. Exſequenda inquam propterea fuerat extincti Viri eviſceratio, ut cauſis multis exitii rite perſpectis, & conſolabilis redderetur ejuſdem caſus, qui neceſſarius; & excuſabilis medica res noſtra, quae ineluctabili vi morbi ſuperandae par non eſſet. Enim vero ſi magnus Hipp. *Prorrhetic.* quae male valent corpora docuit δυσίατα, κὴ ἐπ' ἀνίατα εἶναι, ἃ μὲν κακόχροα δεκαδὴ μέλι χλωρά, ἢ χλωρὰ ἢ πελιδνὰ τὸ χρῶτα τ' δὲ εἰδ@ τχιρῶς σκληρὰ, κὴ λεπτὰ, κὴ κακὸ ὥλαγχτα: in hoc ſane corpore, cujus exta pervidimus, praeter φθινάδη μὲν, & ſtrigoſum habitum, nullum ex triplici ordine, quorum nos Medici facimus, viſcus fuit, quod ſuo non tentatum vitio, ſua non tabe correptum privata inveniretur. Quibus omnibus factum eſt, ut quemadmodum ſtirpes in ſabuloſo, & exſucco ſolo, ſuae naturae alieno cretae vigeſcere haudquaquam poſſunt; ſed marceſcentes ac languidae, tum aridis, tum deciduis & foliis & floribus inornatae, dilabuntur: ad eum propemodum Vir eximius, incertum, ut offenſis Charitibus, Hebe, atque Hygiaea (ſunt & qui τ βασκανίαν ſuſpicentur) ſub plurima infirmitudine, ſubque languoribus aevum breve tranſegit. Ex his tamen omnibus cognoſcendus homo felix, quod malae valetudinis incommodis fortior, & nullis ejuſmodi offenſamentis retardatus, virtutem, gloriaeque ſuorum aemulationem, admirabili contentione atque irrevocabili conſtantia, proſequutus eſt. Caeterum autem, quod adverſa valetudine fuerit, id etiam laudi dari poteſt, ſi ſummos ſapientiae magiſtros audiamus, horumque rationes expendamus. Principio enim conſtare poteſt, quod mutuo ſe oppugnant, exturbantque, robur corporis, atque animi vigor, quippe cum vita & hujus analoga omnia, Ariſtotele auctore, caloris & humoris vividi copia conſtent; intelligentia vero & mentis agitatio, quae ad meliorem attinent vitam, frigida ſiccaque exſuperantia melancholiam dicunt, gaudeant, polleantque: horum plane contrariis ſtudiis item contraria contendentibus fit, ut alterum praeponderans alteri ſtruat inſidias, protritum & labefactum denique quaqua valet, continenter, intentet. Advertit hoc Marſilius Ficinus, *in lib. de valetudine Studioſorum tuenda*; itemque alii ingeniorum aeſtimandorum Doctores. Prior vero Galenus *in commentario ad Timaeum Platonis*, quin etiam Plato ipſe in eo dialogo; quando, inquit, anima corpore potentior eſt, exultatque in eo atque effertur, totum ipſum intrinſecus quatiens languoribus implet: quando etiam ad diſcendum inveſtigandumque, collectis in unum viribus, vehementer incumbit, liquefacit protinus corpus & labefactat. Sed haec quidem ſcripto tenus, & meditatione Plato: namque pragmateia per ſe ſervata nos idem docuit, qui Academiae ſuae locum, extra urbem, ſub inſalubri coelo locavit: nimirum ut depreſſis viribus corporis, ea quae ſunt intelligentiae vim capeſſerent. Intellexit & hoc quoque (res profecto mira! quae cujuslibet teſtimonii ſuperat auctoritatem, divino afflatus numine) Bernhardus, qui ſuo Coenobitarum ordini ſacra ſepta exſtruens, haud quidem, ut fieri ſolet, in elato perflatoque coeli proſpectu, non in laetifico atque ad orientem Solem expoſito jugo, non in promontoriolo maritimaque ora firmitatem undique corporis promittente; ſed in humili valde, in uliginoſa lacuna, in aſpernabili, in triſti, in horrido & in peſtilenti, loco, ſub coelo exquiſite turbido & in caliginoſo ſuas ſedes locavit, atque eo nimirum, ut genus vitae coeleſti, quae corporis mors eſt, mancipatus, tum incolatus incommodis, tum terrarum omnium rerum obtutu deprimeretur perpetuo, non erigeretur. Sic & Cornelius Celſus *in rei medicae prooemio*, qui ſapientium aliquot Virorum mentionem faciens; *qui corpum*, inquit, *ſuorum robora irrequieta cogitatione, nocturnaque vigilia, minuerant*; quaſi illud ſpectaſſet Aurelius, quod antiqui Romani Minervam dixerint, quae minuat nervos. Sed nemo

clarius hanc rem expreſſit Caelio Aureliano, qui *lib.* 5. *Chronicorum F. videmus*, ait, *ob has cauſas, & ſtudentium corpora fieri tenuiora, limitatione quadam animi, jugi cogitatione ac diſquiſitione; eorum vero, qui ſeni ac pigro ductu vitam trahunt, ſolidiora ac pleniora fieri corpora, ob contrariam rationem.* Requireretur pro conficienda re nunc, ut talem, id eſt, agitatum ſemper in arduis & graviſſimis, ad religionem & ad rem publicam ſpectantibus, facinoribus Marcelli animum & ſenſus omnes exponerem, verum notiora ſunt haec omnibus, quam ut referri oporteat: deinde cavendum eſt mihi, ne viventis potius, quam ejuſdem fato functi, videar Hiſtoriam contexere.

Jam igitur hac univerſae rei praemonſtratione propoſita, penetralia deinceps corporis inviſentes, primum alentis officinae ſtatum enarremus, mox alias ordine partes percurremus. Omentum & Menſeterium, adipe nulla perfuſum; utriuſque vero color faeculentus, atque ſubcroceus; Inteſtina ſquallentia, coloris janthini, & quaſi fiſtula inflata fuiſſent, praeturgida; Pancreas ſemiſcirrhoſum; Jecur pleriſque maculis diſtinctum, quas cultro diſciſſas nonnihil penetrare compertum eſt; Lienis aliqua particula lato quodam callo candidiore notata; Veſica propemodum oſtracoſae carnis inſtar obdurata; Paraſtatae cyrſoides, ac Veſicae σπερματοφύλακες exhauſtae, ae vietae: Sub pectore Pulmones ſubmucidi fuſcis quibuſdam maculis affatim reſperſi, neque enim ulla ex parte cinerei, quem his ſecundum naturam habentibus colorem attribuit Hippocrates, *in libello de anatome*. Circa Cor nullus omnino adeps, quem tamen viſceri proprium atque eſſentialem adverſus Ariſtotelis, Galenique, placita contendit Realdus Columbus, VII. *rei anatomicae*, ſed ipſum viſcus praeterquam uſus ejuſdem poſcit, flaccidum, & marſupii pellicei modo in ſe recidens. Pericardium inane conceptaculum, neque enim vel ullus aquae, mador obſervatus eſt, qui dignus effatu viſus fuerit.

Supereſt nunc de Capite dicere, ſeu potius de Cerebro: quod inculpatum quidem ſincipite tenus apparuit; niſi quod in ventriculis anterioribus, excedens multitudine repertus humor tenuis ac pellucidus, quem ob id aquam appellare conſuevimus. Illud equidem exiſtimavi quam plurimi, malorum fortaſſe Capitis cunctorum principium, quod rubore ſuo purpureo defloratus ac dilutus emicuit choroides plexus; quem in quatriduanis alioquin, ac ſerius etiam tractatis, cadaveribus, tum publice, tum private, confectis omnibus nitidiorem, ac ſi dici licet, vividiorem ac laetiorem ſemper offendi; argumentum ſcilicet praevalentis aquoſi, coinquinatique, ſanguinis, quam *ſaniem* antiqui vocabant. Ubertatem autem ejus humoris inde cognoviſſes, quod diſtenta, turgentiaque, eadem vaſcula varicoſis quibuſdam eruptionibus, ac toris identidem, ſubſultare vidiſſes. Sunt haec quidem magna, ſed illud, quod mox referetur, eſt longe maximum. Nempe ſe obtulit nobis ex infima calvaria, baſin Cerebri reſiduam eximentibus, qua nervus auditorius in exſculpti oſſis auriculae forulum excurrit, quantus minoris hirudinis, aut millepedae, ductus eſt, hinc atque hinc, ſed dextera major, fibra ſanguinea aut ſanguinis concrementum: quod cum auditorio nervo oblique pergens ad antedictum foramen finiebat. Hanc nobis rem cum admiratione inquirentibus, quid aliud videretur, quam *Bdella* Hippocratis *ſecundo prorrhetic.* memorata, prorſus non fuit: de qua re diſerte Marſilius Cagnatus Romanae Scholae Profeſſor elegantiſſimus, *lib.* II. *variar. lect.* II.

Haec quidem circa Cerebri partem anticam; caeterum poſtica parencephalon, quod ſuapte natura firmius & compactius eſt, ut pote nervorum ſimiliter propagandorum principium molle nimis ac flaccidum, fibris velut diffluentibus conſtans: humore nimirum, quod plurimo ſcatebat, confectum. Mitto, quod colore ferme

pullo, atque ſublivido, quale hactenus in nullo cadaverum ex tot multis, quot in noſocomio Incurabilium & in publicis theatris diſſecuimus, videre obtigit, etiamnum pluſculis ab interitu diebus. Porro ſciri velim egregii Viri corpus non pluribus, quam tribus ab efflato ſpiritu horis, eviſcerari coeptum a nobis: quibus a principio rem adminiſtrantibus adſtitere & Medici, qui curaverant, vigilantiſſimi pariter ac eruditiſſimi, Tyberius, inquam, Carnevalis, Marius Schipanus, & Aloyſius Gratia; poſt hos vero & genere, & litteris, & omni virtute, ornatiſſimus Laelius Guidiccionius, & Joannes Baptiſta Valentius, Fiſci patronus in Curia Illuſtriſſ. ac Reverendiſſimi Viri Alexandri Bichi, Nuncii apud Neapolitanos non ſatis unquam pro dignitate laudati; e familiaribus vero Marcelli, qui continenter interfuit, Octavius Everardus atque alii plurimi. Caeterum ſic levati viſceribus corporis curam alteram ſuſcipientes, & eidem Antiſtiti, qui rem exſequendam pie commiſerat, pareremus, embammate precioſo per miniſtrorum manus idem induſtrie condivimus; tutatique adeo ſumus, ut quod vivens languoribus & putredinis vitio ſubditum jam fuerat, mortuum deinceps in aevum immortale maneret.

Hactenus haec opera tum Anatomica, tum Chirurgica noſtra fuit; caeterum pro rei coronide illud requiri videtur, ut brevi verborum ſerie comprehenſa medicinalis aliqua obſervatio accedat; qua diſpoſitis jam velut altera parte ſedibus affectis, morbi & ſymptomata, quae immeritum heroem exercuerunt, exercitum denique ſuſtulerunt: quae quibus reſponderint ſigillatim collata, ad cognoſcendam vim omnium, & conſpiratum in mortem inveniatur. Corruptus corporis habitus, & grandi macie torridus; lacertis excuſſus vigor; coloris amiſſus decor; multiplex ac varia corporis univerſi divexatio; proculcata ad ſummam venta, corruptarum & chyloſis & anadoſis, & haematoſis ſunt peccata: quae omnia partim invexere gracile meſenterium atque omentum; partim ſcirrhodes pancreas; partim inquinatum hepatis parenchyma; offarctuſque & callis obductus lien: quo congruit apte illud Hippocr. *in 6. Epidemiorum, ſect. 3. Ventris torpor omnium confuſio, vaſorum immunditia, &c.* Haec interanea cum aberrarint a ſuo tramite omnia; principium tamen malorum Pancreati refero, qui alimenti in omne corpus diſtribuendi primus emiſſor eſt, & janua: ſive quod Fernelio, Augerio, Varolio placet, limoſi ſanguinis locus praepurgatorius, & ſentina; ſive, quod Piccolomineo viſum eſt, calidum & humidum elixaturo, cibos ventriculo per ſubjectum vaſculum diploma vaporarium; quali Galen. *in Methodo medendi*, ad conficiendum ceratum refrigerans eſt uſus. Adſtipulatur huic noſtrae ſententiae Joannes Riolanus, qui *ſecundo anthropologiae; pancreas, ait, inebriatum & ſcirrhodes factum truncum portae conſtringit, affluxumque & anadoſin chyli interrumpit, quippe chylus in meſaraicis ſanguinis rudimentum & initiamentum adeptus, cum non poſſit ad hepar permeare, rubefactus refluit in inteſtina, unde corpus contabeſcit ſuo genio defraudatum.* Fert ſuum, & in hac re, calculum Antonius Benivenius, *lib. de abditis c. 37.* narrans, ex hac una viſceris duritie adoleſcentem quempiam maturae ſublatum, cujus ab obitu diſſecto corpore cauſſam, quam dixi, deprehendit.

Ad hos omnes affectus acceſſit lenta erranſque febris, cruditas, melancholia hypochondriaca, lithiaſis, nephritis, diarrhoea, abſtruſi denique alii morbi. Quorum omnium problematum adverſas cauſas complexus eſt Joannes Fernelius, vir ſane, inter ſuas alias in re medica virtutes, abditorum obſervator acerrimus, qui *lib. 6. patholog. c. 7.* ſcripta reliquit haec; *Ego tamen hoc affirmo, & profiteor, cholerae, melancholiae, diarrhoeae, dyſenteriae, cachexiae, atrophiae, languoris, lentarum er-*

*ran-*

*tantumque febrium causas . . . animadvertisse , quorum depulsione deploratis salus redderetur, &c.*

Restat nunc stranguriae, vesicaeque, paralysis, & utrarumque superfluitatum excretus inconsulti disquirendae causae: quas facile quidem aperient ea, quae nuper in historia descripsi, si memoria repetantur. Paralysis quidem vesicae, ac depravatus mictus, multiplices agnoscit causas; tum vasis, inquam, duritiem ostracoden: tum sphyncteris emarcescentis insignem maciem; tum si Bauhini observatione credimus, adenum parastatarum vitium. Potuit & citra haec paresis a superiori nervi unius, sextae conjugationis, & per hunc spinalis alterius resolutione propagari: haec autem, a communi nervorum moventium vitio, cujus radix prima enarratus cerebelli languor fuit, facile promoveri.

Adscendimus nunc ad regiam cordis, ac denegatum involucro humorem expendimus. Hujus quidem defectum haud miraretur Matthaeus Curtius, atque alii; qui tum viventibus, tum confestim ab obitu dissectis animantibus, nullum a natura inditam aquam inanitati vasculi concedunt; spirituum concretorum in aqueam substantiam conversionem a succedaneo mortis frigore cogente profectam hanc adstruentes. Verum contra Vesalius, cum quo & Columbus & humanae fabricae scrutatores alii consentiunt; asseverat, non confectum unquam a se cadaver & cordis amiculum, in quo non is humor exstiterit; confessus alioqui perpetuo plus incunctatae, quam improperatae secturae, cadaveribus adversam aquam. Observatam item in cane vivo madentem quidem hanc capsulam, sed non aqua diffluentem ipse testatur. Sed haec partim ad Julii Jasolini, praeceptoris mei clarissimi, decreta in disputatione de aqua in pericardio, partim ad doctos alios relegantur. Inter caeteros, siquidem ad urbem Romam deferretur haec historia, ejus rei judicium optarim maxime faciendum a Vincentio Alsario Crucio, Medico, scriptore claro, a Josepho Trulliero, Medico insigni, gentis alias regiae nunc Pontificiae, a doctore celebri Fonseca, a Petro Castello, a Joanne Mario Castellano, Professoribus item Pontificiis, Virisque ut rei medicae, ita etiam anatomicae consultissimis, quorum duos posteriores audio, praeter exercitationem νεκροτηρίσεων exquisitam composita de hisce rebus volumina propediem edituros.

Nunc ad cerebri loca cum devenimus, praeter ea, quae de ipso jam pridem indicata fuere; sunt jam noxae sensuum ediferendae. Surditatis & auris perpetui quidem, sed nunc se remittentis, nunc ingravescentis soni, tum bdellae incrementa ac decrementa, sub Lunae praesertim recessibus & synodis; tum aqueos in cerebro redundantes ichores, causas facimus: qui iidem ichores, & amblyopiae, censendi sunt opifices: quae res fit & ea ratione probabilior, quod generosus vir a Romano coelo, quae Galeno *in lib. 5. methodi meden. & in 2. temperamentis*, humidior est habitatio, ad nostram, & potissime ad maritimam dictam plagam, translatus, tum audiendi, tum videndi functionibus omnino melius habuit; quam autem longe optime, cum ad sulphurea Puteolorum loca, & ad assas, quae sunt in myrtetis, sudationes, curandum se recepit; Integer Hercules capite, nisi excitati ad os sacrum, & ad coxendicem, & ad Ischii loca, vetusti dolores inchoata feliciter nostra vota festine interrupissent: a quibus subinde consequentes vigiliae, cruditas, febris; diarrhoea, virium enervatio, desiderabilem virum eripuere. Excitati, inquam, dolores non injuria: quippe mesenterium enatum e ligamentis vertebrarum lumbarium, ex hac parte cum deorsum extenditur, nimirum pondere turgentis & obdurati pancreatis, deprimente: facit soluta unitas, ut necessarius insequatur dolor: praecipue si ejusmodi distentio ac distractio cum compressione partium conjugatur. Confirmatur autem, quod indoluere partes iliorum nedum

ſuperiores, ſed & inferna alia, [illegible] ſcilicet, quod ex ligamentis os ilii cum ossе sacro committentibus, exoritur etiam meſenterium.

Sed ad id unde digreſſus fueram, id eſt, ad ſenſum ob laeſas officinas revertor. Qui unius oculi ſtrabiſmum, reſolutamque ſuperiorem palpebram, admiratur, meminerit nervos oculorum motores ab illuente cerebrum humore multo, quem diximus, imbutos, & ſecundum longitudinem, dum craſſitudo cedit, contractos, in alterutram partem contorqueri, & convelli facile potuiſſe; ſic ad utriuſque partis vitium, & ſui ſitus emotionem efficiendam, uni ſe comparant hi nervi. Quae item humoris eluvies de ſupremo capite ac ſubdita choana in fauces & tracheam & inde ad pulmones delapſa, corrupta jam, & emarcida ſpongioden horum ſubſtantiam ſic affecit, ut non ulcaroſum quidem ipſum, ſed flaccidum putidumque reddiderit; quae Phthiſis ad unguem ea eſt ratio, quam primus explicavit Hieronymus Fracaſtorius *lib. 2. de morb. contag. cap. 9.* Ex quo Phthiſis contagio plane non longinquo contractum, profectumque & conſummatum eſt poſtremo & cordis, & vitalium omnium viſcerum detrimentum. Qua tota cordis curia, ſedeque, plurimis rationibus viiſque tentata, ſubtractaque in dies ab auxiliaribus principiis neceſſarii fomenti communione vita perſtiterit? Ita fato functus eſt Vir, qui Neſtoream, niſi immortalem conceſſeris, vitam vivere dignus erat.

Haec equidem, quantum ad ſuſceptam enarrationem attinet, brevi & perfunctorie: nam quod quaeſitum ex nobis eſt per familiares magnatis hujus & amicos, hiſtorica prorſus rerum adnotatio fuit. Nos autem hanc particulam de noſtro, ne jejuna nimis, quin ut magis fructuoſa res eſſet, adjecimus; ſi qui ſint e noſtris, praeter Illuſtriſſimos conſanguineos, haec aliquando lecturi. *Neapoli in noſtro Muſaeo.*

## §. III.

### *De Coli inflammatione mirabili.*

HOmini cuidam, qui ex colico diuturno, id eſt, viginti dierum dolore afflictus, & omni remediorum genere nihil, adjutus, in Valetudinario deceſſerat, mox exſecto, ſic ample turgens inventum eſt inteſtinum, ut ocreas itinerarias magnitudine ſuperaſſet, qua meſenterii complexus eſt, inflammatum totum, caetera parte cyaneum, & pene ad gangrenae modum emortuum: diſtentum quidem mire foecibus, ſed maxime flatibus, quibus & omnes item inteſtinorum ductus extumeſcebant; quam ob rem fortaſſe ſuppreſſa lotia poſtremis vitae diebus. Ad haec iliorum vacuitas & mollitudo contage viſcerum utrinque nigreſcentes, & flaccidae: venter antequam inſecaretur, hydropis in modum elatus, qui ex ſubito flatus exſulti fragorem edidit, adminiſtro pungenti, terrificum. Sed hepar flaccidum, ſubnigrumque aqua ſub liene crocea multa; ſubque inteſtinis ſanies craſſa putidaque: qui putor etiam undequaque multus. Obſervationi diſſecti corporis interfuerunt Medici, Chirurgicique, Valetudinarii noſtri omnes, qui ſunt Adamus Marchius, Joſephus Chiricus, Dominicus Moſcha, Franciſcus Romanus & Bartholus Capova, viri quidem omnes a me, ſuas ob virtutes, plurimum honorandi. Narrat autem ejuſmodi quoddam Franciſcus Tidicaeus, apud Joannem Schenckium, *tom. 3. medicarum obſerv. tit. de gravidis pag. 625.* cum qua ſua obſervatione noſtram conferre non erit ab re.

§. IV.

## §. IV.

*De Abſceſſu putrido, calloſoque, veſicae.*

ANno 1624. April. 26. interierat, in ſacro Crucis Coenobio Neapolitano, Sodalis quidam Franciſcanus ex abolito mictu, cui diſſecto cadaveri, curante Antonio Sanctorello, naturae morborumque obſervatore ſolertiſſimo: reperti ſunt, inter caetera, meatus urinae flatu diſtenti renes interne puſtuloſi, lividiſque [illegible] obſiti, varie [illegible] callus enormis & inaequalis ſub collo veſicae; quae ipſa undecunque turpi ſanie defaedata, eademque toto nabit[illegible] tentabatur, atque praedura.

# CAP. II.

*Mira quaedam in internis viſceribus reperta.*

## §. I.

*Concrementum gelatinae ſpecie, in Cordis utroque ſinu.*

ANno 1616. Februario, in hominis cadavere per me ſecto, in Noſodochio Caeſariae, inventus uterque ſinus cordis humore obſitus, concreto inſtar vulgaris gelatinae flavioris; quem ego putavi putrem pituitae mucaginem biſis aliqua portione tinctam. Hic primum epilepticus & elinguis, demum occubuit cum ſiniſtri brachii convulſione: quae ſpectantibus Horatio Cytharella, ejus Valetudinarii Medico, & ſuis auditoribus omnibus, itemque Franciſco Antonio Cajetae, Medico vigilantiſſimo, facta diſſectio eſt. Ejuſmodi ad unguem concrementum repertum eſt & in venis magnis, quae cordi inſeruntur, atque etiam in hujus auriculis diſſecti cadaveris, non vulgariter religioſi P. Nicolai a S. Franciſco, ex ſodalibus ſoleatis D. Auguſt. cui operae interfuit Franciſcus Nola, Medicus Neapolitanus, quem honoris cauſſa nomino, ac Dominicus Coccia, & Petrus Anellus Coſta, qui dulci novitatis amore viſum rem venerant, Neapolitanus uterque Medicus eruditus.

## §. II.

*Fungi in Hydropici abdomine.*

ANno 1624. Auguſto, in ſacris Incurabilium aedibus, ſecti Hydropici abdomine, parte interiore pallidi quaſi fungi boleti ubertim reperti; cui adminiſtrationi, atque obſervationi, interfuerunt Reverendi Patres adſiſtentes aegrotis, Doctor phyſicus Joſephus Chiricus, atque alias a me ſaepe citati Doctores, in eodem Valetudinario rem Clinicam & Chirurgicam factitantes non ſine laude.

## §. III.

*De Atheromatis interni corporis.*

NAturae quidem, in oeconomia corporis humani ſaepe ludenti, non ſatis fuerat pomiformia tubera mortalibus admiranda, ſub externum conſpectum ſubjeciſſe; niſi & per intima quoque, viſcerum caloris ingeniti theſauros, illa eadem

dem interdum materia ſe ſuggerente, produceret. Sed enim, haec, cum quis in animum haud fortaſſis inducat facile, proferam huc ego certa & teſtificantia luculenter exempla : primum autem ſingulari utar uno, quod apud Bartholomaeum Cabrolium, Anatomicum & Chirurgicum Monſpelienſem, obſervatione poſtrema legi. Puella fuit illuſtribus parentibus Tholoſae, decimo tertio menſe nata, cujus longo morbo commortuae facta diſſectio protulit haec. A ſiniſtro latere immenſae molis Abſceſſus, duplici tunica donatus, apparuit, a tranſverſis vertebrarum lumborum apophyſibus natus, qui deinde tranſiens ſub lienem totum id latus occupabat; erat autem cyſtula varicoſis pluribus vaſculis intertexta, revulſus autem Abſceſſus decem libras [illegible]. Sed neque hic admiratio finit : in eodem enim abdomine tres alii Abſceſſus, pondo lib. trium inventi, ſinguli ſua cyſti contecti, ſimilibus diſtincti vaſculis, eodemque cemento referti : quae res pulmentum, ova cocta, ficus, carnem, hujus generis alios inſolentes naturae foetus, referebant. A dextro latere duo Abſceſſus immenſi tanquam gemelli, prope vertebras exorti, cum ſimilibus membranis venarumque ramis, oculis adſpectandos ſe dederunt, pondo ſinguli librarum quatuor; quorum unus cavam hepatis partem complebat; alter ad os pubis ferme deſcenderat, eadem, qua alii farragine refertus. Haec ferme ille.

Nos minores noſtros, quod videre licuit, Abſceſſus, exponamus : minores, inquam, mole, ſed partium affectarum dignitate haud ſecundos fortaſſe ; ſiquidem cadavera diſſecantibus & hepatis & pulmonis & renum, & teſtium, & uteri, exteriore habitu ſaepenumero melicerides & atheromata viſenda ſe obtulerunt. Atheromatis quidem ſub pulmonis corpore viſus eſt meminiſſe vel ipſe Hippocrates, *l. de oſſium natura num.* 19. per nomen πῶρος, quod interpetri verſa eſt *calloſa durities;* Hieronymo vero Mercuriali creditum eſt Tuberculum ; utcumque autem ea, quae pulmonibus innaſcuntur dura tubercula diſſecta prae ſe ferunt Atheromatis ſpeciem. Steatomatum autem non memini an ullum unquam obtigerit ! ut pote quod difficillimum hiſce locis ortum nanciſcitur, tum quod benigniorem hujus materiam partim emendare, partim ad ſe rapere viſcera calore munitiſſima poſſunt : tum quod nudiorem, & majorem, ejus globulum oporteret intimius recondi ; quod ne pati quidem natura videtur. Dixi jam in humani generis extis creari haecce Tubercula : ſed & in beſtiis, brutiſque omnibus ſanguineis, multo frequentiſſima ſunt eadem a me reperta ; dum multigenas ſpecies ad *Zootomiam Democritaeam* exercendam & conſcribendam, quotidie domi exſeco; quae ipſa minutiora cum ſint, non eſt quod explicanda quiſpiam a me requirat.

## §. IV.

### *De Syphiliis internis Abſceſſibus.*

PLerique Viri graviſſimi, quales ſunt Alexander Benedictus, *l.* 23. *de morbis curandis*, & Jo. Fernel. *l.* 1. *de abditis rerum cauſſis:* & Laurent. Jubertus *l. de variola magna* & Conr. Tigurinus, *in obſerv.* & Bernardinus Tomitanus, *l.* 2. *de morb. Gall. cap.* 13. certos nos fecerunt, vita & Syphilide defunctis hominibus, ſtudioſe conſectis, viſcera quaelibet, nullis excluſis, reperta tum Phymatis, tum Abſceſſibus, tum ulceribus, foeda non aliter, quam extimo corporis habitu pabulae, collectiones, Tubercula. Sed aliud longe majus addidit Nicolaus Maſſa ; diſſectas quorumdam Syphiliorum, qui vita deceſſerant, venas minimum ſanguinis plurimum albae pituitae reddidiſſe : itemque diffiſos muſculos, qui pri-

va-

vate perdoluerant, mucida multa pituita ſcatentes exſtitiſſe : quae mihi admirabilia quondam viſa, comperi mox omnia quam veriſſima. Etenim in Valetudinario Syphiliis decumbentibus, ſi quod aliud, refertiſſimo, qua viſendarum ego rerum novarum cupidine diu moveor, & quo diſſectionum exercendarum munere teneor, dum accommodatis temporibus plurimos inſeco: ex his, qui conſpecti fuerant illo morbo laborantes, complures offendi, quibus exulcerati tum oeſophagus, tum trachea; quibus item puſtuloſus pulmo, puſtuloſumque jecur, apoſtemodes vero proſtratae ſunt adverſi. Fuit autem & cui (cadaveri ſcilicet ſuſpendioſo, quod Anno 1631. ſub ſaturnalibus in publico anatomico theatro ſcholae Neapolitanae diſſecui) repertum eſt, ſiniſtrum vas deferens ſpermatis, qua ſuper interſeminio ad penem inflectitur, ſub ejus loci glandulas interiores aliqua parte demerſum atque ſepultum; cum autem eidem homini Bubo Syphilicus ulceroſus fuiſſet adverſus; prompta fuit omnium opinio, & ejaculatoria, nedum glandulas Syphilios iſtos Abſceſſus expertas; quod hactenus nemo definivit, aut prodidit, eorum, qui novas Obſervationes medicas deſcripſere.

## §. V.

### *De hydropicae Foeminae cruenta aqua.*

HYdropicae foeminae in umbilico ſubpunctae, non aqua mehercules pellucida, ſed dilutus ſanguis erupit; quod admirationi non mihi ſolum, ſed & Sebaſtiano Vecchiono, Valetudinarii Incurabilium Medico, Phyſico Primario; cum autem id quidam inconſulte retuliſſent, in ſcalpri vim & in ſanguinem, e ſecta cute cum aequa hydrotica commixtum, evicit hos falſitas; quod ejuſdem poſtmodum demortuae cadavere per nos diſſecto, toto circum abdomine viſus eſt, exundans idem albidus cruor.

In his autem exanimorum corporum obſervationibus, noſtris interſerere licebit & miras amicorum noſtrorum duas, quorum altera eſt de Arteriae internae deſcendentis *Aneuriſmate*; adhuc non viſo nec item audito, cujus Hiſtoriam ad me miſit Phyſico-Chirurgus Romanus eximius, diſſector exercitatiſſimus, Nicolaus Larcheus, in Valetudinario D. Jacobi Incurabilium, Romanus Chirurgus.

Princeps altera eſt incredibilis propemodum, *de Angue bifido flagelloſo*, cujus Hiſtoriam ad me tranſmiſit Londino generoſus Vir & Medicus praeclariſſimus, Joannes Hougthon; demonſtratam primo per Eduardum Mayum Doctorem Medicum probatum, Profeſſorem electum, in Academia Nobilium, collegio, quod Muſaeum Minervae dictum eſt. Quas veraſque narrationes, ut inde noſtrae non tam augurentur, quam ornarentur, amicis obſequens adjunxi libens. Prior autem Italica & togata proditor.

*Hiſtoria mirabilis Aneuriſmatis interni.*

# M. AURELIO SEVERINO

## *NICOLAUS LARCHEUS*


## *S. P. D.*

QUod miſeras ad me volumen de recondita Abſceſſuum natura jam a Manelpho Typographo, doctiſſime mi Aureli, recepi: cujus Operis foliola colligatori librorum operario propere conſuenda commiſi, nimirum, ut conformato ſic opere mirifico commode, libando ut ne vorando, uti poſſem. Decreveram autem non prius ad te reſcribere, quam myſteriorum egregii monument gnarus abunde redditus eſſem. Verum cum ex hac urbe Neapolim ſe transferret hic juvenis, non mediocris in arte ſpeciminis, celebratiſſimi tui nominis apprime ſtudioſus, nactus occaſionem, cum parata nova obſervatione, per me confecta, hujus in humano corpore vix dum reperti, maturavi reſponſionem, ac fidelem ejus rei Hiſtoriam ad te dedi, quae eſt haec.

*Anna Burgunda trigeſimum tertium annum nata, craſi exſuperante ſanguinea, potatrix meri nulli ſecunda, ingluviei ſumme dedita, febrem incurrerat ſtipatam ſiti, cibi faſtidio, vigiliis, orthopnoea, corporis jactatione, aliiſque ſymptomatis & affectibus; inter quae non obſcurum locum habebat, pulſatio vehemens ſupra ventriculum, quem pulſum ego, qui accerſitus curationi fueram, arteriae coeliacae, multis animo meo verſatis, Medicus conjeceram: quibus elevandis malis neque detractus ex ſaphena ſanguis, neque alia multa, quae de victus & pharmaciae genere curavimus, agenda profuere: verum, indies augeſcente pulſatione, diutinos labores & extrema virium detrimenta jam paſſam mors occupavit, tum gravi, tum multiplici affectus inſolentia, quod praedixeram primordio parata. Quoniam autem oblata nobis eſt occaſio, ſubſecandi corporis in ſacro Valetudinario conſolationis; hanc nos operam indagandi mali, quantum vires noſtrae patiebantur, rite rectèque peregimus; compertum eſt meſenterii membranam, quae a peritonaeo deducitur, multo circum cruore ſuffuſam atque intentam, nil interim mali meſaraei vaſibus expertis; quoniam autem opinio nobis fuerat male patientis arteriae coeliacae, ad hanc nos perluſtrandam noſtrum omne ſtudium appulimus, eandem ab omni proximo corporum objecta expedientes. Exorti igitur ab inferioribus, poſtquam ad arterias emulgentes pervenimus, ſuperata jam parte, qua magna arteria primos divaricatus ſentit, corpuſcula offendimus tria ex pituita concreta (hujus uber eſt modus arteriae, longeque amplior quam venae) vi caloris, opinor, ſibimet ipſis incumbentia, quae obturabili cujuſdam modo arteriae ductui ſic offarcta tranſverſim erant, ut ſpiritui ſe transfundenti praecluderent viam: continuo autem ad ſuperiora facto tranſgreſſu, tandem coeliaca ſeſe obtulit, ita dilatata, ut compreſſum pugnum admitteret, quae naturae ſuae modo vix annularis digiti craſſitudinem aequat: in quo ſinu ſanguis abunde ſtagnabat ater, grumoſus, in putredinem abeuntis imaginem prae ſe ferens; a quo uno arteriae ſic depravato ſtatu profectam interitus cauſſam, nemo eſt qui dubitet; haec ſunt, amice, quae te latere paſſus non ſum. Rom. 4. Idus Decemb. MDCXXXV.*

Hi-




H
E
G
D
D
F
C
C
b
a
a
B
A
A
b
b

*Hiſtoria mirabilis Anguis bifidi flagelloſi, in laevo cordis ſinu reperti.*

JAm vero producitur Hiſtoria monſtroſi corporis, quod, in ſiniſtro cordis ergaſtulo creatum ac fotum aliquamdiu, mox conditorem, alumnumque, ſuum quacunque fera ferius miſere perdidit; cujuſque hiſtoriam ex Anglia nobis cum icone tranſmiſſam tibi, benevole Lector, ob oculos prius ponere libuit. Londini in Anglia Anno Domini 1637. Eduardus Maij, vir in medicinae arte undiquaque conſpicuus, Joannis Penant, vita functi aetatis anno vigeſimo primo, cadaver, magnis impellentibus cauſſis, aperire voluit; adſcitoque ſibi primi nominis Chirurgo, ſectionem aggreſſus eſt, a regione naturali veſicam ulceribus plenam ac pure diffluentem invenit, ſuperne etiam ruptam totamque corruptam; hinc renes occurrunt, nihilominus vitiati ac putres, dexter enim erat prorſus conſumptus, ſiniſter ad duplam magnitudinem tumefactus; vereque in ſaniem converſus, carnoſae etiam partes interne uſque ad pellem eroſae. Tum ad vitalem regionem accedens altius omnia ſcrutabatur, & in pulmonibus quidem minus laeſionis apparuit; cor vero globoſum & in latitudinem magis quam in longitudinem diductum, cujus dexter ventriculus cinerei coloris exinanitus, criſpatus, contractuſque ad crumenae coriaceae formam repertus eſt, abſumpto penitus pericardio, ſiniſter vero longe altero major atque in lapidem obduratus; ex quo inciſo tanta ſanguinis vis effluxit, ut toto ex corpore ad ſiniſtrum illum cordis ventriculum confluxiſſe credi potuerit. Verum fide majorem partis illius craſſitudinem, ac duritiem, admiratus eximiae vir peritiae Eduardus, ejus orificium latius aperiri jubet. Inde (mirum dictu) carnea quaedam ſubſtantia in gyros collecta Serpentem referens ſeſe oculis objecit; cujus formam ſequens figura huic operi annexa repraeſentat; Serpentis dein extenſi dimenſionem & partes ex altera figura juxta appoſita cognoſces. Monſtri hujus memorandi color omnem humanorum corporum albedinem excedebat; pellis etiam nitens more imaginis recens illuſtratae, caput ſanguineum & ſerpentino ſimillimum, crura, rami, fibrae, nervi; cordae vel quidquid fuerint, carnis omnia colorem referebant; in re tam nova adeoque obſtupeſcenda vix ſibi credens Eduardus, ne vel ſibi vel aliis de ejus veritate dubitandi locum relinqueret, ſuſpicatuſque, ne concreti ſanguinis aliuſve alterius rei ſpecies aliqua oculos, veluti praeſtigio, caperet, rem exploratius inquirere adgreſſus eſt: quamobrem attentiſſime omnia circumſpexit, caput, dorſum, caeteraque diligentius ſcrutatus, omnia Serpentis reperta ſunt; caput denſam, ſanguineam, glanduloſam ſubſtantiam prae ſe ferebat; collum (ut credidit) ex violenta a corde ſeparatione aliquantulum contuſum; corpus muliebri tenuique capillorum diſcerniculo tentatum ſolidum viſum eſt; venam tamen vel arteriam habere videbatur, quae ad naturae beneficium ſerviret: quae omnia fideliſſime, uti coram teſtibus bonae famae acta ſunt, ita narrantur. Cordis vero ſupra a nobis promiſſi cum Angue habeas ideam praeſentem.

A. A. *Inciſio cordis profunda per univerſum ſiniſtrum cordis ſinum facta.*
B. *Anguis bifidus flagelloſus.*
C. C. *Siniſtra auricula diſſecta.*
D. D. *Vena arterioſa a dextro cordis ventriculo exiens.*
E. *Arteria magna adſcendens.*
F. *Eadem prope ſpinam deſcendens.*
G. *Conjunctio tubuloſa venae arterioſae cum magna arteria.*
H. *Rami arteriae magnae adſcendentis.*

a. a. *Arteria coronaria dissecta.*
b. b. b. *Venae coronariae quaedam portio.*

Antequam autem hujusmodi multifidi Germinis & inutilis naturae elaboramenti ἡ διαγραφὴ καὶ τὸ δράμημα proferatur, disquisitio quaepiam de forma ejus & natura praecurrito; & ante hanc etiam prima praemunitio praemonitioque ad eos, quibus difficile sit admittere concrementum tam voluminosum, tamque grave, sub regiae majestatis viscere; quod natura procreatrix communi corporis incolumitati & communi bono voluit, nil insolens, nil injurium ferre debere, ferat autem Anguem flagellosum, qui cor flagellet? ferat corpus, bicorpus, quod mox sese divaricet in dena segmenta? sed pacate & ordinate mei sodes, nec uni vos argumento concredite; monstrabo facile, etiamsi verissimum sit vitale viscus, vel levi vulneris accessu mature vita decedere, nihilominus tamen abscessiones proximas & ulcera non huic propere funesta. Declarant hoc experimenta quam plurima; primum Galeni, qui 7. *de administ. anatom. c.* 13. *& l. de placitis*, testatus est, puerum a se curatum, cui corrupto jam pectoris osse, jam thorace adaperto, nedum cor interne micans apparebat, sed & pericardium computrefactum secundum Fernelii, qui libro quinto de partium morbis retulit, comperta sibi tria ulcera in corde cujusdam demortui, oppido quam cava & sordida, quae multo ante tempore per vitam alta cum corpore fuerat probabile. Quam plurima aliorum testimonia, quid referam, qui de vermibus, Abscessibus, vomicis, tuberculis, concrementis mollibus, duris, pituita, grumis, medullis, gelatinis atque aliis epigenomenis, in corde & hujus utroque sinu nedum auricula subortis, perhibuere, haud enim festino, vel violento, animantis sane interitu.

Haec autem omnia non sic a visceribus aegre fieri persuadet haec ratio, quod natura comparatum est, ut irruentes affatim causae per vim quidem mortiferae sint animanti, quae si sensim & placide in quamcunque partem corporis nostri principem sese insinuent, quasi familiares redditae, non adeo sunt invisae nec nocuae; observatum id saepe, in cerebro, quod, cum vel modicum sanguinem ab ictu suffusum supra membranas norit saepe morbiferum; illuviem tamen puris, ex Syphilia lue stagnantem in suis finibus, perinde ut inquilinum non exhorret. Sic Gal. 6. *de loc. aff.* 4. non fuit difficile arbitrari, quod pus, pulmonis vomica dirupta, recipiente levi arteria, transvehatur ad sinistrum cordis sinum; a quo continenter hospitatum & amplexatum permeet in aortam, hinc in emulgentem arteriam, hinc per ureteres in vesicam. Quid autem, amabo te, gravius foro spiritus & domicilio, quam putridum & putidum pus? Concesseris jam & probaveris aggestum, quod significabamus cordis sinui concrementum. At lege, jam ad Illustrem virum traditum, mox nostrum in epistola judicium.

Cla-

*Clariſſimo Viro, Medico praeſtantiſſimo,*

# JOANNI HOUGTHON,

*Anglo Londinenſi,*

# M. AURELIUS SEVERINUS

*S. P. D.*

JAm vero cognoſco quam multus erga me ſit Hougthon mei amore ex his ſuis literis, quas proxime accepi; quippe nec praepedit quidquam tanta aut temporum aut longinquitas, ut me ſaepe reviſat atque compellat literis; praeterea vero, quaſi quis alterius hominis palati delitias venetur, meos jucundos appetitores nunciorum ſenſus ſtudioſe perquiris; ſic ut enormes quoſpiam & nunquam antea viſos ex anatomica obſervatione caſus invenias, quibus noſtra ſciendi ſtudia & curioſitatem alas. Nam quid illud eſt: Anguis multifidus in ſiniſtro cordis ſinu creatus, auctus, aliquandiu foetus & in vita ſervatus, donec vitam alteri miſero praeripuerit? rem quidem, ut parce eloquar, auditu dignam, & naturae indagatoribus ſerio contemplandam; qua quidem obſervatione & hiſtoria nihil nobis accidere poterat optabilius hoc tempore, quo, & humani corporis & praecipue cordis, quod eſt functionum omnium & vitae ῥίζωμα, diſſectiones & diſquiſitiones exercebamus, in plurimo ſpectatorum conventu, qui & hoc tuo propoſito ſchemate pene obſtupuit; ego autem humanitati tuae, de egregio iſto munere, & multas & ingentes ago gratias, habiturus item de ſtudio, quo haec offerre videris etiam poſtero tempore plurimas. Caeterum, quod attinet ad meum hac de re judicium, quod ſecundo requiris, equidem optaſſem primo pleniorem, quam pictura non refert, Anguis deſcriptionem; tum valetudinis, vitae, naturaeque hominis enarrationem, ab his morbi initia, progreſſuſque, denique interitum, praefata, & conſequuta ſymptomata, accepiſſe: utinam igitur conſcriptae hiſtoriae miſſa fuiſſet epitome! verum, quia ſic exigis, ſententiam meam, utcunque datur, exponam. Compertum eſt, quicunque ſit rerum ortus alienarum noſtro corpori, in hujus ſinubus praecipue non obſcuris neque exilibus fieri; nimirum in quos aut adfluere, aut congeri facile poteſt, ad generationem accommodate. Adde quod in hiſce locis ſcatet, vagaturque, plurima ſpirituum copia, ſtabili naturae lege, quam adnotavit oculate Galenus alicubi. Reſpondentibus igitur, & ſubjectae materiae numeris, & effectoris viribus in loco, praeſertim congruo, & naturalibus illiciis foeto, reliquum eſt, ſubinde, ut prodeat exiſtatque foetus; vivens inquam ſpecies, non tantum vitae expers: ſic in alvo aſcarides, in utero non inſolenti ritu monſtroſa corpora, quae quidem procreationes ſunt ferme frequentes; caeterum infrequentioris ordinis viſuntur & quae in cerebri latebris, & in auriculis, giguntur beſtiolae, & quae in manibus ſirones, & in cruribus dracunculi vocati antiquitus; videtur autem maxime ex putri, aut ad putrem accedente materia, haec exoriri; quamquam hanc ſubputrem affectionem adeo exilem judico ſaepe, ut aut non ſentiatur interdum, aut interdum etiam facile feratur a complectente particula, praeſertim robuſta: nota autem ſunt quae retulit Joannes Schenckius, ubi de corde: notum, quod protulit Hollerius de Scorpione orto in ſinu cerebri: notum, quod arbitrati ſunt noſtri ſcriptores, de Atheromatum materiebus diver-

ſis. Porro materiae univerſae, ex qua principio mundus conflatus eſt, reſpondentes varii generis portiones atque ſegmenta, in uno homine ſtudioſe natura parens complexa eſt; nimirum, ut, qui toto rerum ambitu nunquam intermittente viſuntur, nutu ſuo generationes & motus hos omnes, in parva univerſitatis imagine mentium excitandarum excolendarumque gratia, quotidianis ferme ſpectaculis expromeret atque referret: ut non mireris jam, praeſente ſemper materiae multiplicis fornice, tam varias exſtare viciſſim novarum rerum facies, in humano corpore; an enim, ullo rerum apparente ſeminio, ſubdito creandi uſu, deſes & ocioſa futura ſit poteſtas, cui producendi atque naſcendi libidinem & propenſionem unam ſi detrahas, neque etiam nomen reliquum ſit?

Nunc audi mi Hougthon, quod haec expendentibus ſuaſit ratio nobis, cum ad ſentientium corporum genus communis omnium calculus facile referat hujuſmodi καρδόγενον foetabulum, hoc equidem in vegetabilium categoria repono. Rationabilius autem eſt his accenieri, quae depreſſioris & imperfectioris ſunt ordinis corpora; horum quippe tum proclivior tum facilior eſt generatio, quam perfectiorum, in quibus quippe procreandis & plurium & majorum requiritur vis.

Deinde naturae pugnantius eſt, mobile animal digniſſimo viſceris throno inſeri, ſedatum & immobile minus moleſtum.

Tertio, forma & figura bifida, & in plures poſtremo ſoboles diffiſſa, recte quidem vegetabili adaequatur, inepte Angui, qui monoſtylos, id eſt, ſimplicis & unius eſt ductus. Itaque ſi defixeris humo caput vel radicem, rectius meo judicio fungeam, ſublato trunco & adſurgentibus hinc atque inde ramis, qui in ſurculos plurimos finiunt; ſic apparebit phyteuma planum. At me ineptum! futurum hoc etiam eſt non ſolum, ſi nos arbitrarium illum ſitum extra cordis ſyſtema paremus: verum etiam eundem ipſum natura inditum in cordis clauſtro comperies: qui adverteris radicem non alia praeterquam baſi viſceris parte inhaeſiſſe; quae baſis inferiori mundi loco hoc eſt terrae reſpondet, maxime, ſi id ſpectes, quod homo ſtirps eſt inverſa.

Praeterea vero inani corpore conflatum ſit hujuſmodi concrementum (id quippe oſtendit intruſa in ultimum trunci diremptum dirigente manu virga) haud videtur ſane iſta vacuitas animantis cujuſpiam eſſe. Verum enimvero propria eſt plantae, ex quo genere novimus a trunco ad ramulos inanes nonnullas, ut ſelexi, foeniculi, ſionis, cardui cujuſpiam.

Denique Anguis omnis, ſtabili quadam naturae proprietate, a craſſioribus & capitis & ventris initiis, minoribus perpetuo momentis in exiliora tenuatur; contrario vero modo ſtirps quaecunque ab exilibus exorta fibris perpetuo in latiora ſpatia divaricatur; atque plantae modo, non Anguis ſane, procedit ejuſmodi germen; igitur planta potius, quam Anguis, & credendum & nominandum eſt iſtud.

Quas ob res, pace primi Obſervatoris, quem Virum de hac edita re plurimum laudo, quid Anguem indigitemus, quod φυτόν debeamus vere? an quod magnificentius eſt Anguis nomen quam plantae? Sed non curant, aut adſpernantur potius, Philoſophi. Verum enimvero, ſit animal, ſit planta, non multi refert, dummodo τ λόγον ejus & ideam teneamus: haec autem adſignari, latentibus ſic hujus rei principiis & cauſſis, vero non poteſt. Verum, quod divinare in tanta rerum caligine licet, amico privatim dicam: eructatus e dextero cordis ſinu, per magnam venam, limus ſanguinis & mucida pituita in alterum ventriculum, atque hic ſatis collectus, dum putreſcit, a calore vivido ſiniſtri lateris agitatus & fotus, in eam, quae tenacitatem materiae ſequitur, formam traductus eſt; neque

enim

enim in anatome nova ſunt haec, ſed & mihi plus ſemel inventa in ventriculis cordis vaginae praelongae productio; teſtes autem ſunt mihi Neapolitani RR.PP. e ſocietate Jeſu, potiſſimum R. P. Marcus Antonius Ruffus, ſcientiſſimus Medicinae vir, qui, me diſſectore, in corde P. Menenini & hydrope mortui, viderunt vaginulae ſubflavae concrementum, quantum tota adſcendens cava reciperet.

Haec ſunt, quae mihi in praeſens meditari ſuper hac re licuit. Caeterum quid non magnum veſtrum Harvaeum Angliae ſimul & medicae anatomicaeque rei columen conſulimus? ad hunc ergo Virum rem univerſam relego: quod ſi fiat, meam omnem hanc interpretationem indictam volo, Bene vale Kal. Martii 1640.

*In demortuorum Obſervationes Peroratio.*

HAc ſatis, hoc tempore, curioſis ſunto ſelectae mirandorum Abſceſſuum in demortuis Obſervationes, praeter quem numerum & aliorum longe majorem equidem tradere potuiſſem; ſed Petrum Caſtellum noſtrum Romae necrotiriſes ampliſſime profeſſum, ac justo has volumine complexum, de operis quidem editione, plus ſemel effiagitata, mihi, ſicut confido, gratificaturum operiri praeſtat; nimirum, ut ad illuſtres ſuas enarrationes accedens aliquando deſpicabilis noſtra, lumen ac ſplendorem inde recipiat nonnullum.

De Bubonibus peſtiferis, qui per ſe ipſos evaneſcere conſueverunt, eſt & in hoc genere quod debeam animadvertere. Promotus, hominis bono, glandulas ad inguinales viſitur perſaepe Syphilius Bubo; quem ὀρθόδοξος, id eſt, recti conſultiſſima natura ipſa eadem hujus facti, quod jam monſtratum, provida adminiſtratrix, methodum meliorem commutans, & expulſum vitii commenta, materiam in tenuiorem & parentiorem modum pertractam, uberes per ſudores avertit: quo fit, ut ſuo quaſi nutrimento privatus tumor augeri primum obſiſtat, mox calore partis nativo diſcutiatur & in auras exſolvatur, homine, qui doluerat, nil jam mali neque ullam capitis gravitatem ſentiente: quam rem minime intelligentes Medici minus periti rerum, Auctoritatis ſuae, ſalubritatis aliorum ſolliciti, trepidantes & anxii ſub eo ponunt, in quo non ſunt angore decumbentes, ad aeſtuaria & ſudorifica mittentes inſtrumenta; inani quidem labore, nec ſine diſcrimine, ne viſcera & imbecilla plerumque corpora, violentis hiſce inanitionibus aut turbata oblangueſcant, aut exhauſta deficiant, aut percalefacta intemperentur, extenuentur, aut ne quid demum novi ſubeant mali. Ita ſcilicet una non obſervata, aut non percepta vel neglecta etiam ope & opera naturae, quam ſequi ſe Medici profitentur, in decumbentium tutela miſere aberratur: quas ob res conſultum & aegrotantibus, & curantibus, iri videtur, ſi per primam interrogationem, relicta re ſudoris, confidatur pro meritis naturae ſic, ut ſuperflua credatur opera ſimilis noſtrae; niſi quod abſtinendum non eſt optimis fortaſſe catharticis, quae corpus materiis interim craſſioribus emundent; optima autem judico hermetica, quorum, auctore Joſepho Quercetano & Joanne Beguino, nervoſior, cumulatior, commodior & exactior, omnino vis eſt.

FINIS.

PAEDAR-

# PAEDARTHROCACE

ID EST

## DE OSSIS CIRCA ARTICULUM INFLAMMATIONE

ET

## ABSCESSU PUERORUM PROPRIO.

Spinae Ventoſitatem aliqui falſo nominarunt.

*LIBER UNUS,*

Qui eſt, Operis de ſelectis Abſceſſibus,

*QUINTUS.*

# EODEM AUCTORE SEVERINO.

## PRAEFATIO

*De Argumenti dignitate.*



Lurimis ab hinc ſeculis, poſtquam Arabum & Mauritanorum Academia floruit, ſub Rege Manſore; Morbus, non conſtat an a Graecis memoratus, exſtitit ex tumore atque ulcere, tum carnis, tum oſſis, vitio miſtus, quem Barbari ſcriptores (incertum qua ratione) *Ventoſitatem ſpinae* nuncuparunt. Hunc dire adflictantem, maxime pueros, nemo e Veteribus pro rei dignitate, nec ſatis explicate, tractavit. Unus noſtra memoria Joſephus Pandolphinus a Sancto Martiano, Medicus hoc argumento nobilis, affectum hunc, patriis ſuis oris admodum frequentem, paulo ſtudioſius enarravit. Sed vel omnia, praeſertim praecipua problemata non attigit, vel aliqua per ſe perpenſa minus accommodate reſolvit. Curationem vero, quae in providendo maxima eſt, atque alia quaedam apprime requiſita, nihil exſequutus eſt; praeterquam, quod non nulla parum probabilia ſibi perſuaſit, quae diſcuſſione indigent. Has ob cauſſas operae pretium exiſtimavi facturus, ſi quae mihi vitium hoc in ampliſſimo Incurabilium Valetudinario, atque in urbe tota ſaepiſſime medenti, ſe obtulerunt, obſervatione digna, brevem in commentariolum conferrem, ad ea, quae priores Viri ſcripſerunt, nova. Quam rem equidem feci libentius eo nomine, ut in compoſitis a me nuper libellis de abſceſſibus, hic qui deſideratiſſimus eſt omnium, non deſideraretur, & completum *de multiplici Abſceſſus ſpecie* volumen veniret in manus ſtudioſorum: quorum equidem gratia laborem hunc ſuſcepi. Suum nunc erit & haec candide excipere, & mihi munus hoc exhibenti pari gratiae modo reſpondere. Res, quae cum abdita affectus proprietate & novitate; noxae gravitate & curan-

randi difficultate luculenter a nobis discussa; non mediocrem legentibus frugem ac jucunditatem allatura sit, confido.

## CAP. I.

### *Notio affectus.*

QUoniam, ut Galenus docuit, *l. ad Thrasyb. initio*, in omni contemplatione optimum inventionis initium est, prius exacte cognoscere quidnam sit id, de quo disputatur: consentaneum rationi visum est, ut ante omnia de re, quam instituimus, constet; atque adeo nominis hujus ratio est inquirenda. Difficillimum autem, ac vere spinosum, si quod aliud investiganti se exhibet, hoc nomen *Ventositatis spinae*: ac nisi vel falsae translationis, vel vulgaris appellationis suspicio esset, quae post receptum jam usum in commentarios scribentium perperam, finem nullum habere admiratio: simile quiddam offendimus, in *rosulis saltariciis*, vocatis Tuberculis a vulgo, & Philippo Ingrassia alicubi memoratis; quale nomen etiam cum nolimus, cogimur usurpare: neque aliud usus innovare permittit. Porro nascuntur in populosis commerciis omnibus, inquit Cardanus, nomina, ferente sic eloquendi occasione, nec certo ullo auctore, quae forte minus apta, aut usquequaque probata, sed dura subinde usu molliscunt. Aliam quoque ineptiam continet hoc nomen, ut ex disparibus & omnino diversis duobus substantivis confletur: quo autem pacto unum alteri coordinatur? Sed nihilominus ejus aliquam rationem & quam licet, oportet inveniri. Ego autem non quae multae comminiscendo subeant, nec quae aliis, utcumque placuerunt: sed quae optima ex omnibus interpretatio sit, hanc accipiam. Num igitur *ventositas* ad eum modum est dicta, quo apud Avicennam & alios quosdam, item Barbaros, tumor est inflatio? *spinae* vero vocatus est tumor ex acuto sanguine, sine pulsatione constans, qualem spinam appellavit Avicenna, *l.* 4. *fen.* 3. *tr.* 2. *c.* 1. & *Aldemanul* etiam suo loco.

Sed alia occurrit ratio, quae utrique particulae & harum complexui suum sensum accommodet. Videre licet a Barbaris, & Barbarolatinis auctoribus affeclis, *ventositatem* esse *loco oedematis:* ita Petrus ab argillata, *lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 8. sermonem fecit de *ventositate* alba. Sic etiam communis multorum est loquendi modus; *La ferita cacciata all' aria pigliar di vento*, id est, extumescere.

Fortasse igitur ejus nominis auctor *ventositatem* quidem tumorem, qua sedatum; *spinam* vero, qua crebriter terebratum, ac veluti perpunctum, expressit: quae compositio vocum eo quidem artificiosior est, quod contrarios sensus utrarumque in una consonantium conflat & cogit. Verum enimvero quid non contenti sumus eo, quod unus Razes aperte declaravit in opere omnia continente, dicens *Ventositatem* hanc *spinae* dictam propterea, quod ipsa os perforetur. Sed in corrupto ejusmodi aut vulgari vocabulo non est fortasse morosius ac subtilius philosophandum: atque in hoc praeterea maxime, quod non arguere illud, quod sonat admonuit nos Petrus ab Argillata. Nos autem, quaecunque sit barbari nominis vis, atque etymon, *ossis circa articulum in pueris Abscessum*, graeco verborum complexu *Paedarthrocacen*, quasi puerorum ad articulos malum, inscribi voluimus Fortassis autem est *Spinae Ventositas* a Junioribus perperam intellecta: de qua re suo loco.

CAP.

## CAP. II.

### *De genere Affectus.*

NOn eſt ſane facile decerni, quo ſit genere cenſendus hic Affectus. Namque videtur tumor ejuſdem perpetuus continuo ad auctam magnitudinem referendus: haec autem, quod majoris momenti eſt; non ſummo tenus corpore, ſed intrinſecus extenſa eſt in longum, latum, altumque, dimenſum: quod enucleate tradidit Gal. *initio lib. de tumor. praet. nat.* Itaque tumoris vitium hoc eſſe quis inficietur? Sed enim ulcus vere cenſendum apparet propterea, quod uno conſummationis ſuae tempore, non alio quovis ſpectandum eſt; perinde ac cum perfectum & abſolutum eſt vitium; hoc morbi praecipuam, & nobiliorem formam, habet; primum curantis ſtudium contendit; & huc omnes ſaneſcendi difficultas refertur: ac neque etiam tam extumeſcentis, quam pertuſi corporis abhorretur forma. Sed ad utraſque carnis affectiones accedit tertia; quae eſt oſſis vitium indubitatum: de quo poſterius agetur. Poſſumus igitur omne vitium complexum multis, compoſitumque, dicere; nam quid quaeſo prohibet, quin ad plura genera referatur? quandoquidem in multis aliis id fieri conſuevit.

## CAP. III.

### *Oſſibus Apoſtema ſuſcitari poſſe.*

QUod in graviſſimis omnibus pertractandis Morbis accidit, pendet curationis omne momentum a plena vitii dignotione. In hoc igitur affectu, difficillime primam nos notitiam rei ſequemur; quae, ut ordinata, firma, breviſque, non confuſa aut implicita, ſit, inter caetera neceſſarium arbitrati ſumus, aliquot hic hypotheſes ante proponere, quae veluti fundamenta & principia demonſtrationis noſtrae ſint, lucemque diſputationis conferant quam maximam. Primam autem eſto de oſſium habitudine ad Abſceſſum; de qua re ſic aliquando meditabar. Utrum oſſa ſuapte natura ſubeant Apoſtema; non ſic quidem unum affirmatur aut negatur; ut non alterum contra contendi poſſit; negavit porro Serapion Arabs, *in primo Breviarii c.* 20. dicens, *quia nos ſcimus, quod in omni membro, in quo fit tenſio, accidit Apoſtema; ſed non eſt in natura cerebri, ut recipiat tenſionem propterea, quod eſt frigidum corpus: & ſimiliter non eſt in natura oſſis, ut recipiat tenſionem propterea, quod eſt frigidum & ſiccum, & durum valde; ergo neceſſe eſt, ut non accidat tenſio, niſi membris, quae ſunt inter id, quod eſt in fine duritiei, & inter id, quod eſt in fine lenitatis, ſicut ſunt panniculi, & ligamenta, & nervi, & lacerti, & caro, & quae ſunt ipſis ſimilia.* Quae hominis ſententia in breviorem & commodiorem argumentationis formam aptari ſic poteſt. *Ea pars ſubdita naturaliter eſt Apoſtemati, quae diſtenſionem in longum, latum, & profundum, recipit: atque os diſtenſionem non recipit; igitur neque Apoſtema.*

Non terruit haec ratio, neque alia hujuſmodi quaecumque, principem Avicennam, qui *lib. primo fen.* 2. *doct. prima c.* 5. paulo poſt initium ait; *Apoſtemata quidem membris accidunt mollibus: Sed eſt etiam, cum oſſibus accidit res, quae apoſtemati ſimilatur, per quam ejus ingroſſatur magnitudo & ejus augmentatur humiditas; neque eſt mirum aut extraneum, quod recipiens augmentum aut additionem, cum nutrimento recipiat eam (ſcilicet additionem) cum ſuperfluitate, cum*

in

*in ipſum penetraverit , aut in ipſo acciderit* . Vides quam acuta ratione , & ſive defluxu , ſive congeſtu, demonſtraverit Avicenna, poſſe oſſa concipere Apoſtema ; quam rem enucleatius expoſuit & *in l. 3. fen. prima tract. 3. c.* 1. principio refutata Serapionis opinione, per haec verba: *Non enim eſt quemadmodum quidam Medicorum exiſtimant , quod cerebrum ipſum non apoſtematur , ſic ratiocinantes : Nam quod eſt lene ſicut cerebrum , & durum ſicut oſſa non extenditur : & quod non extenditur , non apoſtematur : hic autem ſermo eſt erroneus , & illud ideo , quoniam lene viſcerum extenditur , & oſſa etiam apoſtemantur: & Galenus illud confeſſus eſt , & nos monſtrabimus ſermonem de eo , in capitulo dentium* . Deinde *lib. 3. fen. 7. c.* 1. tradidit idem Vir rationem , quae eſt ; *nam omne , quod nutritur , idem extenditur , & augmentatur cum nutrimento ; & ſimiliter eſt poſſibile , quod extendatur & augmentetur cum ſuperfluitate , & illud eſt Apoſtema , & quandoque accidunt , ait , dentibus ſpecies Apoſtematum ; & illud quidem non eſt mirum : omne enim , quod recipit extenſionem cum augmento nutrimenti , non elongatur , quin recipiat extenſionem cum ſuperfluitate ; nam ſi non reciperent materias penetrantes in eis , augmentantes eos , non fierent virides , & denigrarentur; illud enim eſt propter penetrationem ſuperfluitatis in eis* .

Quae verba Principis eo majorem firmamenti vim continent , quod ſunt ex Galeno traducta ; qui *l. 5. de comp. med. ſecundum loca c.* 4. *circa medium* ſcripta reliquit haec ; *ſi vero lividi per omnem ſuam ſubſtantiam facti dentes appareant , nil mirum eſt ipſos quid inflammationi ſimile pati, & aliquid detrimenti ariditatiſque ſuſcipere* . Poſt quae addidit ; *redundantia vero conſimilem in eis affectionem concitare poteſt , qualis eſt circa carnoſas partes inflammatio* . Mirum autem eſt , quantum hoc toto capite noſtro faveat propoſito Galenus . Succenturiatus autem utriſque viris eſt Albenzoar , *l. primo Theiſir. tract. 6. l. 2. c. 2. quod eſt de ſuperadditione oſſis in principio* , per haec . *Et ingroſſantur quandoque oſſa in ſua ſuperficie ab humoribus mordificativis, qui infunduntur in ipſis oſſibus a ſanie , quae tranſit ſuper ipſa : unde concavantur , corroduntur & ingroſſantur* . Qui idem auctor *eodem tit. 6. lib. 2. c.* 5. retulit de quodam homine , cujus dorſo concretum os inſtar cornu , non ita durum , ut os naturale ; pater excuſſit catharticis impellentibus humores craſſos , & medicamentis exterius exſiccantibus. Itemque narrat de ſe ipſo , qui natum ſibi ſuper dorſum os graviter moleſtum, craſſa vacuantibus pharmacis , & emplaſtris diſſolutivis ademit . Quid quod Galenus ipſe, *l. 6. de uſu part. c.* 3. *nulla*, ait, *ſubſtantia eſt adeo dura, ut ſicut alitur, non poſſit etiam augeri praeter naturam ; ita ut oſſibus id quoque uſu veniat , ſed maxime hoc experiuntur , qui laxiora ſunt & molliora* . Jam igitur inquies , ſi quae praeter naturae ſtatum ſunt oſſa , extendi atque augeri cognoſcimus : multo etiam magis oſſa naturae modo ſe habentia, ſub alimentum extendi, ſuperfluiſque craſſeſcere poſſe, confitendum eſt.

Sed & dentes inflammatorium Abſceſſum pati monſtratur teſtimonio Ludovici Dureti , qui ſuper illam ſententiam Hippocratis, *in l. 2. Coacarum praenot. c.* 21. §. 8. ( Dentis ſphaceliſmus Abſceſſum in gingivam exoluit ) *Dens, ait , os acerrimi ſenſus , quod tantum atteritur , quantum molendo mandit ; ac tamdiu creſcit , quoad quieſcit ; omnium affectionum capax , omnibuſque morbificarum cauſſarum telis expoſitum , quibus & caro ipſa eſt , nec cum minore perceptione rei moleſtae , unde ſucceſſionis doloribus cruciatur . In eo ſymptomata conſpiciuntur omnia , intemperiei , phlegmones , continuitatis & contiguitatis emotae* . Significavit & ſuam, non recedentem ab hac ipſa ſententia , Joannes Langius , *l.* 1. *epiſt. med.* 42. cum numeratis pleriſque luis Venereae ſymptomatis ; quae cognita ſingula veteribus con-

tendit : *Steatomata*, ait, *& Tubera, atque ex intima offium medulla concretus ſub illorum panniculo tumor, &c.*

Demonſtravit & hanc rem experimentis Phil. Ingraſſias, *in lib. de tumor.* ubi narrata hiſtoria a ſe diſſecti cadaveris, in noſtro noſodochio Incurabilium; cui cadaveri, hominis alioqui Syphilide commortui, reperta ſunt oſſa pectoris & juguli, & aliquot coſtarum, inſignibus tumoribus exaltata: quibus ſubinde, ruptis, apertiſque, puris graviter olentis nonnulla portio manavit, quo demum exhauſto, patulus & cavus oſſis ſinus apparuit. Quibus addidit idem auctor, etiam praeter aetatem, incremento Galenum & Avicennam cenſuiſſe, dentes colorem bonum deponere, mala ſubeunte ſubſtantia; atque hac ſimiliter imbuta, corrumpi partium mollium & carnis modo. Subdiditque idem Ingraſſias; rationem Galeni non in augmento, ſed in nutritionis vi conſiſtere, quod apparebit facile, ſi Galeni verba non oſcitanter legantur. Poſt quae, curationem dolentium ipſorum dentium tradens, repellentibus non aliter, quam ad carnis phlegmonas utendum praecepit: quippe quia per defluxum fit vitium. Quod ſi per defluxum eſt quidem, ut eſt vere, defluxum ipſum cauſſam inflammationis accommodatam ecquis non videt? atque eo maxime, quod, oſſi calvariae ſiniſtre exciſo, neceſſariam inflammationem impendere monuit Hippoc. *in l. de vulneribus capitis*, ſaepe; nec non Gal. *l. 6. meth. c. 5. τὸ ἀναλογόντι τῇ φλεγμονῇ.* idem quid inflammationi proportionale perpeti oſſa profeſſus eſt. Quid, quod Hippoc. *l. 4. epid.* in hiſtoria ſenis, qui in lapideis veſtibulis habitabat, conceptis verbis teſtatus eſt, oſſis ſuppurationem; in quo loco Franc. Valleſius retulit haec, non nihil ad noſtrum uſum facientia; *Ubi autem inflammatio ſit, & hic Abſceſſus eſſe poteſt, ſive malueris Apoſtema: cujus etiam ratio conſiſtit, ut partes, aliquo intercedente vitio, diducantur; quis autem inficietur oſſis partes interiores ſaltem, humore copioſiore impellente diduci atque laxari?* Sunt & huc demonſtrationes, & experimenta Langii, quem adi.

Reſtat nunc videndum, ex quo peculiariter Apoſtemate, atque humore, corripi debeant oſſa: ſtatuitque Ingraſſias nullum eſſe, a quo vitium ducere non poſſint: ſi vero paulatim propriique alimenti, ut par eſt, ſuperfluitate coacervata procreandum Apoſtema ſit, ex melancholico exuſto ſucco promptius illud eſt eventurum; ſed de viris Ingraſſias loquutus apparet: in pueris alioqui ſanguinem, aut pituitam eſſe materiam inflammationis probabilius eſt: qui uterque humor, ut paulo poſterius oſtendam, vitiatus & in poros oſſis illapſus, & in horum ſubſtantiam non coaptatus, ſed rejectus & conculcatus, jam computreſcens & fervens, oſſa vitiabit, intemperabit; evertet ita frigida & ſicca oſſis temperies naturalis, in calidam & humidam, quae eſt praeter naturam tranſvadet, proportionalis ſcilicet carni: quod Galenus dixerat inflammationi proportionale.

Ex his jam conſtat, nequaquam eſſe difficile, ut oſſa conditionibus Abſceſſus ſubjiciantur.

## CAP. IV.

### *Quod articulos proprie longorum offium apprehendere debeat hoc vitium, ut re vera apprehendit.*

UT planam atque expeditam evidentiam comparent ea, quae praecipuo hoc argumento monſtraturus ſum: equidem cogitavi conducibile, ſi partium oſſis, ad articulum potiſſime ſpectantium, uſus & conditio diſpiciatur; quam rem jam exſequi paror ad hunc modum. Oſſis univerſa partitio triplex eſt Una pars:

in-

*innominata* veteribus ; quae *corpus* nobis dicetur ossis , pars ejusdem maxima & praecipua , aliarum veluti truncus , in medio sita. Altera pars ossis similitatem primam adferens capitulo, a natura conditrice conglutinata, *epiphysis* dicta Graecis, *appendix* & additamentum Latinis . Estque haec , auctore Vesalio , os alteri ossi adnatum , peculiarem obtinens circumscriptionem ; neque illius ossis , cui committitur, vera portio . Tertia pars est segmentum ossis extremi , supra communem ejusdem aequalitatem extuberans : estque haec , eodem Vesalio describente , ossis pars nihil a suo osse differens ; nisi , quod Tuberculi , seu gibberis , instar ex osse procedit ; quemadmodum ex arboris trunco radices & rami exultare , procedereque videntur .

Corpus ossis , Anatomicorum omnium consensu , durissimum est , quod propugnaculi instar impetum injuriarum sustinere debuerat . Appendix vero , secundum Galeni sententiam *in decimo de usu part.* excogitata est a natura , ut operculi vice esset ad medullarem ossis partem tuendam , ne diffluereat , atque ut , arctius coarticularentur ossium capitula ; quamquam alia Vesalii & Columbi fuit opinio , seu verius erga Galenum diludendum prurigo . Sed & alter usus a Gal. expositus est , *l. 2. de usu part. c. 5. circa F.* adnexas ossibus appendices , ut ex ea conjunctione ligamenta possent enasci , quae articulos circumligant & firmant . Tertius usus est , ab Andrea Laurentio relatus , Hippocrati primo auctori , volenti esse epiphyses quasi ventres ossium , in quibus concoquatur ossium alimentum , quod sensim in horum cavernis percoletur . Porro est hic usus , qui nostris placitis maxime favet .

Sed processus ossis & capituli qui finis? Ad partium quarundam , musculorum praesertim , ex ortus , atque insertionem , tradiderunt quidem omnes . Verum & usus alii non desunt , ubi variam hujus formam atque figuram spectaveris : sed de hac re satis .

Cognoscis nunc mollissimos , & maxime succulentos , esse fines ossium longorum , quae cum aliis coarticulantur , raramque & accommodatam horum structuram , ut succos advenientes pro nutrimento excipiant . His adde , quam ipso motu laxos , imbecillos & ad repellendum ineptos . Quas ob causas memineris etiam , ut in Abscessibus absolvendis , has maxime partes consuetus fere semper impetere sit humor , qui rejectus a superioribus , huc transmittitur . Mirum igitur ne sit , quod communis ossium atque alia privata , quam post haec exponam , cacochymia seu arthrocace , maxime colligant articulis .

## CAP. V.

*Quod non carnis , sed ossis praecipue sit hoc vitium ; quodque non a carnis habitu profectum , sed ossis primum σύμπτωμα .*

QUoniam autem os , & caro , naturam inter se nacta dissentaneam , vitium uno communi loco subiere : quaeri non inutiliter potest , utri nuncupandus sit affectus , & , utrius sint morbi conditione priores partes . Videtur autem , quod ossis vitiati longe potiora sint momenta , neque illud tam dico curandi difficultate , scilicet hoc planum & nulli dubitabile ; verum etiam procreati mali ( cum Philosophis dicam ) anticipatu : quoniam autem video nonnullos , quorum opinio fuit , hoc vitium ossibus secundario advenire , nimirum ab exteriore habitu , & a perioestea membrana , translatum ; ostendam equidem hoc falso credi , & ab ossibus verius proficisci vitium in circumsitas partes ; quod ostenditur

duplici ratione. Prima, quod cum simul appareant haec utraque vitia, multo prius antecedere debuit id, quod invasit os; utpote quod durius & obsistentius est natura, quatenus penetretur, molliatur, conteratur. Deinde, quod a primordio in loco alioquin excarni, non parum altus exstitit tumor, qui proprius fuerit ossis oportet, non carnis, quae in articuli ambitu nulla est plane. Tertio, cum exilis sit portio carnis, quae vitiari possit, ejusdem quoque vitii parva sit vis consequitur, quae duritiem ossis conficere queat; contra vero os, cum mole majori constet, amplum ejusdem vitium, etiam atque etiam carnes conterere, ac labefactare, valebit; praesertim quando subjectum veluti fulcrum sit os carni: nos autem experimento quotidiano didicimus, in vulneribus capitis & corruptelis aliorum ossium, circumjectam carnem ample computruisse, sub hac vero vitiata subjectum os commarcuisse, non ita multum licet procedente longius tempore, non nego commaculatum os, & labefactum. Adde, quod ossis quanto durior est soliditas, tanto gravior est corruptio, quod declarat gravis faetor ab osse cariem experto, & nigro, exsurgens; sic licet pauca hujus putredo, qualis quidem putor non est a pari vitio carnis. An autem illud fit, quia sub densiore substantia complexa magis putredo minus exspirat, minusque dissipatur? sed, particulis ejusdem in se coactis, confertim exhalat odiosam mephitim. Accedit ad haec testimonium Avic. qui *l.* 4. *fen. tr.* 4. *c.* 9. professus est, non obscuris verbis, vitium hoc, tametsi carnes etiam prehendat, nihilominus verius esse ossis. At neque aliter post hunc, Nicolaus Florentinus *ferm. 6. c.* 40. & Jo. a Vico *in l. 9. suae Copiosae c.* 34. Quorum omnium sententiam tam manifeste sequutus videtur Joannes Langius, vir aeque doctus ac disertus, ut ulcerosam hanc ossium affectionem a se vocatam non alio, quam de teredine atque exostosi pertractarit loco: quae fuit *epistola* 42. *l.* 1. Sed nemo fortasse melius Petro ab Argillata, qui *l.* 5. *tract.* 22. *c.* 2. scripta reliquit haec; *Ventositas spinae est quando aliqua materia in substantia ossis congregatur, ex debilitate virtutis assimilativae, vel ex debilitate membri; unde congregata materia causatur apostema: illic autem consequenter facta incisione, reperitur corruptio in substantia ossis tota, vel in parte ejus, usque ad medullam; & istos casus saepe vidi, & curavi.*

## CAP. VI.

### *Abscessum hunc esse Puerorum proprium.*

MOrbus hic, quantum nos observatio nostra docuit, qui plurimos inde laborantes in Valetudinario curavimus, atque huc adversionem quam maxime sedulam adhibuimus, haud per omnem promiscue aetatem homines lacessit; sed puerorum videtur &, familiaris & proprius. Quod autem istorum morbis interseruerint scriptores, factum puto propterea, quod grandiores, quam infantes, arripit hoc vitium. Est autem utrumque illud inquisitione dignum; & cur ad Pueros spectet, & cur eos, qui incunabula excesserint, maxime tentare solitum sit; utrumque porro sua non caret causa, quam nos hic enodate discutiemus: unde simul fiet, ut id, quod ante suppositimus ratum & confessum apud omnes reddatur. Pueri quidem simpliciter hanc affectionem incurrunt, eam ob causam, quam mox audies. Substantiam homo, qui nascitur, refert ex semine patris & ex sanguine menstruo matris: utrumque principium & materia, ex qua foetus conflatur, non usquequaque purum & inculpatum ingreditur in generationem; sed nunc excrementosum, nunc faeculentum, nunc vitiosum & maculatum est; praesertim si

a mor-

a morbosis, & a cacochymis parentibus procedit. At si tamen integrae valetudinis homo sit, qui generat, non est haec decisa portio sic incontaminata, ut expurgationem non ferat; atque hoc de virili semine dictum est. Sed neque perpetuo mulier munda probatam exhibet generationis materiam; verum plus quam vir saepe maculosam ac tetram, quando frigidior seu humidior, & inexercitatior, est: unde fit, ut mulieres saepe doleant capite; propterea nimirum, quod superfluitates ex crudiore stomacho plurimas congerunt. Accedit, quod natura in foeminis solet menstruas expurgationes ciere; sint quidem istae mali succi, vel boni, non disputo: utrumque suos habet auctores. Satis est, quod gestationis tempore non perpurgatae mensibus foeminae, incredibilia per hoc tempus appetunt & varie mala: unde malus etiam sanguis pro nutriendo puero congeritur, qui neque corporis exercitatione, quae nulla tunc temporis est, emendari potest; sic immundus & vitiosus est ejusdem sanguis, unde incrementa foetus capessit, quem ipsum trahit secum jam natus: undeque continuo illi eruptiones toto corpore, & capite quidem achores, ceria, favi, lactumen, glandulae, strumae, aphthae, intertrigines, pustulae, variolae, morbilli, & hoc omne genus excretionum: quae si contigerint quidem, commodae sunt, quia corpus emundant: quare non has prudens cohibet Medicus, sed adjuvat potius, quae si non evenerint, vel si postquam apparuerint, intro recurrerint, consueverint plurimo detrimento esse, ut inde fiat plerumque puer valetudinarius, colore atque habitu malo; sic fiunt pueri languori cuipiam opportuni.

Illud hic ad causas pertinens dicere non omittam: praeter communes istas seminarias infectiones, quales jam diximus ab utrisque parentibus proficisci, ad haec vitii effectrices esse alia, majoris notae, qualis est cachexia, sive proxime gignentium, sive progenitorum: neque enim elabitur hic affectus causas, quas dicunt haereditarias, inter quas est & infectio luis Venereae per semen communicata: item si vitium hoc, de quo disputatur, a tabido vel ad tabem propenso veniat; equidem, praeter inexpurgata seminaria, inquinamenta vidi saepissime manasse *Paedarthrocacem* ob aliud, quod est; quia parentes habitu corrupto, vel languidi fuerant. Verum enimvero cum puerorum proprium hunc affectum posuerim; haud negaverim tamen ulteriori aetati contingere posse. Equidem Mariae Caracciolae lectissimae foeminae Neapolitanae, quae Deo & Sacris a libera vita & a viro, in hanc rem consentiente, & coenobium ingressa in D. Andreae Sacro Sodalitio se abdicaverat, cariem in malleolo diuturnam curavi: sed enim illud commune vitium, quemadmodum rarum est, vel ad *Ventositatem spinae* referam. Equidem, vel causis constantibus *Paedarthrocaces*, dilata est eruptio ad grandiores gravioresque annos; non aliter, quam variolae, morbillique ad senilem usque aetatem servari consuevere. Huic nostrae sic expositae opinioni, aliud etiam addere nunc admoneor; non ignorare me, Fernel. 7. *phys.* & Matthiolum, *epistolarum opere*, confirmationis attulisse, quod puer in utero menstrua materia non alatur. Verum his omnibus communis Schola satisfacit; dum interim mea roborat Philippus Ingrassias, *in opere de tumoribus*; *qua de morbillis*, atque alii Viri non pauci.

CAP.

## CAP. VII.

*Quod non tam per Influxum, quam per Congeſtum ſit haec Abſceſſus generatio.*

HIs auditis, quaeſtio nunc ſe offert, per *influxum* ne, an per *congeſtum* Abſceſſus haec procreatio fiat? atque equidem dixerim utramque, ad morbum procreandum, cauſſam intervenire: defluxum quidem, qui a natura ſagax humorem malum, & Abſceſſus non obtenti, ſed intus revocati, reliquias, ſtudet quo poteſt, commode tranſmittere, ſed nullam in partem poteſt incolumius, & ſalubrius quam in articulos: igitur huc materiam malam tranſmittit, atque deponit. In hunc modum apoſtaſis quaedam haec videtur, id eſt, humoris vitioſi translatio. Ad haec & congeſtus adeſſe videtur excrementoſae ſubſtantiae, cum nutrituro ſucco advenientis; qui non raptus, neque immutatus, a concoctrice propterea, quod aliena ſubſtantia coacervatur, & congeritur, quotidie, intra ſpongiformem ſubſtantiam oſſis, quam ineſſe jam diximus ſuo capitulo, ad recipiendam alimoniam accommodatus: ſic tandem fit proventus maximus, qui formes eſt putredinis oſſis.

Jam autem cum utraque ſit Abſceſſus incendii cauſſa, tum inquam fluxio, tum congeſtio: puto equidem multo majori parte eſſe congeſtum propterea, quod fluxionis modus obſcurus eſt; tum propter alias cauſſas defectus, tum maxime, quia viae defluxionum toto corpore non exſtant, ad oſſa ſic expeditae, ut in vehendo alimento, quod nulla vi ſecum ducit ſuperfluitates admiſtas, quae propterea felicior evenit, & cum perennis fit, copioſior fieri poteſt confluxio, quae perennis eſſe non ita facile poteſt. Ob haec conficitur ſane, majora congeſtus eſſe momenta, quam confluxus, in hoc oſſis Abſceſſu procreando. Confirmat abunde noſtram hanc opinionem Joannis a Vico, qui *libr. 9. copioſae F.* notavit a materia interdum corrupta & venenoſa, defectu virtutis aſſimilativae, occaſione debilitatis membri, generari.

## CAP. VIII.

*An Corruptio, vel Corroſio, ſit morbi forma? ſimul & de generationis Cariei modo.*

QUaeſtionem hanc, ut rite rectèque poſſimus expedire, corruptionis & putrefactionis nominibus, hoc loco confuſis, utramque nos affectionem ſecundum Nicolai Florentini *commentationem in Avic. lib. 4. fen. 4. tract. 3.* definiemus; ſi primum diſtinxerimus, quod ſit putrefaciens & corrodens, ſcire licet, corpus humanum & hujus partes, quae dictarum paſſionum ſunt ſubjectum, eſſe trium generum; id eſt, ſolidum, humidum, ſpirituoſum. Solidum inquam, ut oſſa, carnes, nervi, membranae, & hoc genus. Humidum vero dico quatuor humores, qui ſunt ſanguis, pituita & utraque bilis. Spirituoſum denique dico ſpiritum vitalem, animalem, naturalem; quae omnia vocavit Hippocrat. *lib. 6. epid. ſect. 8. aph. 16.* continentia, contenta, & impetum facientia: in haec tria invadunt putrefaciens & corrodens.

*Putrefaciens* eſt id, quod corrumpit ſpiritum & humidum membri adeo, ut non ſit amplius pars, niſi aequivoce. Caeterum non pervenit ad hoc ejus actio, ut reſolvat humidatem membri, ſed tantum dimittit eam corruptam. Auctor autem eſt calor extraneus. *Putrefactio* igitur eſt diſpoſitio, ſub qua humidum membri

bri corruptum eſt abſque reſolutione, ita, ut in vitam redire non poſſit propter corruptionem ſpiritus, qui eſt in eo.

*Corrodens* autem eſt illud, quod praeter acuitatem, quam habet reſolvit atque extrahit humidum, propter quam reſolutionem, atque extractionem, minuitur ſubſtantia carnis, ut ulceretur. Pro qua re intelligenda doctrina eſt Ariſt. 4. *meteor.* ſiccum ejus naturae, ut ſemper egeat colligatione; humidum vero id eſt, quod colligit & conjungit. *Corroſio* igitur eſt diſpoſitio, ſub qua humidum terminans, ſive agglutinans, partes membri reſolvitur ita, ut partes membri remaneant disjunctae ſic, ut non ſint amplius continuae; praeterquam tamen humiditas ſit corrupta.

His jam expoſitis, utra ratio ſit in hoc affectu, conſtare poteſt: porro ſubeſſe non videtur corroſio, ſed corruptio, propterea; quod in hoc vitio totum humidum eſt corruptum, abſque reſolutione, ita, ut extincta reſtiterit pars; quod ſi tamen poſt longum tempus exempta offa proferunt Cariem, ac Teredinem hoc nihilominus fit, reſoluta per longum madorem parte; quemadmodum accidit lignis, quae longa humoris alluvie tabefacta, corroſionem referunt, quae vere non eſt: atque ad hunc modum interpretandi ſunt Avicenna, Nicolaus Florentinus, Joannes a Vico, atque alii, ſi qui ſunt auctores nobiles, qui corroſionem in hoc vitio adſtruxerunt. Firmari autem hoc abunde licet exemplo ſimili gummatum, & exoſtoſium, luis Venereae; quae reſolutione verius & vi corrumpentium humorum, quam a corrodentibus facta viſuntur: quam etiam rem Hiſtoria ſuperius a Philippo Ingraſſia recitata demonſtraſſe potuit. Fuit autem & meae ſententiae Joannes Langius *in l.* 1. *epiſt.* 42. quam rem apud eundem auctorem legito.

Illud nunc deſiderari videtur, ecquo pacto procreetur ejuſmodi corruptio; evenit autem, meo quidem & Vidii judicio, ad hunc modum. Quoniam a nobis conſtitutum eſt ſuperius, *Paedarthrocacem*, per *congeſtum*, quam per *influxum* fieri magis; id eſt, quod contrahatur paulatim humor in oſſe, ex alimento ſuperante: contrahitur quidem in oſſe paulatim veluti mucus, qui ob loci imbecillitatem nec concoquitur, nec ad alendum eſt idoneus, nec expellitur; ſed ibi manens tumorem excitat. Cum autem hic idem humor, vel acris fit, vel retentus putreſcat (eſt, & qui in lue Venerea diuturniori collectus ea tubercula excitat, quae Gummi dicuntur) erodit ac perforat ejuſmodi partes, integrae cuti ſubjectas.

## CAP. IX,

### *Quod Exoſtoſi, Sphaceloque, oſſis Syphiliae, ſimilis ſit iſta.*

EX his facile quiſquam affirmet, *exoſtoſi Syphiliae* ſimilem Abſceſſum hunc eſſe; quod aſſertum neque diſplicet nobis, qui credimus Gummata, quae dicuntur, a Venerea lue profecta, non per defluxum, ſed per congeſtum eſſe: quam rem cum quiſpiam oſtendi ſibi deſiderat, dicamus hominis Venereo morbo confecti ſanguinem univerſum, & humores, graviter eſſe corruptos: ſiquidem, & ab omnibus conſtitutum & a nobis ante monſtratum eſt, luem hanc eſſe univerſale corporis intemperamentum, atque hepatis praecipue, quod eſt officina ſanguinis; quo labefactato, & humores omnes cum ſanguine comprehenſos, in corruptionem abiiſſe neceſſe eſt; quapropter & tales accedentes in ſubſtantiam alendarum partium, has non corrumpere non poſſunt: maxime autem inter omnes tuentur ſe carnes, & ad hanc naturam accedentes aliae partes ſic, ut alienum a ſe, vitioſumque ſuccum quoad ejus fieri licet, vel concoquant & commoderentur, vel abjiciant; non

ita

ita quidem ossa, quae inter omnes corporis partes sunt debilissimae, atque etiam maxime exsangues & frigidissimae; quapropter id, quod a se rejecerant carnes, ipsa recipient. Indicio autem est, quod ossa capitis a nonnullo calore fota comprimis obnoxia sunt his congestibus. Indicavit autem *Ventositatis spinae* cum *Exostosi Venerea* similitudinem Joannes a Vico, memorato jam loco, quamquam vero contulit arthritidi morbum Avicenna: tamen ejusmodi comparatio facta est, secundum doloris speciem, qua communicant; non autem spectat illatio vitium, jam initium ossi, quam diximus esse corruptionem; quam quidem opinionem eo libentius amplexus sum, quod Jacobo Caesarano, Medico nostri Gimnasii Professori praeclarissimo, ac Diomedi Paladino, viro item doctissimo, communicatam video placuisse.

## CAP. X.

### *Ex quanam humorum materia pendeat hic Abscessus.*

PRincipio dubietatem nonnullam facit, num halituosa levisque sit materia, quae procreando huic vitio caussam praestet: Cujus sententiae videtur fuisse Philippus Ingrassias, *in commentario de ossibus cap. 1. fine*; persuasus tum ab etymo, tum quia figi quidquam in ossis corpus, praeterquam tenuis substantia non potest. Quod confirmavit Philippus auctoritate Razae, in suam opinionem traducta, qui prodidit profectum nomen a perforando; perforare autem solidissimam ossis compaginem nulla non valet, praeterquam penetrabilis tenuisque substantia, quae transcurrat; ut enim crassamentum aliquod humoris pervadat. Quam etiam ob caussam factum est, ut Jo. Lang. *in libr. 1. epist. medic. epist. 42.* censuerit ejusdem teredinis caussas esse putres ichores. Sed Josepho Pandolphino, *in c. 4. quod est de morbi generatione*, placuit vitium omne tribuendum pituitae crassae, ut quae maxime in pueris, & puellis foeminis, proveniat, statusque multos, ad tensivos artuum dolores excitandos, accommodate ferat. Ante quos omnes viros, Avicennae principi Viro placitum est, ut humores hi sint acuti, penetrantes in os, & corrodentes ipsum: quem Virum sequuti sunt & Nicolaus Florentinus, & Joannes a Vigo. Post quos Joannes Langius *cit. epist.* ulcerosa vocata hac ossium affectione, purulentos & acres rheumatum ichores, quo terebrentur ossa caussas dixit esse; a qua magni Viri sententia, nostra profecto non longe discedit; nisi quod sanguinis putres ichores posuimus, ut venientes in alimentum ossis, alioqui rarioris & levioris, quales capitulorum & processuum sunt, has inficiunt & contaminant, uti & *hujus lib. capite*, superius explicavimus.

## CAP. XI.

### *Vera Affectus natura.*

SI mentis aciem penitius in rem defigimus, longe alia quam apparens, & exposita sensibus affectus hujus est natura; usque adeo, ut equidem non conquiescam his, quae dudum genus inquirenti se obtulere; sed in recessu, positam, formamque aliam abstrusiorem, mali consector, quam etsi non adverterint alii, tamen ut puto lucidissima est. Illud autem, quod meditor est hujusmodi. Saepe numero legimus apud Viros auctoritate plenissimos, sensimusque disputando constiturum; inflammari ossa, non quidem aeque, sed paulo secius, quam carnes: ignis

por-

porro nullum ſibimet objectum, quantumvis durum, excipit, quominus in ipſum vim ſuam παντοδύναμιν non exerat; ad hunc quoque modum inflammatio, quae ab internis viſceribus male habitis, & a foco putredinis aliquo proficiſcitur; nullam partem corporis excludit, ſua tirannide atque incurſibus; quin & dentes, quibus ignem parcere & immolitos linquere ſcripſit Plinius, quotidie cernimus inſenſili ſuccorum acrium infeſtatu ſolvi, conteri, & erodi: multo igitur potius oſſa minus compacta, minuſque ſententia, humorum vim acutorum ad languorem experiri ac perpeti debuerint. Qui languor in *Paedarthrocace* accedens, ſit corroſio, an corruptio, certum non eſt; quamquam nos ſuperius noſtram opinionem aperuimus, quae corruptionem amplectitur; ſed tamen aut nullum, aut parum neceſſarium, quod ad oſſis vitium & affectionem attinet, iſtorum eſt diſcrimen: difficilior autem oſſis per humorem eſt eroſio, quam corruptio; haec enim ab humoris labefacientis duntaxat copia; illa vero ab ingenti acrimonia proficiſcatur oportet. Atque ita jam apparet non admodum referre, ſive corroſio, ſive corruptio particulae ſit hic Abſceſſus, quantum ad ipſum vitii jam procreati eventum. Jam autem, quanto facilior oſſis erit haec vitiatio in pueris? quorum oſſa molliora ac teneriora ſunt, quam in viris; & eo amplius, quod oſſis partem accipi voluimus non promiſcuam, ſed privatim eam, quae eſt circa articulos: atque haec, ut anatomica nos obſervatio docuit, ſpongioſa eſt multum; eo ſcilicet naturae conſilio, ut foret accommodatior ad ſuſcipiendum alimentum, delatum a venis atque arteriis appellentibus ad ea loca; a quo deinde alimento propagaretur & reſultaret nutritio perennis in medullam.

Hac jam cognita partis oſſis habitudine atque ſtructura, in viris quidem laxa & rara, in pueris vero ſingulariter molli ac friabili; ſi dixerimus hanc ex allapſis humoribus ſemiputribus & alienis inflammari, ab inflammatione vero Abſceſſum & corruptelam perpeti; non erit ſane, qui refragetur, aut facilem vitii procreationem inficietur. Quae res tamen ubi cuipiam difficilis forte videatur, in promptu ſum oſtenſurus etiam opere conſtantes hos Abſceſſus, in pleriſque pueris a me viſos, quibus extractae ſunt oſſium particulae, qua ſemiputres, qua putres, confectae ſanie, ſuccique lentore maximo: quae quidem putredo, quaeſo te, quo pacto fuerit inducta ſine fervore, atque inflammatione? Cartilaginem quidem in ſenibus, tum aurium, tum narium, tum ſterni, poſt inflammationem in Venereo morbo pereſam ſaepiſſime vidi: puerorum igitur haec oſſa mollia inflammationis capacia non fateamur? profecto cartilagines ſeniles non minus denſae compactaeque ſunt, quam puerilia oſſa: quibus accedit & cerea mollitudo, & ſpongioſa poroſitas, quam omnes mecum ſunt confeſſi. Ad haec in oſſa, id eſt, in horum capitula venae ſubeunt & arteriae, licet puſillae & inadſpectabiles: unde enim aut quomodo nutriantur, aut vivant eadem, ſi non ingreditur in ea ſuccus, & niſi permeant undecunque vaſa? quod ſi permeat ſuccus alienus & importunus, ad haec loca delatus, & confertim aliquando cumulatus; maxime etiam valebit haec inalterare atque in calidam diatheſin immutare ſic, ut aliquando inflammentur & inflammata ſubeant Abſceſſum: quem partim *Ventoſitatem* appellarunt propterea, *quod veluti ventus, particulas oſſis, inflans diſtendat*; partim etiam dixere *Spinam*, *quod veluti ſpina in centrum membri, quod os eſt, defigatur*. Poſtremo inflammationem oſſis perſuadet augmentum in ſe inductum. Unde enim hoc, praeterquam a putredinis fermento? fermentum autem unde, praeterquam ab inflammatione? quae quidem tanti momenti ſunt; ut facile, quod nos ſentimus, etiam unicuique perſuaderi debeant.

## CAP. XII.

*Quod non Affectus hic occultus, & cauſſae quaeſito ſatisfacientes expoſitae.*

NOnnulli cum hujus affectus & oſſis corrupti cauſſas exponunt; non inventa, quae ſatisfaciat, ratione peculiariter affecti oſſis perinde, ut a magna difficultate cito ſe extricent, ad antipathiam & ad occultas rerum cauſſas confugiunt: id quod in pleriſque multis hoc noſtro ſeculo fieri conſuevit ab his, qui rerum indagationis pertaeſi, via quam expeditiſſima ſunt contenti: equidem, etſi perpetuo non renunciandas haſce proprietates arbitror; in hoc vitio tamen amplectendas non conſentio propterea, quod ad cauſſas ratione contemplabiles referri poteſt, ſunt autem, quae mihi videntur, hae.

Scire licet, humorem illum, qui morbum invehit, excrementitium omnino eſſe, quod, jam expoſitis ante ſermonibus hujus libelli, monſtratum eſt; quia ſunt inquam reliquiae Variolarum & Morbillorum, minimum expurgatorum; item quae ſunt non excuſſae ſuperfluitates capitis ichorodes, quibus obnoxii ſunt infantes, & his affines pueri: quae ſuperfluitates omnes, & materiae ſunt craſſae, viſcidae, pingues, ac putres adeo, ut contagione communicari pueris aliis cohabitantibus poſſint. Verumtamen cum humore hoc pingui conjuncta eſt aliqua ſiccitas & exuſtio; quemadmodum in fuligine non dico picis, thuris thymiamatum, & pinguium omnium; de quorum praeparatione Dioſcorides; ſed & aliarum materierum omnium: porro non deeſt hiſce fuliginibus & excrementis cremor, id quod oſtenditur pleriſque indiciis, quae ſunt haec: primum in ceriorum, ac tineae ſpeciebus ſingulis ſua eſt cruſta; in lupinari, inquam, furfuracea, & hoc genus; multo autem maxime in ectymatis & exanthematis reſiduas cruſtulas nemo non norit. Deinde ſalſas nitroſaſque has excretiones eſſe conſtat, pruriginoſae. Tertio non poſſunt non referre fuliginem impreſſione materiae, quae tot multas cretiones & agitationes paſſae ſunt, a calore partium diverſae: primo quidem in vaſis & conceptaculis parentum; deinde in univerſa puerorum officina naturali, donec perveniant ex omnibus vaſibus ad poſtremam cutem. Praeterea fiunt excretiones iſtae omnes non ſine fervore, & quia heterogeneae ſunt partes ſubſtantiae vergentis ad ſiccum, torreantur oportet: inde enim *Acrochordonas* in pueris evenire docuit Cornelius Celſus *lib.* 5. *c.* 28. & e Junioribus Antonius Muſa, Braſavolus, & alii.

His omnibus argumentis conſtat, ineſſe nonnullam inuſtionis notam his excrementis. Has ob cauſſas conjuncta fuit, ut dixi, cum pinguedine ſiccitas. At haec qualitas, & natura, fuit etiam oſſibus, quae M. Hippocratis ſententia *in libr. de carnibus*, ex multa pingui & glutinoſa ſeminis portione conceſacta & exuſta conſtant. Itaque ad oſſa magno naturae conſenſu repere has materias, & ab his attrahi ſubſtantiae ſimilitudine non alienum eſt credi. Atque haec una ratio eſt quam contemplator homo comminiſci poſſit. Altera vero ratio deduci poteſt ex Ariſt. *l.* 3. *de hiſt. animal.* 19. ubi tradens de ſanguine dicit; hunc & partes ſanguineas putreſcere circa oſſa: atqui per Doctores noſtros omnes Variolarum & Morbillorum praeſegmina ſunt ſanguinea, haec ergo retenta & ad partes oſſium appulſa, facile has conficiunt & corrumpunt. Tertia ratio poteſt eſſe illa, partes omnes corporis, quo robuſtiores & calidiores & ſanguine inſtructiores, eo facilius promptiuſque repellunt a ſe noxas advenientes, itaque Gal. 13. *meth.* ſcripſit *inter omnes in expellendo validiſſimos eſſe muſculos, minus arterias, minus his venas, omnium vero debiliſſimas eſſe glandulas*. Ita quidem ille, ſed nos glandulis imbecilliora dicimus oſſa, quae plane repellere nequeant incurſus alienorum humorum.

Sic

Sic excrementa haec a ſingulis oeconomiae noſtrae partibus rejecta, cum amplius remittere non valeant oſſa, reliquum eſt, ut eadem in ſe congeſta cum putrida ſint & virulenta. Joanne de Vico auctore, vitium in ſe ipſis excitent corruptionis, & alienationis. Atque hactenus hae ſunt cauſſae, ad quas *Paedarthrocacen* referre licet.

## CAP. XIII.

### *Affectus definitio.*

POſt haec, definitionem adornaturis jam nobis, primum omnium inveniendum eſt genus, cujus quaedam multorum communis eſt natura, quam definita res participat; quoniam autem videmus in hoc morbo diſtentam in omnes partes ſubſtantiam, quae *Apoſtema* dicitur a Graecis, *Abſceſſus* a Latinis: utrumque nomen acceperimus, liberum eſt quidem; quoniam vero Latinum eſt commodius, in *Abſceſſu* conſiſtemus. Quo invento genere, differentia ſupplenda eſt, vel quae hujus loco ſunt accidentia propria. Jam autem, quae ſe offert, eſt corruptoria ſpecies, ſive ratio cui ſe ſubjicit τὸ ὑποκείμενον, quod diſtinxeris, dixeriſque (*os*) & quia multiplices hujus ſunt partes: quibus non expreſſis ambiguitas dari poſſit: nam aliae partes oſſis ab aliis morbis occupari ſolent, ut a *Syphilide* media oſſa, ſic addideris (*circa articulum*). Quoniam autem proprius pueritiae morbus eſt, & horum articuli potiſſimum abſceſſionem hanc incurrere conſueverunt, hoc maxime pro dioriſmo retinendum apponendumque eſt, ut dixeris (*in pueris*): cauſſae autem, quae magnam lucem afferant, exponendae, quae ſunt ſcilicet ſpermatis, & menſtrui ſanguinis, inquinamenta non repurgata, cum quibus cauſſis ſi generationis modus poſſit exprimi, fiet hoc ſane, cum ſingulari definitionis gratia, qui modus eſt per congeſtum. Jamque cum nil intra complexum definitionis venire poſſit, quod definiti nomine non comprehendatur, atque etiam nil a definito contineatur, quod definitio non exprimat, atque explicet; ſic jam collegimus abſolutam definitionem, atque adeo dicimus; *Paedarthrocace Abſceſſus eſt corruptorius, ſeu ſphaceliſmus oſſis, circa articulum in pueris, ex primis ſpermatis, & menſtrui ſanguinis, inquinamentis non repurgatis, per congeſtum illapſis & computrefactis, natus.*

## CAP. XIV.

### *Num hic Affectus Graecis antiquis notus.*

OPtaſſemus equidem omnes, ut facem nobis in hac re praetuliſſet quiſpiam ex auctoribus Graecis, ut qui diligentes, & exacti in uno quolibet argumento pertractando, fuere, quod autem ipſorum nullus ejuſce rei meminerit, excitaret quidem nobis admirationem, niſi fortaſſe cognitum hunc illi morbum dubitarem: qui morbus ſexcentum ab hinc annis, ni ſupputatio fallit, mortale genus invaſit; num ergo nullus Graecorum memoria fuit hic Affectus: an vero, ſicut Syphilidem non ignoratam ab iſtis plerique voluere; propterea, quod ſymptomata luis ejuſdem nulla his obſcura fuerunt: pariter & *Paedarthrocacen* eoſdem non latuiſſe perſuaderi poſſumus: atque etiam, quod ad cariem oſſis univerſalem hoc vitium referri, non eſt abſurdum; ſiquidem eo propoſito, quod ante monſtravimus, ulcerоſam hanc oſſium affectionem ortum habere, a male purgatis aut intro relapſis a ſumma facie corporis humorum excurſibus, & exanthematis, Hippocrati, Gale-

no, Aetio non incompertis, ut Andreas Laurentius affirmare visus est, *in l. 8. historiae anatomicae quaest. 9.* atque etiam Franciscus Vallesius *in l. primum epid. sect. 2. & in l. 7. ejusdem operis, t. 94.* Sic profecto fit, ut neque iis Abscessus hic ignorari debuerit. Porro non ita fortassis accurate descriptus ab iisdem fuit uterque affectus; propterea, quod ob exquisitam victus rationem (verba sunt Laurentii) mitiora essent omnia.

Ad hunc modum plane constat fieri potuisse, ut in Asclepiadarum notitiam venerit hocce vitium ὃ τερήδονα nomine comprehensum. Quinimo factum, ut comprehenderint; sic animus est ostendere, ut mirum, ni demonstrem etiam. Neque obstat, quod non meminerint Graeci multorum accidentium, quo modo significavimus, qnemadmodum non refert, quod de variolis non tradiderint. Re autem vera *Spinam ventosam* Veteribus aliquo pacto notam evincimus, ex Razae verbis, *part. 2. Contin. l. 15. c. 5.* descriptis, Pandolphino quidem non compertis: quae sunt haec. *In 2. cap. de morbo, & accidente* dixit tandem, quod *Ventositas spinae fit ex humoribus calidis, corrodentibns, & perforantibus, & derivatur hoc nomen a perforatione.* Addidit & ibidem loci Razes; *In summis caussarum dixit, absterssio fit in osse, ex superfluitatibus prohibentibus, cum absterssione ipsarum, quod non oriatur super illud caro, sed debet fricari, ut bona fiat conditio, ad generandam carnem, super illud. Dico possibile est, quod caro non generetur super ossa corrupta, non ex parte ipsorum viscositatis, sed eo, quod patiuntur complicationem malam, & erit ad modum ovi in generatione saniei, quoniam videmus os perforatum in grossitudine aspera, & super illud non generatur caro radicitus.* Haec ille; quibus jam indubitato vides, non aliam Razae atque Arabibus suam *Spinae ventositatem*, quam Graecorum *Teredinem*, neque hanc fuisse aliam, quam illam: ita nulla prorsus, quam diversitas nominis intercedit, quas ob res jam constat cognitam antiquis *Paedarthrocacen* fuisse. Illud nunc judico disquirendum, num Galeno τερήδονα nobis *cariei* nomen corruptionis an corrosionis sit usu. Et ambiguae profecto significationis apparet fuisse, *libr. de caus. morb. c. 11. in quo loco foraminulenta caries, quae ab acutis humoribus erodentibus profecta est, discernitur ab unaquaque ossis asperitate, quae caussam quamcumque aliam agnoscat;* verum aliter *l. de differentiis morb. c. 5. in quo loco auctor ossa putrida similia fecit lignis, quae sunt vetustate corrupta:* quem ossis affectum *com. 3. de fractur. text. 20.* cum Hippocrate *sphacelon*, id est, consummatam ossis corruptionem vocavit: omnibus autem modis cariem Galenus potius ad corrodentes, quam ad corrumpentes, caussas visus est retulisse; quamquam Razae sententia recitatis modo verbis videtur ea fuisse, ut sua *spinae ventositas*, & *taridon*, teredinis corruptum nomen, affectum & caussam utramque corruptoriam, inquam, & corrosoriam, saltem conjunctam complectatur.

## CAP. XV.

### *An Ventositas spinae, ab Arabibus auctoribus descripta Paedarthrocace congruat nostrae.*

DE *Ventositate spinae* primus omnium, quos novimus, scripsit Avicenna: cujus verba recitata semel fuisse referet non pauci; commodissimus autem hic locus, in quo disquirendum proponimus, num ejusmodi, qualem ipse *Ventositatem spinae* descripsit, sit *Paedarthrocace* nostra. *Ventositatis*, inquit, *spinae caussa sunt humores acuti, penetrantes in os & corrodentes ipsum; & incessus Ventositatis spinae,*

*nae, eſt inceſſus doloris junctturarum*. Verumtamen *materia in dolore junctturarum eſt in carne, & in ventoſitate ſpinae eſt in oſſe, & ejus additio corrumpit oſſis partem unam poſt aliam. Dixerunt quidam, quod ſpina eſt ſpaſmus in toto corpore propter ulcus, & non affirmatur*. Haec ille. Profeſſus autem & de hac re, ſicut audiſti fuit Razes, licet diverſa, vel parum reſpondente ſententia. Ex Arabiſtarum vero ſchola, qui meminerint eujſdem vitii, fuere Petrus ab Argillata: cujus etiam verba recitavimus; ac Nicolaus Florentinus, & Jo. a Vigo Genuenſis. E cultis vero ſcriptoribus fuerunt Jo. Langius, *l.* 2. *epiſt.* & Joan. Manardus, *lib.* 7. *epiſt.* 2. ſed omnes hi quidem aride ac jejune. Plenius e nuperis Joſephus Pandolphinus, vir a nobis ſaepe memoratus; neque praeter hos alii de hac re tradidere.

De quibus omnibus, quod ad inſtitutum modo ſermonem private pertinet, ſic equidem judico; Principem Avicennam in primis audiendum, nam Nicolaus & Joannes a Vico, atque alii, ſunt hunc praecipue ſequuti. Nec ſat video, an hi omnes rem ab experto tradiderint; quam vere ſi noviſſent, neceſſaria pleraque conſcripſiſſent: aut ſi ejuſmodi non fuit iſtorum praeceptio; vel mancam hanc & potiſſima parte defectam fatearis, oportet: ac deſcriptus a ſe affectus alius erit ab eo, quem nos conſcribimus. At Pandolphinus *Spinae ventoſitatem*, & *Paedarthrocacen*, unam eandemque rem fecit, quod nos equidem non ita facile volumus aſſeri: nimirum, quod non omnia conſentire, quae in utraque hypotheſi ſtatuuntur, apparent. Primum, quod non corrodentes per ſe humores *Paedarthrocacen* producunt, neque in hac aliqua corroſionis eſt forma, ſed corruptionis & ſyderationis. Deinde, quod Avicennae verbis in dolore praecipuo videtur affectus eſſentia conſtituta; ſic enim ait: Verumtamen, materia in dolore junctturarum eſt in carne, & in *Ventoſitate ſpinae* eſt in oſſe. Sic equidem ille de perdolente *Ventoſitate ſpinae*. At vero in *Paedarthrocace* nullus dolor eſt pungens, aut qualiſcunque alius, praeterquam ſub uno ulceris Abſceſſu.

Deprehenditur ergo falſi Pandolphinus, qui inſeparabilem ejuſmodi dolorem a pertractato morbo poſuit. Sed & Petrus ab Argillata *ſphaeceliſmos* oſſium mediorum, a penitiſſimis *Abſceſſibus* cum carnium corruptione conjunctis, & penes communes cauſſas & affectus, quavis promiſcue aetate profectos, non dubitavit in ſingularem atque eximium *Spinae ventoſae* characterem, & cenſum, inferre; quod a nullo priorum ad quos attinuerat, eſt utique factum: a quo auctore prompta hercules conjectura mutuatum, atque imitatum, Joan. Januenſem opinari licet: qui vir *teredines oſſium* a *lue Venerea* procreatas, ad hunc *Spinae* morbum liberiore commento revocavit; vel hunc ad illas, confuſis affectus utriuſque rationibus: quando citra cariem malum hoc *ſpinae* definierit Princeps: ad cujus ſententiam, hac eadem de re, profeſſus eſt ipſe Vigonius plus ſcilicet Avicennae verbis accommodans res, quam verba rebus: ita ſcilicet corrupta, longo jam tempore, ſcribendi fides eſt & auctoritas. Sed nos ad primum ſermonem redeamus.

Dico igitur *Paedarthrocaces* morem non eſſe, qualis eſt arthritidis, aut ſi mavis doloris articulorum, quanquam oſſium junctturae ſunt, quas nos poſuimus Abſceſſus ſedem. Sed neque hoc abſolute protulit Avicenna, ſed ait, & *inceſſus Ventoſitatis ſpinae eſt inceſſus doloris junctturarum, verumtamen materia in dolore junctturarum eſt in carne; & in Ventoſitate ſpinae eſt in oſſe: & ejus additio corrumpit oſſis partem unam poſt aliam, &c.* vel ut alter codex habet; *eſt ejus acceſſus, vel dilatio, vel progreſſio corrumpens*. Quibus verbis docemur diſcrimen ineuntis affectus, & progreſſi, ut incipientis quidem ſit corroſio fortaſſe levis & os tantummodo lambens; provecti vero corruptio ſit & Abſceſſus amplior.

Ex

Ex his omnibus non violenta tandem una ſuaſio naſcitur ; qua credamus , vel alium eſſe plane ſpinae morbum , quam *Paedarthrocace* noſtra ſit: vel adverſus ſecuras & certas Pandolphini theſes , omnino plurimam eſſe nobis dubitandi anſam ; ubi ſcilicet omni detrectato demonſtrandi conatu , noſtram opinionem non promoveamus in tanta verborum Avicennae parcitate ; teſtimonii ſui obſcuritate ; ac vulgatae interpretationis incomperta fidelitate . Ad extremum , ſenſus noſter & decretûm eſt, ſi Veterum teſtimoniis & auctoritate certamus, non magis in *Paedarthrocace* definienda obſervaturos nos eſſe, quid Princeps Avicenna, quam quid Razes , inter Arabas omnes Medicos experientiſſimus , atque aevo & uſu medendi conſummatiſſimus, profeſſus eſt; eo maxime audiendus , quia cum primis & optimis Graecis magiſtris mire conſentit ſic, ut in *Ventoſa* iſta *ſpina* excutienda , novi nihil in medium attuliſſe videatur, quam quod decreverint iidem .

## CAP. XVI.

### *Differentiae .*

*Paedarthrocaces* non uniformis alioquin, ut plerique morbi omnes, ſed plurimum a ſe ipſa diſſidentis, differentias haud quidem conſtitutivas, quae nullae ſunt, verum eas, quae modum immutant, hic nos exponemus: rejectis tamen iis, quae parum ad curationem faciunt, atque illis, quae ad hanc maxime ſpectant, amplexis. Has autem applicemus oportet ad ſubjectum , cui ſanitas & morbus natura inhaerent ; aut ſubjectum ipſum non tam ſimpliciter , quam ſecundum modos & affectiones, quibus informatur, obſervabimus. Ex priori genere cum craſis & conſtitutio corporis, habitus, ac textura ſint : ſecundum haec ſingula diſcreveris hominem , qui ſuppoſitus eſt affectui . Sed multo fortaſſe certius definitiuſque pertinebit expendi aetatem ; cujus firmitudine , aut imbecillitate , levius ad morbum alii , deterius alii ſe habent. Ex poſteriori genere, id eſt, ex modis, quibus affectum eſt corpus, prima differentiae ratio fuerit ; ſi perfecte morbus inhaeſerit, &, penitiſſime illatus, haud multum curationi pateat: fixus inquam , aut inſito familiae charactere, aut Venerea contage ; aut malo corporis habitu, quam cachexiam dicunt ; aut ſi citra haec ſit affectus, & leviuſcule impreſſus.

Alterum differentiarum caput erit eorum ; quae conſequuntur formam in ſubjecto . Ex his magnitudo, vel parvitas, multitudo vel paucitas , locus , motus , ac tempus eſt: ſecundum quas ſingulas circumſtantias , ac modos , vitium diſcreviſſe difficile non erit ei, qui diligenter ſingula percurret. Ad magnitudinem , ſpatium quoque pertinet ; ſic Petrus ab Argillata poſuit *Paedarthrocaces* modos ; alterius quidem totum oſſis ambitum complexae, & ad medullam uſque progreſſae ; alterius vero partem ingreſſae : at Nicolaus Florentinus aliam poſuit in ſummo verſantem ; alteram profundius delapſam: Vidius vero ad alteram oſſis partem transgreſſam etiam fecit. Sed tu partitus ad ſummam fueris, vel latius patentem, vel finibus anguſtis concluſam.

Quod ſpectat ad tempus; hoc vel diſcretum pendes: ſic initium, aut incrementum, aut ſtatum, diſtingues ; vel non diſcretum ſecundum has certas partes , ſed ſecundum abſolutiorem alium dimenſum capies , tum longitudo ſe offerret , aut brevitas. Ad quem ordinem accedit proxime diviſio motus, tarde procedentis, vel acute. De qua re ſic Razes ait; *& juxta modum acuitatis ipſius materiae , erit malitia & velocitas ulcerationis ipſius . Sed loci diſcernicula ſunt haec ; nam aut ipſemet articulus affectus eſt , aut proximae partes oſſis ; proceſſus , inquam , aut pars*

ci-

*citerior, aut reliquae. Caeterum & articuli diſcernendi ſunt , namque vel artuum, vel partium mediarum malo tenentur . Equidem ad os malae ſupremum , & circa nodos pectoris, & coſtarum , carioſum hoc Apoſtematis genus curavi ; ut inter alias memorata Bibliopolae filia, &c.*

Succedit ordo tertius, qui cauſſarum eſt ; quae ſicut oſtendimus internae ſunt ſemper; quarum quidem effectricibus , ante relatis , addere potes adfluxum atque congeſtum diviſim aut conjunctim, uti videbitur : materias vere diſtinguere poteris, vel pituitoſas & putres, ut Langio viſum eſt; vel ſanguineos ichores putres, quae noſtra opinio fuit; praeterea corrodentes aut corrumpentes , complexim aut ſeparatim: principio aut deinceps , prout caſus ſimul & opinio tua feret ; item ſinceras, miſtas; craſſiores, tenuiores; coctiores, crudiores; dilutas, ſalſas, nitroſaſve; benignas, malignas; multas, paucas ; adfluentes quotidie , vel ſine adfluxu vigentes.

Quarta denique ſeries eſt effectorum : ſecundum quam dixerit , ab oſſis primigenio, ſicut jam oſtendimus, Abſceſſu inductum in carnes ulcus latum, vel anguſtum ; aequale vel inaequale; purius aut putrius; ſimplex aut multiplex: & ad ſummam ſic aut aliter affectum , ut ulcus omne partiri conſuevit . Citra quod ulcus oſſis etiam eſſe corruptio non diuturna poteſt, ita ut pars una differentiae ſit; arthrocace carne contecta; pertuſa & hians altera . Ad haec videris an morbus dolore vexat, an hujus expers eſt. Itemque num febrem invexit , aut ſecus : hancque vel perpetuam, vel intermittentem; hecticam aut putridam: maciem aut neutrum corporis ſtatum , &c. Hi tibi ſatis ex pluribus , qui nunc offeruntur , eſſe poterunt differentiarum modi.

## CAP. XVII.

### *Symptomata, & Indicia.*

EXpoſuimus in *Paedarthrocace* jam duos praeter naturam affectus ; qui ſunt morbus & cauſſae. Tertio ſuperſunt Symptomata, quae nos variis morbi temporibus applicata, ſecundum haec eadem digeremus. Primum ea re notata , quod morbus hic longiſſimus eſt, ut qui oſſis intimi vitio continetur. Initio igitur tumor eſt globoſus, interdum preſſula rotunditate; indolens primordio , ante carnis exulceratum; dolens aliquantulum ab exulceratu: quae ulcuſcula duobus poſt menſibus, vel circiter adveniunt: atque haec quidem tempora ſunt initii atque incrementi, quibus temporibus per anguſta foramina, miſſo ſpecillo, contactum leviter vitio ſentitur os: mox, in ſtatu conſummatus, deprehenditur oſſis marcor & conſummata putredo . Cujus mador varie diffuſus in carnes vitiatas , eas in varios Abſceſſus & ulcera pertrahit; niſi tamen haec arte magiſtra praevertantur & aliqua ratione redimantur. Articulis, ut ante oſtendimus, infeſtum vitium eſt adeo, ut ignaris hominibus oſſis luxati ſpeciem praebeat; quapropter ad repoſitum capituli contrectata pars exaſperatur . Praeter haec aſſident & alia nonnulla , quae ſunt in omni carie promiſcua . Interdum febricula quaedam tenuis , & puſilla , corpus tenet. Interdum macies & cachexia, quae non minime verenda ſunt mala; praeſertim in cachecticis gracilibus, & male habitis impuberibus.

Succedunt hic ſigna, quae *Paedarthrocacen* ab *Arthritide* ac luxatione, ſimilibus plurimum affectionibus, ſecernant & ſeparent: de quâ re ſcripſit haec aliqua Razes; *Dico Ventoſitas ſpinae eſt ad modum doloris , ſed materia in dolore articulorum erit in carne & muſculis: ſed in vitio* ſpinae , *haec materia erit in oſſe & par-*

*parte ejus: corrumpitur caro vicina ei, &, juxtà modum acuitatis ipsius materiae, erit malitia & velocitas ulcerationis ipsius. De cognitione quoties videris articulum ingrossari cum durabilitate, non deficiet vitium, sicut deficit articulorum; sed quoties perdurat in dispositione ipsa, fiet acutius ambulando.* Haec ille.

Ad quae nos subnectimus, & hasce alias notas vitii discretrices; Prima, *Paedarthrocace* familiaris est puerorum; unde primis a nobis nominata est ipsa. Secunda, quod post recurrentes variolarum, morbillorum, ceriorum, & achorum, lactuminis, ut dicunt, ac tineae, negatas imperfectasque repurgationes succedere solita sit. Tertia quod os prius vitii vim sentiat, qua circumobducta caro. Quarta, quod cum artus impetere solenne sit huic vitio, maxime tamen articulos lacessit ac ferit. Quinta, quod malignam vim prae se fert; quam vix ulla Medici providentia, & sedulitas, venientem antevertere aut aggressam curare valeat. Taceo dolorem periosteae membranae punctorium, a qua specie dictam hanc *spinam* volunt, si placitum Avicennae sequaris.

## CAP. XVIII.

### *Prognostica, & Judicia.*

PRaeclare quidem enunciavit Hieronymus Fabricius in operum Chirurgicorum parte posteriore, qua curata sibi sunt ulcera cum osse corrupto; quod eiusmodi vitium inter maligna censetur, nihilque Medicos, etiamnum praestantes, tam mire fatigat, quam ossis una corruptio. Quod si dictum est de omni promiscue carie: quid de hac amabo te, quae prorsus intimos articulos, nerveasque partes, subdola & ineffabili quadam antipathia convellit? Insolens igitur si quod aliud, & infinite molestum vitium, odiosum autem ideo, quod sua semper malignitate firmum, irritam omnem industriam & laborem hominis procurantis facit. Acerbum etiam atque atrox, quod non admodum multo tempore natos matribus abripit, quamquam hoc vere non tam ulceris quam cacochymiae culpa sit; enimvero vitium unumquodque ossis pernicioſum sua natura non est; sed quantum curatu longum, tantundem etiam tutum est; exemplo autem esse potest Marylli puer a Gal. 7. *de anatom. aggress. cap.* 13. memoratus; cui puero ex ictu & prava curatione corruptum os pectoris, patulumque sic, ut viscera viserentur, sanatum excisione fuit. Si quod igitur periculum subest, vel ad partes, quibus contegitur, referendum est, vel ad causas, quae produxerunt, vel ad symptomata, quae sunt adjuncta: puta cachexiam, febriculam, maciem, &c. quae in *l. de congestu, cap. de praesagio*, sunt a me plenius exposita. Verum enimvero, quoniam articulos apprehendi conterique ab hoc uno monstratum est, ob id a mutilatione saepe non evadunt hi pueri: quin motus abolitionem aut depravationem, aut Ancylen plurimum incurrent hi, quibus penitissime propagarum est vitium.

## CAP. XIX.

### *De Paedarthrocace, vel ementita, vel non consummata.*

ANtequam autem ad praeservationem nos accingamus, pauca de *ementita*, vel *non consummata*, *Paedarthrocace*, dicemus, occasione ex praecedente capite sumpta. Itaque ossis Abscessus, circa articulum, perpessos fuisse pueros nonnullos novimus; quippe Thomas Androlus Barolita, atque alter nomine, non compertus,

tus, cujus os tibiae mediae tumore tentatum ſcalpro deraſi, coram D. Ferrante Pagano, integerrimo domus Incurabilium gubernatore. Item Franciſcus Cicero Averſanus oſſium tumores perpeſſus, ſecundum anteriorem thoracem. Denique puella, quam curavimus, cum Aloyſio Vita, auditore & obſervatore meo diligenti, ad D. Petri Majellae in pleriſque corporis partibus. Verum enimvero, non eſt haec utique noſtra *Paedarthrocace*, verum alia ſimilis affectio. Quamquam ſi falleret obſervatio *Paedarthrocaces*, nihil alioquin in medicina perpetuum eſt, ut ſapienter ab Aurelio Celſo notatum eſt. Quoniam autem *Paedarthrocaces* memoravi ſolennes cauſſas traduces parentum contages, & horum reliquias, variolas, & morbillos, libet nunc aſſumpti argumenti, & opinionis noſtrae, confirmatione commemorare, id quod retulit ſua expertus fide Paraeus; Pleriſque hac lue tactis pueris, tam ſterni & humerorum articulationes, tum brachiorum epiphyſes & homoplatarum capitula corrupta & abroſa: quodque teſtatus eſt Alfarabius, vidiſſe ſe plures pueros, quibus junctura fuerint Apoſtematibus correptae, ita ut ex his nonnulli genuum motum amiſerint, quam rem cavere non noverunt hi, qui curarunt D. M. Antonium, Excellentiſſimi Principis Maydenſium filium, qui ex his ecthymatibus, perperam expurgatis, Abſceſſus in cubitis perpeſſus, labefactata horum articulatione, intenſis ad unam figuram brachiis reſtitit.

Abſceſſus capitis ſubcutaneus poſt male purgatos, variolas, & morbillos, in puella quadrima, ad furcellae vicum obſervatus jam mihi & ſolerti Medico, Joanni Alphonſo Ferrillo.

## CAP. XX.

### *De praeſervatione.*

*Paedarthrocace* priuſquam exacte compleatur, jam tum ab eo tempore quo ſe prodit, operae pretium eſt anteverti: quod ſtet ſcilicet, ſi concepturiens, principio vitium & materia, quae ſubjicit incunabula, continuo diſſipetur medicamentis, tum internis, tum externis. Prioris generis, quae maxime ſint accommodata, atque praeſtantia; hactenus, qui tradiderit mihi compertus eſt nemo, ſed neque genus, atque aliquam iſtorum rationem attigit quiſpiam, quae mihi quidem aliquando meditanti viſa eſt illa, ſuperiore noſtra demonſtratione, credo, luculenter apparuit, affectum hunc initio foetibus humanis inſitum, propterea, quod cum principiis noſtrae formationis accedit. Jam vero, quamvis patrocinante natura, per plenos exanthematum ac variarum expurgationum Abſceſſus ſaepe finiri conſueverit; tamen non fit propterea, ut cum his levamentis eximatur perpetuo, materiae copioſioris manentibus adhuc ſeminariis, quae a puſillo pueri calore vinci nequiverint. Ob haec omnia, magno ac pertinaci labore, videtur opus, ut non ejecta primo naturae ſtudio labes, caeterum opera noſtra deleatur; huc igitur divina Paeonis intelligentia; huc Aeſculapii ars; huc omnis Cratevae ſupellex parata eſto.

Offenſum a nobis fuit *Paedarthrocaces* vitium, exoſtoſi Syphiliae proximum: quapropter analogiſmo quodam uſi nos, pariter hanc, ut illam exſiccandam, tum ſenſili, tum per halitum diſcuſſili, ratione putamus. Sed ſudores a puberibus, aut bene firmis, non incommode quidem omnino; ab impuberibus vero ſuo modo ſuſtineri poſſunt; ab infirmis ac tenerioribus non item. Verum, quae non apparentem quidem oculis, ſed obſcurum exhibent exhauſtum, quae ab omnibus ferri atque accipi poſſunt, eſt tamen adhuc incertum, qualis iſtorum debeat eſſe ratio.

Mihi perſcrutanti videtur illa commodiſſima, quae vivida quaedam, & inſita vi valeant emundare: nimirum, quae naturae vim non inferant, ſed familiaria quam maxime ſint. Jam autem ego dum materiem omnem medicinalem luſtro, & pervolvo triplicem; animalis plurimum per ſe ipſam commendabilis offertur; quippe quae noſtrae naturae, atque calori plurimum eſt conſentanea. Ex hac vero, quod genus ſit praeterquam Angues & Viperae; qui quemadmodum Joſephus Quercetanus, *in Pharmacopaea reſtituta*, notavit, hyeme tranſeunte, ac veris initio ſub terrae latebris, cum omnis parturit arbos, aethereum inde imbrem ac nectar, quod balſamum Chymici vocant, exhauriunt. Sed & Hieronymus Cardanus, ad Joannem Archiepiſcopum Sancti Andreae dyſpnoea laborantem, *Arcanum* hoc *Viperarum*, quo necdum excogitatum eſt majus, aſſerit, quod phtiſicos & elephanticos, & lue Venerea quantumvis graviter laborantes, praeter omnem ſpem ad integram valetudinem perducit ſic, ut pingues eoſdem reddat, certis deploratorum & pluries obſervatis experimentis. Jam vero ubi inſtes, memorans nobis diverſam iſtorum ſortem; praeterquam oſtendi conſimilia ſanguinis inquinamenta agnoſcere genus hoc morborum univerſum; ad haec & cum Baldo Angelo Abbatio, *in l. de natura Viperae c.* 28. monſtrabimus carni viperinae peculiarem virtutem eſſe, corroborandi concoctricem facultatem, tertiae, quae in membris perficitur, coctionis; atqui vero tertiae coctionis vitium eſt *Paedarthrocace*; ſicut jam conſtitit: quare &c.

Reſtat nunc, ut *praeparandae Viperae modos* exponam; quorum genera ſunt carnes, jus, ſales ſeu cinis, eſſentia, de quibus omnibus & Quercetanus, & Abbatius, tradidere; ſelectiora nos aliqua deſcribemus. Joſeph. Quercetanus *in part.* 3. *lib. de Spagyrica medicamentorum praeparatione*, *c.* 3. habet haec; *Menſe Junio cape quatuor aut ſex Viperas, ex quibus & caudam & caput abjicies; cutem inteſtinaque detrahes: carnem vero, minutim praeciſam, indas cucurbitae vitreae, per tres aut quatuor dies, ut in calore balnei vaporoſi, vel fimi calidiſſimi ſudorem ipſarum pellas* [*cave tamen, ne ſumi hujus aerem e Viperarum exhalatu vitiatum & venenoſum inſpires*]. *Quo facto ſuperfunde ſpiritus vini alcolizati, & Therebinthinati ſolutivi, ana, ut ſupernatet octo digitis, digerantur vaſe occluſo hermetice in balneo, vel fimo calidiſſimo, duodecim dierum ſpatio, donec tota caro Viperarum diſſolvatur in praedicto menſtruo: abjectis faecibus ſeparetur menſtruum in calore balnei, & fiet coagulum, cui denuo affunde ſpiritum vini caryophyllatum; fac circulentur in pellicano decem dierum ſpatio, & ſeparato menſtruo, remanebit caro Viperarum optime praeparata, & eſſenſificata: cui miſce, ſub blandum ignem, olei anethi, & cinnamomi, ana ſcrup. unum & ſemis, eſſentiae croci & margaritarum, an ſcr.* 1½ *cum mucagine gummi tragacanthi, finge pilulas: vel ſi vis cum pane triticeo arido, ac trito, more Veterum paſtillos. Hujus medicamenti exhibeatur ſc.* 1½ *ad lepram, peſtem, & ad omnes venenatos affectus.*

Quod ſi tibi pretioſa, & ſubtilioris ignis arte conquiſita, *Viperae praeparatio* cordi non eſt; magis autem amatur communis placiti ratio: en Aetius, *qui Tetrab.* 4. *ſerm.* 1. *c.* 97. inter caeteros exactiſſime profeſſus eſt de Viperae ſalibus; hos in ſumma praedicat tales, ut nullus fere ſit morbus, quantumcunque deſperatus, qui non edometur hiſce ſalibus. Horum autem emendatiſſimam praeparationem apud Joſephum, *in opere Pharmacopeae reſtitutae*, leges. His exactis, cura te omni ſolvere non oportet: ſed hominem continenter in optima victus ratione conſervatum medicamentis lenibus; quae τὰ ἐνιαύσια, id eſt, in annum vocavit Alexander Trallianus, & Aetius, *in curatione podagrae*, tueberis. Illud autem fuerit,

vel

vel *radicis rhapontici decoctum*, vel aliud quidlibet hujus generis ; oblatis ſingulos in menſes theriaca vel theriacis paſtillis, quos dixi.

Haec quidem adverſus cauſſam antecedentem ſunt medicamenta ; caeterum ad cauſſam, quam dicunt, conjunctam, & ad partem ſub initia extumeſcentem, opus eſt medicamentis exhaurientibus & abſumentibus, quae ἀποπινόμενα dixerunt Graeci. Sunt autem valenter attrahentia ſimul & diſcutientia, quae quidem ad hunc affectum abigendum, quo valentiora, eo laudatiora: debent autem ad pyrotica accedere, dummodo talia vere non ſint: quare de genere dicto Chymico fuerint efficaciſſima ; utpote quae penetrantia ſunt plurimum, atque ignea. Ad hunc igitur uſum puto commodum *ol. camphor.*, *ol. menthae*, *ol. ſalis*, *ol. croci*, *ol. bryon.*, *ol ſulph.*, *ol. calcis vividae*, *ol. coſti*, quod deſcriptum ad frigida Apoſtemata legimus, apud Diodorum Euchiontem, *l.* 2. *polychymiae* §. 5. quod.

℞. *Coſti unc.* 1.
*Piperis*,
*Pyrethri*,
*Euphorb. an. drach.* 1.
*Caſtor. unc.* 1.

Trita tenuiſſime diſſolve in *l.* ℏ *ol. de liliis*, *vel laurino*, quod melius erit, vel *ol. de ſpica &c.*

Haec niſi rem praeſtent ; vel etiam niſi praeſtitura confidas ; id quod efficaciſſimum proponere ſuper omnia poſſim, eſt *ignis actuoſus*, quod remedium equidem uſitatum in pleriſque comperi mirabile. Teſtis autem eſt mihi locuples, inter multos, Auguſtinus Saulinus, Medicus Neapolitanus apprime doctus, qui, viſo non ſemel experimento, neceſſarium hoc praeſidium ſaepe praedicavit. Sed & cum Jo. Antonio Foglia, Medico conſummatiſſimo, & cumprimis celebri, collega, valentiſſimum hoc remedii genus inſtituimus exſequendum ad ulceroſam malleoli affectionem ; qua cum ingenti tumore, tenuique febricula, diu laboraverat Thomas Adulcius, Fortunii Senenſis filius ; qui longo demum labore reſtitutus eſt. Qua item cura vendicatus a ſphacelo fuit Joſephus Magnifici Thomae Florilli filius, ſex annos natus, quam alioquin exitu felicem operam ; ut aliena facta corripere multis eſt proclive ; pro maxime periculoſa vituperavit invidus quidam. Neque alia ſane ratione liberata fuit, a certa faciei mutilatione, filia Joannis a Gregorio, librarii compaginatoris ; quam cum Joanne Dominico Comes, Medico vigilantiſſimo, curavi, ſecundum genam eodem Abſceſſu graviter tentatam. Referam autem, ſi patiatur anguſtia temporis, eos omnes quos certe plurimos, in Valetudinario, ſuae incolumitati reſtitui ; quorum aliquot novit Joannes Baptiſta Caputus, Medicus humaniſſimus, ac rerum bonarum apprime ſtudioſus.

## CAP. XXI.

### *Curatio.*

CUrationis univerſale conſilium, brevi definivit Petrus ab Argillata, *particula ſui operis* alias memorata: cui, praeter communem totius corporis expurgationem, ac procurationem, viſa eſt praecipua per Chirurgiam eradicatio vitii neceſſaria. *Ego enim*, ait, *jam totum unum ſocile brachii removi ; & facta apertura totum ſocile erat putrefactum, & diſcoopertum carne, ab uno extremo ad aliud :* & pro iſto *vide caput proprium, in primo lib. c. de corruptione oſſis*. Haec ille. Ni-

citur autem uno illo axiomate curatio Petri, quod omne alienum proprie dictum i. e. putre & corruptum, eſt auferendum primo; mox ulceris obductio procuranda. Verum ut hic rite finis obtineri poſſit, proponitur ſcopus non unus, ſed multiplex, quotus ad unguem in univerſo cariei, ſeu teredinis, vitio ſpectandus a nobis eſt. Primus quidem ad procreandum callum; cujus rei meminit Gal. *l. 6. meth. med. c.* 5. Interea vero detrahenda eſt oſſis portio carioſa propterea, quod non inutilis tantum, ſed etiam noxia eſt, impedimentum adferens unitati. Praeterea providendum eſt, ne acres humores, aut paulatim in laborantem particulam contrahantur, aut aliunde confluant.

Triplex igitur eſt omnis ſcopus. *Primus*, quo prohibeatur, ne humor paulatim colligatur, vel ne influat ab ulcere. *Secundus*, quo detrahatur id, quod emortuum eſt. *Tertius*, quo callus provocetur. Quantum ad humorem pertinet, curandum in primis eſt, ne nimius contrahatur in corpore, & ne ille, qui jam contractus eſt, feratur ad partem infectam. Ne contrahatur efficiet accommodata victus ratio. Sed ne, qui contractus eſt, feratur ad affectum locum; ad hoc obtinendum ſingulariter competit ſanguinis miſſio, aut purgatio. Jam vero is humor, qui continetur in morboſo loco, ne vitiet diutius inſidens, educendus eſt quoquo pacto licet. Sic ulcus exſiccandum eſt, ne ad os carne nudum dimanet ſanies. His actis, exſiccandum eſt os emortuum: jamque ſi vitium ſumma oſſis attigit, eſt ſcalpro deradendum, ut Celſus nos docuit *cit. loc.*

Si vero profundius pervaſit, crebris per terebellum foraminibus eſt pertundendum, quae foramina tantum procedant, ut caries adaequetur; nec deſiſtendum ab exciſione (Celſus ait), niſi cum de ſana parte viſum fuerit extritum, id omne, quod vitioſum erat; indicium autem hujus rei fuerit, quod os, quod nigrum & foraminoſum antea perſpiciebatur, album nunc, & ſolidum, oculis ſpectandum ſe offert. Si quod pingue inerit candenti ferramento eſt inurendum, donec abſumatur quicquid in Abſceſſu praeter naturam advertes: aut niſi permittatur ignis uſus, pyroticis paſtillis, ad hoc paratis, tranſigenda res eſt: de quorum delectu, praeparatione, uſu & adminiſtratione, Pandolphinum, & alios, de *anfractuoſo Ulcere* ſcribentes, legito.

Si vitium ad alteram oſſis partem penetravit, exſcindendum id eſt; quemadmodum ſe feciſſe perhibet Gal. *l. 7. de anatom. adminiſtr. c.* 13. in puero Marylli; cui cum ex ictu & prava Medici curatione pectoris os corruptum appareret, praecidit totum, quod vitiatum erat. Id niſi fiat, hoc eſt, ſi quid corrupti relinquatur, cicatrix vitioſa & adhuc humida inducetur, & ulcus ſentiet recidivam atque diruptum. Haec detectae cariei Curatio eſt. Caeterum ſi cutis integra eſt, ad figuram literae X concidenda, atque orae diducendae, ut ſpatium pateat, adhibendaque ferramenta, & omnis ad ſummam Chirurgia: quae cum nihil prorſus evariet a praeſcripta, eſt eadem exercenda.


His expeditis, mox oſſi exciſo porus inducendus reſtat, quod naturae relinquitur: tantum Medicus, qui eſt efficiendi ſocius, impedimentum adimere debet: quemadmodum explicate docuit Galenus, *antedicto methodi loco*. Id autem cum ſit duplex; excrementum tenue, & craſſum, ut 3. *meth.* 3. tenue quidem exſiccabit, craſſum abſterget. Quoniam autem os vehementiora ſuſtinet, utpote frigidum & ſiccum, ac ſenſus minimi; propterea vehementioribus eſt urgendum, ſive exſiccantibus, ſive detergentibus: ad quam rem probata ſunt auctore Galen. 2. *de compoſ. med. per loca c.* 16. & 17. medicamenta κατάγματικά, dicta, hoc eſt, ad fracturas accommodata. Praeterea ejuſdem Galeni teſtimonio, tradentis, *in l. 3. meth. c.* 2. & *in 6. meth. c.* 6. pulvis σαρκοτικός, id eſt, *carnis productivus*, qui conſtat

ſtat *ex Iride*, *Ariſtol. farina Erui*, *farina Hordei*, *Thure*. Sed cum gignendus callus eſt; pulvis ex *Iride*, *Ariſtolochia*, *farina Erui*, maxime conferent. Haec & Vidii, viri cuncta videntis, medicamentorum, & ſcoporum, ordinatio fuit.

Sed addam his pauca, quae Razes ad curationem praecepta reliquit. Minutio fiat primo de proximiori loco; illitio fiat cum eo, quod confortat locum & ſolidat particulam; purgetur corpus de ſuperfluitatibus calidis; generetur ſanguis humidus modicae acuitatis; ſuperponantur locis ſemper *Emplaſtra ad corroborandum*, ad prohibendam manationem ſuperfluitatis ad ea; & toto ſtudio infrigidetur locus, quoniam hoc regimine prohibitio fiet, quo non corrumpatur os, ſed remanebit in ipſa diſpoſitione per tempus longum abſque ulceratione. Quod ſi aperis illud cum ferro velociter, non de levi fit glutinatio ipſius, quoniam os aptum eſt ad corruptionem, & jam corrupta eſt pars ipſius; & haec non glutinabitur, niſi extrahatur os & totum id, quod fuerat corruptum; ex corruptione ipſius oſſis, vel alterius, difficilis erit ſanatio ipſius. Quando igitur eſt extrahendum os, noli dimittere, quod non cuſtodiatur de corruptione oſſis alterius cum rebus confortativis, infrigidativis, & prohibitivis.

Haec ille: quibus nulla cum ambiguitate propoſitis, conſtitutum ab ipſo vides, ad primum hujus vitii coalitum frigidis & repellentibus medicamentis non abſtinendum; quam rem tamen non parum a ratione diſſentaneam experieris, ſi perpenderis mecum aliquot contra ſuadentia capita, quae ſunt; primum, quod hujus generis Abſceſſus calidus non apparet, & quod per longum congeſtum procreatas, longiſſimus item & contumaciſſimus eſt affectus; & quod oſſi, articulis, perioſteae membranae, nerveiſque particulis, incumbit. Quae quidem adſtruxi negans, referendum ad calidos Abſceſſus: caeterum eo conceſſo, quod humor, opifex mali, praecalidus ſit, neque videtur continuo refrigerandum ad reprimendum, natura ſpectata frigida partis, quae concepit Abſceſſus, atque adeo ad articulos, partes alioqui corporis debiliſſimas, minime tutum eſt uti repellentibus, ne fortaſſe puſillus eorum calor juguletur: quae cauſſa fuit tanti apud Gabrielem Fallopium, ut *l. de tumor.* generalem hanc normam atque exceptionem poſuerit inter decem leges, repulſum interdicentes. Quae dixi jam, oſtendens incommodum repellentium uſum in hiſce tumoribus. Caeterum enim circa comprehenſae noxae teſtationem, neque etiam ſuccedere quaquam repulſus poteſt ſuper Abſceſſibus a congeſtu; in quibus, ut oſtendi, cum alibili materia miſta ſuperfluitas, per oſſis intimos, & medicamentis frigidis inacceſſos, meatus inſinuatur. Quae autem ad congeſtile alimentum, aut alimentarium congeſtum repulſus ſit forma? nimirum inſcita, niſi prorſus hallucinor, & inanis. Itaque jam, nulla contra *Paedarthrocaces* initia repulſus vi conſtante, reliquum eſt, ut ad inanitionem per intrinſecus avertentes, perque reſorbentes, extrinſecus alias a nobis memoratas medelas confugium ſit ſolium. Taceo quod affectus proprium eſt, corrupti habitus homines laceſſere, itemque corruptus eſt humor, qui externas ſub hoc Abſceſſu partes coinquinat: quae fuſe nos in ſuperioribus libri ſermonibus demonſtravimus ſingula. Jam autem quid de Raze ſtatuemus? profecto nihil praeterquam, quod honeſtum ſimul & ſcite prolatum ſit; quapropter objecta ego ſic brevi judico depellenda, & quod ſublato prius cacochymiae fomento, & quod, cum roborantibus miſta, materia frigida leviter utendum cenſuerit eo conſilio, ut a nimio ſuccorum acrium, atque effervescentium, incurſu tueretur obnoxiam magno malo particulam: caeterum neque perfactam & abſolutam *Paedarthrocaces* noſtrae notitiam huic homini fuiſſe, credi fas eſt, quando neque Avicennae cognitam admodum ejuſdem Abſceſſus ideam, nobis oſtendentibus approbaſti.

*Uni-*



modo aſpera & confragoſa : pertulerat autem Tumorem homo miſer a parvo primum initio majoribus ſubinde momentis exauctum , tertium jam in annum , ſolicitante dolore perpetuo ; caeterum huic lenis ſuperficies fuerat , & colore plumbeo , a quo non diſſentiebat alioquin aegroti facies ; tuberoſae autem hujus manus faciem repraeſentare tibi, aeri inciſam, voluimus.

Potuerat autem comparari tumor hic cum Tubere teſtudinaceo pedis , cujus Iconem miſit ad me Clar. Vir. M. Rupertus Boeslerus , Archiater Norimbergenſis, niſi quod in hoc oſſis non ſubſtitit vitium.

FINIS.



DE

# DE GIBBIS, VALGIS, VARIS,

## ATQUE ALIIS AB INTERNA VI VARIE LUXATIS;

## *LIBER UNUS,*

Qui eſt, de ſelectis Abſceſſibus, Sextus.

# EODEM AUCTORE SEVERINO.

## PRAEFATIO

## DE

## PERFECTA HIPPOCRATIS DOCTRINA,

*Deque noſtra ſecundum hunc Auctorem inſtituta diſputatione.*

INter omnes homines ; qui quaſi divinitus inſtituti , ſingulari quadam, & excellenti ratione Medicinam exercuerunt, Hippocrati fortuna contulit ſummam attingendae praeſtantiae felicitatem . Nimirum ad omnes ſciendi numeros, quid homini non largitum eſt ? aut quid omnino deſideratum ? principio enim inſita ferme ſibi ad comparandam eam ſcientiam primordia : qui Aſclepiadarum genere natus., maternam quidem originem ad Herculem Alexicacum ; paternam ad Aeſculapium, retulit. Vide autem , quam longa ſerie ductus ab utriſque : nam ab altero quidem vigeſimum ab altero decimumnonum ſe numerabat . Porro Aeſculapius Apollinis, primi Medicinae conditoris, filius, ex Arſinoe genuit Machaonem & Podalyrium , Medicos bello Trojano clariſſimos . His ſucceſſit Nebrus ; cui Soſtratus ; cui Theodorus ; cui Hippolochus ; cui Cleomitadas ; cui Gnoſidicus ; hujus filius fuit Hippocrates primus, qui ſcripſit libros de articulis , ac de fracturis. Hic genuit Heraclidem , Hippocratis Coi, genere Dorienſis, patrem ; quem Coum Hippocratem ab ineunte aetate Medicinae operam dediſſe, ac praeclara ſatis indole fuiſſe ſuadetur , tum ea gentis ſucceſſione , tum luculenta ratione , quae eſt ; Aſclepiadas omnes , Medicorum filios antiquitus appellari conſuetos : quos etiam Galenus, *anatomicarum aggreſſionum tertio*, πεπαιδευμένους , id eſt , a pueris eruditos teſtatus eſt . Quibus autem , quaeſo te , Magiſtris noſter Hippocrates eductus a parvulo fuit? patre , inquam , Heraclide , ac primo Hippocrate avo ; quorum utrorumque ſua , inter Hippocratis commentarios, leguntur immortalia monumenta. Praeter quos Doctores, & ſub Erodico Selymbriano Medicinam didicit ; ſed in Philoſophia Democritum Abderitam ; in Oratoria vero Gorgiam Leontinum , primum ipſum artis , ut plerique volunt , auctorem , aut incomparabilem certe Profeſſorem, audivit. Acceſſit etiam, ad optatiſſima diſciplinae vota, loci commoditas, in quo inſtitueretur. In Graecia , inquam , bonarum artium *emporio* , campoque foecundiſſimo ; & in conventu diſcentium frequentiſſimo ; florentibus tum maxime tribus ſectis, Cnidia, Rhodia , Coa : in qua omnium optima , & praecipua profeſſus eſt , lectiſſimus tum inter omnes ſpectatae Medicinae floſculus & ocel-

ocellus. His igitur Praeceptoribus assuetus, hac doctrina primis ab annis imbutus, atque ea, quam equidem adumbravi, ratione exercitus, qua non εὐφυείᾳ, id est, quibus non moribus generosis ornatum credideris nostrum Hippocratem? Galeni legitur *in lib.* quod si quis optimus Medicus, idem est & Philosophus: apparebit sane, Virum illum uno artis studio, atque incredibili contemplationis jucunditate, nullam aut divitiarum, aut primi inter cives assessus, & facultatis; aut apud summos Reges gratiae, aut denique in vita commoditatis, aut voluptatis, rationem habuisse; sed temperantiam, justitiam, caeteraque se mutuo complectentes virtutes sanctissime coluisse; quibus alioquin excluſis, Medici quidem non sunt Medici, sed venefici; non fine artis utentes, sed abutentes. Praeterea, laborem amice sic amplexus est, sic dies ac noctes cum industria mire conjunctos, pro se suaque arte perpetuo perficiendis; ut nedum Cranonem ac Thasum, omnemque Graeciae regionem peragrarit, sed & Asiam, Europamque omnem, ad usque frigidissimos Scythas, & incultissimas nationes, penetrare ne fuerit quidem sibi taedioſum aut difficile, ut aerum, aquarum, & locorum, proprietatem, & a variis horum affectionibus nascentes morbos, explorate cognosceret, hanc aliis scientiam rite traditurus: quo sciendi studio non, ut multi consuerunt, cum longo annorum acceſſu defunctus est; sed ad ultimam usque senectutem medicae perfectioni studuit, ut ejusdem epistolae nos certos fecerunt. Ita jam constat ea, quae Medicis aliis habenda praeceperat Medicinae Parens, *in lege*, jam a se principio constituta; eundem ipsum, velut optimum legislatorem, & probatissimum suorum omnium affeclarum exemplar, obtinuisse; atque etiam cum auctario, naturam, inquam, ad optima accommodatam; exactam a puero institutionem, praeceptionem singularem, locum ad studia mirifice facientem, sedulam industriam, pleniſſimam exercitationem & complementum omnium, ad multos populos peregrinationem. Quibus omnibus factum est, ut unus homo comprehenderit, conscripseritque ea, quae, posteriorum suorum laudatissimus, Galenus admirari tantum & explicando dilatare, non superare diligentia, cunctaque sua demonstrandi peritia, valuerit; ut neque alii, qui succeſſerunt omnes: quippe post aliis erunt in annis. Nam, quis naturam hominis & hujus momenta? quis assiduos facultatum suarum omnium motus? cum clandestinis item morbi concursibus, sic rimetur & assequatur? ut videat, quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur. Porro Lyncis & Argi oculi tanti non essent, ut his intime dispiciendis facere satis possent. At qui mirus Hippocrates Perdiccam Macedonum Regem, qui tabe laborare putabatur, certis affecti corporis indiciis, insano Phylae paternae pellicis amore languentem deprehendit; quod a nullo, nec ab Euryphonte quidem, Medico clarissimo, fuerat adversum; qui idem Hippocrates, & prudenti conjectatione pestem in Attica grassaturam praesagiens, tum civitatum, tum discipulorum, curam gessit, quo minus a lue corriperentur. Taceo quot aut quales praedictiones a se jam editae, suis e commentariis apparent: quae nos inter caetera condocefaciunt, ipsum naturae consultum & fidum interpretem; ipsum, cui beata sorte contigerit, naturam admolientem, mortalium oculis inadspectabilem, spectasse, atque arcana sua docentem, a nullis auditam, audisse: quae causſae fuerunt, ut (quod rectissime Macrobius de illo praedicavit) nunquam aut falli, aut alios fallere, potuerit homo felix: non falsus, inquam, aut fallax cuncta tradendo, quae pertinent ad rerum ac subjectorum corporum naturam intelligendam; ad morborum differentias discernendas; ad praesidiorum indicationes inveniendas; ad recte curandum, ad praeservandum; ad corpus omnino, sive in integra, sive in adversa valetudine tuendum, secundum singularem suam crasin, constitutionem, habitum, aetatem, affectiones denique sin-

gulas; & quae non alia accidentia? ſic enim Hippocrates abſolutus eſt, ut nemo appareat illo ſuperior, ſiquidem obſervatorem nactus ſit in ſua doctrina non leviter exercitatum.

Hujus ergo Viri ſic libenter quidem a me, ſed perfunctorie deſcripti, dum pleraque obſervo in his Abſceſſibus, quos jam propoſui pertractandis, ſe *Gibberum*, & *interna vi luxatorum*, offert familia: quod argumentum, ut a primo quidem Hippocrate pro re plurimum neceſſaria, non uno loco traditum & enarratum fuit: ita per noſtros omnes, quaſi tenuis momenti res, ignave praetermiſſum eſt & neglectum. Hi vero mihi videntur Abſceſſus, & hi luxatus, digni, qui non vulgari, ſed accurata plurimum adverſione pendantur; in quibus, tacito morbi defluxu, & abditis collectionibus, in minime delinquentibus alioqui pueris, impuberibus puberibuſque, fundamentum & baſis corporis, quae ſpina dorſi eſt; itemque teſtudo pectoris, caloris vividi promptuarium, ſolidiſſima ſua ſyſtaſi pervellantur ac pervertantur. Quod ſi mirabile quidem tibi videtur, adhuc mirabilius eſt, quod certis corporum habitibus, conformationibus, aetatibus, gentibus, familiis, locis, privatis etiam cauſſis & affectibus, conſentientes adveniunt hae oſſium emotiones; quas ipſas interdum natura praevalens, interdum ars corrigit, interdum neutra quantumcumque laboret, emendare valet: ſic varie ſcilicet implicitum obicibus, ac ſubjectis corporum habitudinibus, eſt negotium: quae ſingula praeterquam ſedulus rerum aeſtimator (phyſicum appellavit Hippocr. *libro de ſterilibus*) aſſequi & comprehendere non poſſit; quippe non tam, quid agas, quam quomodo, & in quibus, adverti oportet. Neque tam morbum ipſum curare nos exigimur, quam occurri cauſſis: quae ſicut vitium produxere, ſic etiam plerumque fovere ſunt comparatae. Utinam igitur, ut multiplex, ut grave, & Hippocraticum, ut difficile, atque aliis intentum eſt hoc argumentum: ita liceat aliquando nobis, vel omnes, vel harum maximas expedire difficultates, quae vel doctis, & magnis viris, negotium exhiberent. Sed tamen huc nos aliquam operam navabimus, & quantum virili noſtrae portioni conceditur, aliquid in hac re fructus adferemus: ſin minus frangemus hanc glaciem nos, atque excitabimus ad extremum ſolertiores, ut ſpartam hanc ipſi ſubtilius elaborent; dum interea nos, qui parum ingenio valemus, paucoque ad contemplandum otio fruimur, haec qualiacunque ſint, pro rudimento, aut mavis irritamento, damus.

## CAP. I.

### *De Gibberis, proprio ſubjecto, multiplicibus modis, appellationibus, definitione.*

FIt *Gibber* ab Abſceſſu, nedum communiter ſed & proprie, dicto; quemadmodum ſuo, poſt haec, loco monſtrabimus; quapropter & hoc genus Abſceſſus accommodate capiet commentarius hic noſter: principium autem id habeat diſputatio. Natura, quae homini coeleſtis ſuae originis indagatori ſublimes vultus, & ad ſydera ſublatos cum reſpondente in rectum, ſed flexili corpore praeſtituerat, architectata eſt ſpinam, id eſt, verticulatis oſſibus & cardinis modo inſtructis, in longum actam compaginem, quae ſic corpus ſuſtentat, ut catena navem. Hujus autem ipſius omnes nodos atque teſſellas, qui tum cervici, tum dorſo lumbiſque diſcreti ſunt, extrinſecus ligamentorum aponeuroſi firma, e pericranio derivata, & a prima cervicis vertebra ad inferas uſque producta, conveſtiit atque contegit: cui ſuccum quemdam pinguem lentumque, vertibulorum motui conſervando commodaturum, perpetuo ſubdidit. Cui naturali linimento, poſtea temporis, commiſta iner-

inertis viſcida pituita, quae confertim e ſuperioribus demiſſa irruit . Nedum quidem ductus nervorum , qui per oſſeas illas coagmentationes exiliunt , ſed etiam ipſarum vincula, quae modo dixi, diſtendit ita, ut ſaepe ſua de ſede revellat; ac nunc uno quidem ſitu , nunc alio , contorqueat : quarum everſionum modos tres fecere , tum primus Hippoc. *in lib. de artic. com.* 3. *particula* 1. 2. 7. 22. 68. tum Galen. *ibidem ac libro* 4. *de locis affectis c.* 3.

Una ſitus perverſio eſt extrorſum , cum vertebrae recedentes ab aequalitate laterum, in medium ipſorum abſcedentes , & ſe coaptantes in unum quaſi turbinant conum. Haec κύφωσις , & κύρτωσις: homines vero his affecti ὑβοὶ καὶ κυφοὶ, grece dicuntur: affectionem vero *Gibber*, corpus vero *luxum* & *gibberoſum* dicere conſueverunt Latini. Alter modus eſt introrſum, qui fit, cum , a naturali rectitudine in hunc ſitum , rapta ſpondylia ſimam & velut infoſſam dorſi partem relinquunt; *lordoſis* haec a primoribus Magiſtris ; *divaricatio* vero & *repanditas* a noſtris eſt nominata. Tertius eſt ad ſpinae latera conflexus , tum dextrum , tum ſiniſtrum, quem Graecia *Scolioſis*, *Obſtipitatis* vero nomine Latium , extulit . Eſt autem ſic dicta, quod ſcolion, id eſt, lumbricum tertae reptantem refert ſpirarum ſimilitudine. Refert enim Hieronymus Cardanus, *in commentario de cauſſis, ſignis, & locis morborum, parte* 3. §. 16. id quod etiam obtigit mihi , viſam ſibi puellam flexa ita ſpina, ut S literam referret . Quam rem equidem adjeci libentius , ut veram hanc diſtortionis ideam cognoſcat quiſque ; enimvero ſimplicem ad latus ſpinae flexuram creditam a Medicorum vulgo video *Scolioſin :* quamquam multifariam flexuoſam , praecipuam inter omnes fortaſſe fecerunt antiqui.

Adverti *Gibber* extrorſum frequentiſſime fieri , non infrequenter etiam ad latera ; verum ad anteriora , per multum inſolens eſt auctore Hieronymo Fabricio : eam ob cauſſam ſcilicet , quod anterius inter binas vertebras interjecta cartilago multa non poteſt non facere , quin impulſus omnis ſpinae retrudatur , id quod in aliis ſitus inverſionibus non accidit . Illud enim animadverto neceſſarium, quod cavo partis unius reſpondeat oportet connexum alterius adverſae ; id eſt , cum *gibberus* ſit thorax poſticus, cavus erit anticus : & contra, ſi dorſi ſit cavitas, pectoris tuber erit. Sic quoque cum cavitas in altero latere facta fuerit , continuo in adverſo reſpondebit tuber , quamquam non ita luculentum hoc , ut in prioribus , niſi magna lateris facta fuerit divaricatio.

His ſic expoſitis, quae ſit natura *gibberis* apparet: eſt autem, Hieronymo Mercuriali definitore, morbus, tum in ſitu , tum in figura , non ſolum rectitudinem corporis depravans, verum & flexionem ad poſteriora ſaltem non parum impediens. Praeter haec eſt imperfecta ſitus emotio, ſub qua, junctura madefactis laxatiſque vinculis, diducuntur & hiant , tantummodo ſervata rectitudine . Galenus primus hanc invexit σεῖσιν appellatam; quae laxatio & abductio quaedam eſt , ſpatio latiore relicto vertibulorum; cui vitio pueri privatim, ob nervorum mollitudinem ; ſunt obnoxii.

His appellationibus, Antonius Muſa Braſavolus privatum hunc *Gibberum* aphoriſmum interpretatus , addidit & aliam quampiam late patentem ſic , ut cunctis praeter ſpinam membris fecerit communem. Uſus autem eſt & auctoritate vulgi , qui, flexam & tortuoſam quamcunque rem ac figuram , gibbam appellare conſuevit: quem ego nominis uſum eo libentius memoravi , quo conſtet etiam mihi licuiſſe , ut ad *valgos* & *varos* ; & ad ejuſmodi luxatus omnes conſentaneum fecerim, & affinem. Ad hunc ad antica ſimul & poſtica *gibbos* poſuit idem compoſita ſcilicet ratione.

## CAP. II.

### *Exactiora & definitiora gibbosis discernicula.*

HI generalis quidem sunt *Gibberum* spinae modi : caeterum sunt & alii speciales ; quorum hi quidem secundum partes corporis sunt . Aliud enim est *Gibber* cervicis, aut thoracis; hoc sub septo transverso , hoc infra septum : quoddam in lumbis, quoddam infra ipsos : quod unam tantum vertebram emovit, quodve plures & paucas, quodve plurimas. Si perquisiveris aetates, *gibbosin* incurrunt aut impuberes, aut adulti grandioresque: sed spectatis caussis, alii *Gibbi* ex ictu, alii ex tuberculo : quae tubercula calidiora , frigidiora ; mitia , coctiora ; dura , crudiora; vel in cervice constiterunt, vel in thorace, vel in lumbis , atque etiam inferius: singulorum enim sua sunt effecta ; atque secundum haec , aliud *Gibber* primae , vel, ut aliis placet , secundae vertebrae cervicis , mentum apprimit ad pectus; aliud majorem spiritus difficultatem, aliud minorem parit : de qua nos re in parte prognostica. Addidit his Hieronymus Cardanus, *in lib. de caussis , signis & locis morborum, loco ante memorato, Gibbosin* ex materia sensim influente : quam sane caussam non exposuerat Galenus, observatam alioquin a nobis, in filio Illustr. Baronis Pascuarole.

Ad haec evadunt alii lente *gibbi*, consuetudine, scilicet, decumbendi atque flectendi ; alii semel simulque ex irruente affatim humoris copia , validaque vi tuberculi . Alia spinae emotio ex ambabus partibus ; alia ex alterutra . Nonnulla cum nervi sentientis atque moventis laesione; nonnulla sine nervi laesione: de qua re Cardanus , *ante dicto loco* . Aliqua subito jugulans & funesta , quae speciem unam aginae facit ; alia non funesta : quaedam solvitur , quaedam non solvitur : cum autem solvitur, interdum judicatur metastasi , id est , per transpositum acuti morbi, puta phrenitidis; qualem eveniisse coco cuidam auctor est Hippocrates , *in libr. 5. epidemiorum particula* 22. Interdum est per sympathiam , ut si pus demittatur ad ilia, inguina, coxas; & hic suppuratio nova suscitetur . Postremo, *Gibber* omne vel omnino praeter naturam evenit, qualia sunt ante dicta ; vel aliquo pacto secundum naturam est, qualia sunt senibus, proceri praesertim corporis.

## CAP. III.

### *De Caussis.*

SIngulae distractiones illae dorsi communes quidem saepe , sed privatas etiam agnoscunt *caussas*. Communes quidem externae sunt , id est , quodcunque grave , durumque corpus quassat, allidit , percutit : quarum caussarum Hippocrates , *in dicta parte libri de articulis*, explicate meminit; itemque Galenus *in commentario*. Plurimum autem hae caussae vertebras ad interiora compellunt ; qualis unus est casus, de sinuata in vesicam spina , a Galeno narratus , *l. 6. de locis affect. cap.* 4.

Hae quidem manifestae, sed multo digniores relatu sunt caecae caussae, de quibus quidem mox audies, si simul approbes referri modos, quibus hi, qui jam perstabant in sua sede modi , depravantur. Hi, Galeno teste, *in 3. de loc. affect.* caussae sunt & spasmi communes; quae sunt siccitas & plenitudo . Siccitatis & squalloris primus meminit Galenus, *in l. 3. de causs. pulsuum c.* 11. cui addidit & frigus immodicum, a quo ceu gelu convulsiva intentio est. Sed & inaequalis intemperies,

peries, eodem auctore, distorquere potens est censenda. Siccitas in ardente potissimum febre visitur, cujus febris vi arefacta vincula vertebrarum has in anteriora pertrahunt, ut & cervicis interdum; illud affirmante Hippocr. *in l. 4. aph. 34.* quod est; *si a febre detento collum pervertatur & cibum devorare vix ipse possit, sine ullo tumore, lethale*: porro mens est Hippocratis colli vertebrarum aestu febris distractarum comminisci: sic contractione & ariditate abstrahuntur fibrae ligamentorum, & quae has sequuntur ossea verticilla. Ex adverso, plenitudo ac distentio multa saepius etiam distortiones parit: itaque inflammationes & scirrhi; Absessus & crudorum quorumdam generatio Tuberculorum; breviter omnes praeter naturam tumores; vicinas partes ad se retrahere valent: res hercle veteribus Medicis difficillima investigatu: quae verba sunt Galeni, *libr. de caussis puls.* & *libr. de locis affect. citato.*

Jam autem ubi monstravi causas internas, externasque, separatim in luxandas spinae vertebras influentes, tu nunc intellige & utrasque posse sibimet ad invicem consentire. Nempe vis procatarctica, forinsecus impulsu facto, vertebram adurget in anteriora; interior vero, quae plenitudo est, distendendo; siccitas contrahendo, eo versum etiam adducit. At vero cum *emprostocyphosin*, id est, *ad anteriorem gibbosin* externa causa valeat, an ad *opistocyphosin*, id est, *ad exteriorem gibbosin*, quidquam operetur? Hoc quidem summatim inspicienti haudquaquam videbitur posse fieri: quando vis exterior tanta non est, quae, citra corruptionem animantis, vertebras, & vincula, foras abstrahere queat, *gibber* in spina relinquens. Sed enim praeter id, quod docet Hippocrates, *in 3. de artic. sententia 19.* etiam vero cognoscetur, idem ut eveniat, facile. Nimirum homine de sublimi loco in scapulas coxasque lapso, vertebrae perplures in posteriora non difficulter exerentur, non in angustum, inquam, adductae, sed in ambitum sinuatae; praesertim vero, si conferat ad haec accommodata interna causa: rationem ejus rei docente Galen. *initio 3. de art.*, quem Hollerius in scholio sequitur, hanc.

Vertebrarum quidem ossa per se, neque pervertuntur a tuberculis neque trahuntur, sed primum vitium fit in iis corporibus, quibus vertebrae alligantur. Igitur, ubi ad vertebras tuberculum oritur, ac tum in tumorem assurgit atque augetur: ab interiori, sive priori parte (utroque enim vocabulo licet uti) necesse est, ut tuberculum sequantur ligamenta, atque haec rursus vertebrae. Itaque si in una parte duntaxat tuberculum oriatur, ubi haec in interiorem trahatur, in priorem partem spina convertetur. Sed si in duabus, ubi aliqua interjecta sit inviolata, *gibba* evadet: utroque enim tuberculo adjunctam vertebram trahente, quae in medio sunt, a posteriori parte *gibbae* fient: quod evidenter intueri licet omnibus evenire, quae curvari modice possunt; cujusmodi sunt virides rami, & ex scriptoriis calamis plerique, quos si quis dexterae digitis ab una parte, sinistrae ab altera, prehendens ad se traxerit, medium in contrariam partem attractum, gibbumque, conspiciet. Atqui neque alia de causa spinam ad latus convertitur, quam ob crudum tuberculum, quod ab eiusdem latere fit. Haec autem tria vitia in spina incidunt, cum vertebrae loco moventur.

Praeter internas jam expositas causas, est & virium imbecillitas; cujus unius vitio vincula, lacertique dorsi, minime valentes onus corporis sustinere, faciunt, ut nutans spina curvetur; quae fortasse causa est una, qua senes omnes *Gibbosi* existant: fit autem imbecillitate, ut succi praevaleant, tum copia, tum viribus, cum eo locorum impinguntur, unde mox & luxatus adornetur. Est & ex causis externis consuetudo corporis quoquoversum inflectendi, atque inflexum continendi; quemadmodum enim virgultis & viridibus lignis pondere pressis, assidueque con-

tor-

tortis ; ita & dorſo noſtri corporis accidit , ſub opificiis diverſarum artium , & ſub inſtitutis vitae diverſis. Ita , qui venales arculas quotidie , de cervicibus appenſas , per totam urbem bajulant , his plurimum eſt ſpina *gibboſa :* id quod & in morbo accidit , teſtante Hippocrate , *citato libro de articulis* ; quoſdam etiam in id vitium compellit una cum morbo habitus ille , quo jacere conſueverunt. Sed & primus , per faſcias , obligatus ineptus cerea puellorum oſſa diſtorquet , ut vulgatum etiam inter foeminas noſti.

His jam expoſitis expendendae ſubeunt tres hominum opiniones ; quarum *una* eſt Hieronymi Mercurialis , atque aliorum quorumdam , cenſentium , exoriri poſſe dorſi *gibboſin* a tuberculo ; quod ſuſtinente aegre pulmone , ſic agitatio multa pectoris , reſpirationis depravatio , & inde vertebrarum emotio , ſuſcitetur ; quem *gibberis* exortum , dum explicandum ſuſcipit Hieronymus , haud tamen explicat vere : nam quod concutiatur ſpina motu thoracis inſolentiore , ac magnum inde laborem experiatur ; id profecto non facit , ut *gibbus* pariatur ; praeſertim quando confeſſum eſt , agitationem illam thoracis ab incommodo reſpiratus undelibet aequali , non magis uni , quam alteri parti ſituive vim ac noxam inferre debere . Ad haec autem dum Mercurialis exemplo propoſito *Agaſii filiae* , *lib. 6. epidemiorum ſect.* 4. deſcripto , non exponit , cur ea puella ex certo pulmonis tuberculo reddita *gibba* non fuerat ; interea peccat magis. Jam enim cur poſita neceſſaria cauſſa , id eſt , poſito pulmonum tuberculo , atque agitatu depravato thoracis , non conſequatur *gibber?* Atqui , quod iſthaec a Mercuriali neceſſaria poſita ſit cauſſa , monſtratur ; quod omnem excitandi *gibberis* , rationem , apud Hippocratem ex praecipuo pulmonis tuberculo deduxerit : neque enim ab Hieronymo verum conſtituitur aut ſuadetur Hippocratis enunciatum , praeterquam hac una tuberculi pulmonis via . Quod autem Hippocrati tribuerit iſte vir , ex conſtante tuberculo pulmonis perpetuo *gibber* futurum , vel gratis hoc quidem aſſeritur , vel unde colligi potuerit , adferri debet. At equidem ſequuturam *gibboſin* a tuberculo ſemper verum contendo , ſi res ſolum intelligatur ad ſententiam Galeni , qui *Comm.* 3. *de articul.* procreationem *gibbi* neceſſariam retulit ad una vertebrarum tubercula , non autem ad tubercula pulmonis , quod falſo credidit Mercurialis . Interim ſi nulla haec noſtra ratio propoſita de hominis hallucinatu , ſed hallucinatio ipſa ſit , haudquaquam profecto defenditur dogmaticus enarrator , qui *gibboſin* omnem , pulmonis non vertebrarum ( harum enim nullibi meminit ) tuberculo retulerit . Rem ſane , quae neque Hippocrati , neque Galeno , neque ulli magnae auctoritatis viro , vel per ſomnium quidem , in mentem venerit . Sic enim reſpondeat velim , qui phthiſici & aſthmatici non *gibbi* omnes? Itaque tuſſis & aſthma Hippocrati ſunt ſymptomata , & affectus conſequuti ex dirupto jam Abſceſſu circa ſpinam ; atque adeo , quod magnus Magiſter doceat & conſtituat ex *gibbo* , vel hujus effectrice cauſſa excitari aſthma : oppoſitum aſſeri videtur Mercurialis placito , quo adſtruitur ex aſthmate , vel hanc admolito tuberculo produci *gibbum* ; contraria nimirum & adverſante ſententia : tantum abeſt , ut Hippocratis doctrina ſervetur.

Quod ſi Mercurialis occurrat memorans nobis ( fundamentum ſcilicet opinionis , a quo ſuaſus eſt ) Hippocratem omnino propoſuiſſe pueros ex aſthmate ac tuſſi redditos gibbos . Atque tuſſis & aſthma ( dicat Mercurialis ) non inducitur probabiliter in hypotheſi noſtra , praeterquam a tuberculo pulmonis : ergo cauſſa *gibberis* effectrix tuberculum eſt pulmonis . Cui quidem inſtantiae ſic ſatisfaciendum videtur. Mittatur enim primum , ex tuberculo pulmonis tuſſim & aſthma fieri , quod fieri quidem ex dirupta vomica poteſt ; ſed non propterea fit , ut Hippocrates illius dictum voluerit , *gibber* ex tuberculo pulmonis creari : verum ſic , ut volue-

luerit gibbum quidem longius profectum ex tuberculo vertebrarum ; ex quo tuſſis & aſthma proxime derivent. Itaque tuberculum vertebrarum cauſſa eſt Hippocrati praecedens, & proxima, *gibbi*, mox vero diruptum tuberculum ſpinae ſuccedens, tum aſthma, tum tuſſis, excipiunt.

Adhaeſit & huic opinioni poſtmodum Hercules Saxonia, qui *Panthei medicinalis lib. 2. c. 4.* qua curanda dyſpnoea monſtratur, in hoc aliquando prudentior Mercuriali; quod cauſſam *gibbi* repletionem fecit ligamentorum ſpinae vertebris adnexorum: quae fuerat quidem Galeni doctrina, *lib. 3. de articulis*, primo propoſita: verum ex adverſo tantundem Mercuriali viſus eſt Hercules ineptior; quod ſibi nobiſque ſuaſerit diſtenſionem induci tuberculo pulmonis inerti ; maxime ſi crudum, ac parte poſtica conſiſtens , ac neque non ſi diruptum & parte poſtica poſitum conceperit: nam quae vel pulmoni, vel hujus tuberculo , corporibus vacuitate locorum & aeris interjecti diſſitis, vis ſit, ut vertebras ſpinae convellat ? at neque reſultans a tuberculo pus tam, aut penetrabile, aut tam erga ſolidiſſima ligamenta praevalens, eſt, ut haec vincere queat . Praeterquam quod fluere naturali ſuo nutu comparata purulenta ſubſtantia, nequaquam media ſpinae rectitudine conſiſtere , ſed ad infima repere debebit : quapropter aut his private partibus *gibboſin*, aut aliud etiam quodcunque malum potius, quam *gibbum* excitabit . Quod ſi tamen Patavino Profeſſori detur, ut ex adverſa pulmoni parte ſpinae conſiſtat , & non diffluat ſanies; tum & deterius argumentationis incommodum ſubibit Hercules; quod perpetuo circa dorſum erit ſpinae luxatio , atque adeo non erit , unde vertebrarum cervicis, aut lumborum, aut oſſis ſacri, perverſio fiat.

Ad has duorum interpretum opiniones accedit etiam examinanda *tertia* Hieronymi Fortunati philoſophiae, ac medicinae, Magiſtri peritiſſimi ; qui cenſuit *Gibber* primum rheumate quidem initiatum , mox ſub aſthmate, ac tuberculo magno pulmonis, neceſſitate quadam avertendae difficultatis atque laboris, inſpirando, ac reſpirando , flexu dorſi completum : quod multo liberius agitur pulmo , laxiuſque ſuccedit reſpiratio, dorſo jam conflexo, quam tenſo ſepto tranſverſo, atque externis muſculis : qua de cauſſa cogitur homo, ſic inſtigante natura , teſtudinem thoracis quoquo pacto licet , atque etiam ampliante curvitate dilatare , qua inflexus aſſuetudine in dies facta, ſic demum abſolvitur *gibboſis*. Quae noſtratis viri videtur quidem ingenioſa excogitatio : verumtamen nihil ad rhombum atque ad ſenſum Hippocratis, qui cauſſas plane neceſſarias , non contingentes , *gibbi* poſuit ; fieret autem per hanc opinionem , ut *gibbi* & commoda ſemper reſpiratione fruerentur, & in quacunque ſpirandi difficultate perpetuum eſſet , in dorſum incurvatio, levamen, & illud quidem paratu facile.

*Quarta* opinio eſt hominum perperam etiam, ut videtur, interpretantium Aphoriſmum Hippocratis, dum tuſſim vehementem adſtruunt, quae vertebras e ſuo loco pellat. Res equidem, quae a Divino praeceptore nuſquam aſſerta eſt; ut aſthma ſcilicet ac tuſſis ſint cauſſa *gibbi*: verum, ut *gibber* ſit cum aſthmate ac tuſſi conjunctum; hoc ſane dictum a Sene noſtro fuit ; quam rem quidem acute diſcrevit Thadaeus, *in enarratione aphoriſmi* : ut appareat jam ex his omnibus ſumme verax opinio Galeni, qui cauſſam *gibberum* haud tuberculum quidem pulmonis , ſed ſpinae contiguum alterum indicavit.

Hactenus hae phyſicae ſunt enarratae *gibborum* cauſſae : caeterum apud Aſtronomos , & apud Julium Firmicum, *in* 8. *Gibbi fiunt , ſi in ſeptima parte Arietis habuerint horoſcopum* . Quo claro coeleſtium contemplatore major Ptolemaeus , *in tertio de aſtrorum judiciis c.* 12. quod eſt de vitiis & morbis corporis , ſcripta reliquit haec ; *Si lumina ad maleficos centris haerentes adſcenderint , aut ex oppoſito*

ab

*ab ipsis impedita fuerint, maximeque Luna in nodis sive flexuris constituta, aut in signis obnoxiis, nimirum Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio, Capricorno, vitia corporis eveniunt; gibbi scilicet aut claudicationes, & luxationes. Siquidem cum ipsis luminaribus fuerint maleficae ab ineunte aetate & horae partus.* Et Haly Rhodoam ait; *ego praedixi gibbositatem, quae duravit duodecim mensibus in nativitate, in qua Luna erat conjuncta cum Marte & capite Draconis in duodecima domo, qui erant in quadrato aspectu Solis cum Jove, qui in tertia erant, & temporis quantitas tot mensium, quotus est numerus annorum resolutionis Jovis; quia Jupiter sub Solis radiis positus erat. Ego vero observavi frequenter Caudam maxime cum Luna & persaepe cum aliis Planetis, in angulis constitutam, obliquos quoquo modo efficere.* Haec isti de occursibus astrorum vim imprimentibus ad *gibbosin*, generatim. Jovianus vero Pontanus, *lib.* 10. *de rebus coelestibus*, *c. de claudicationibus*, singularum distortionum cervicis, colli, pectoris, genuum, crurium & junctarum corporis effectrices syderum mansiones discrevit; quas Astronomorum, eadem de re nostra, opiniones, plenioris doctrinae causa, non abs re fuerit, praesertim gnaris ejus facultatis hominibus, nos recitasse.

## CAP. IV.

### *Symptomata & Signa.*

HActenus jam de caussis rectitudinem corporis praeter naturam evertentibus. Succedunt ad haec suborta symptomata, quae cum triplicia nostris Medicis sint, singula percurremus. Primus igitur functionibus animalibus incommodant spinae subversiones; sive quidem sensus, sive liberi motus officinas evolvas: & utrisque quidem noxa est, ubi compressum experta est medulla, quippe quia per obliteratos jam ejus ductus, spiritibus ad nervos inde profectos transitus non est, uti prius: & si quidem, ex toto, vertebrarum dimotio facta sit, abolitus ex toto sensus aut motus est: si vero non ex integro perversae fuerint ipsae, sic pro subsulcus ratione sentitur ejusmodi detrimentum. Rursus eo pluribus partibus sensus motusque interceptus est, quo superiorum spondylium fuerit eluxatio; & contra eo paucioribus locis sentiendi, atque movendi, nascetur incommodum, quo inferior spinae fuerit abductio. Sed liceat huc nobis & quae Hieronymus Cardanus, Hippocratis vir studii, pleniore aliquanto pagina docuit, recitare. Proponit tria Galenus, primum, noxa, quae accidit spinae vel est per se, vel non per se, sed consequentia quadam; noxam per se vocat Abscessum, sed inflammationem, seu intemperiem: in hac si contingat fieri resolutionem, seu ex una parte, seu ex ambabus, necesse est omnia membra, quae sunt infra illam partem spinae, quae resoluta est, resolvi; seu ex una parte tantum, seu ex ambabus. Si vero noxa sit ex consequentia tantum, velut in *gibbositate*, in qua spina dorsi non patitur, aut parum, sed nervus; qui, facta luxatione obliqua, sed ad unam partem, opprimitur ab ea parte, in quam spina deflectitur; quoniam vertebrae magis constringuntur, ex opposita autem nervi nimis distenduntur: ideo in hoc casu cum spina dorsi, seu medulla non sit affecta prorsus, sed nervi tantum ex ea orientes, & ob id resolutio non fit, nisi in membris, quae recipiunt nervos e regione partis medullae laesae: sicut in exemplo priore, in quo, ob luxationem vertebrarum colli tantum manus resolvebantur, & non inferiora membra. Hoc etiam fit minus, inquit, si luxatio fiat sensim, aut si fiat intus, vel extra; & in lumborum vertebris minus, quam thoracis, & thoracis, quam colli; quia in cervice vertebrae inter se connexae

xae aequaliter conferunt foramini, unde nervus prodit: ſed in thorace magis confert foramen inferioris vertebrae, & longe minus in lumbis: qui ergo noxam patiuntur per ſe in medulla ſpinali, his omnes partes inferius reſolvuntur, & quanto noxa fuerit major, & adventus repentinus. Qui vero noxam patiuntur in nervo tantum, ut in gibboſitate, & obliquum, id eſt, in latus, hi patiuntur reſolutionem ſolum in parte, quae eſt e regione, ubi nervi laeſi ſunt; ſi vel laeſio magna ſit, vel repentina, vel in angina, in qua vertebrae luxantur ad latus. Si vero luxatio vertebrarum fiat ſenſim vel etiam repente, ſed intus, aut extra non in latus, his nulla contingit reſolutio; ob hoc ergo, qui fiunt *gibbi* per caſum, aut jactum, ſi fiant obſtipi, reſolvuntur: ſin autem incurvi, aut repandi, non reſolvuntur: quia tametſi repente fiat, non eſt obliqua luxatio. Qui vero ſenſim fiunt *gibbi*, & ſi obliqua ſit luxatio, non reſolvuntur; quia non repente facta eſt; qui vero ſenſim facti ſunt incurvi, aut repandi, nullam patiuntur reſolutionem; tum quia ſenſim vertebrae luxatae ſunt, & interim ſpinalis medulla, quae mollis eſt; potuit extendi, & ita nihil paſſa eſt; tum quia luxatio recta eſt, in qua nervi neque comprimuntur, neque juſto plus extenduntur. Ex quo concluditur, quod in luxatione recta, gravi & repentina, poterit contingere etiam reſolutio: quia licet in angina non fieret, contingit hoc, quoniam ex tribus conditionibus, quae faciunt ad reſolutionem; ſcilicet, quod ſit repentina, magna, obliqua, non aderat niſi prima: ſi vero adſit & ſecunda, ut in vehementibus ictibus aut caſibus, tunc reſolventur membra inferiora, aut ſaltem, quae ſunt e regione. Vertebrae autem luxantur quatuor modis, aut caſu, aut ictu, aut crudis tuberibus, aut materia ſenſim influente: quamvis haec non, ut in propoſito, Galenus omiſerit; cujus hoc eſt praeſtantiſſimum ſane inventum. Haec ille.

Sed deſcendentibus nobis ad ſedes ſpiritales: ſuccidit vel minuitur reſpiratio, non intercepta ſolum actione muſculorum dilatatrice, conſtrictrice; verum etiam, quod clauditur guttur ſic, auctore Gal. *lib.* 4. *aph.* 54. & *lib.* 4. *de locis affect. c.* 5. ut minus aeris recipiatur, atque emittatur: adeoque fit reſpiratio frequens & parva, ſpirituſque cum ſono veluti ſtertendo fertur, ut adnotavit idem Galenus, *lib.* 3. *de articul. com.* 13. Praecluditur vero in totum trachaea, ob vertebras cervicis in priorem partem abſtractas: pariter (ut jam ad functiones naturalium organorum deveniamus) neque deglutiendi cibi potuſque manet actio, ſub ante dicta colli contorſione. Itemque gracileſcunt particulae, quae luxatis vertebris aſſident: & ſi augendi ſit aetas, tamen non augeſcunt. Sic bonos in contrarium immutatos vides affectus. Saepe etiam excernenda, quae fuerant, ſupprimuntur: dejectiones, inquam, & mictus ſub lumborum vertebrarum intruſione, quae maxime fiunt a caſu. Lege de his Hippocratem, & interpretem Galenum, *lib.* 3. *de artic. comment.* 6.

Poſthaec autem ubi petas exponi ſigna, quae morborum internas aliquot cauſſas declarent; referam equidem, quae collegi: ſi cauſſa fuerit ſiccitas, haec naſci potuit a febre, praeſertim acuta, atque ab inanitione; quae utraque praeceſſerit. Indicio quoque fuerit, quod factae ad locum illitiones olei cito reſiccatae fuerint. At vero ſi laxatio vitium induxerit, partis forma ſignificabit, ac tactus: itemque quod affricata unguenta diu conſiſtant, & non exſiccentur: quas ſuaſiones confirmabit & liberior ſucculentiorque, qui fuerat uſitatus ante, victus. Ad hunc fere modum Avicenna. Si vero tuberculi ſuſpicio ſit; id crudi ſucci corpore ſuſi monſtrabunt. Quibus non ſe prodentibus (ait Hercules Saxonia, *lib.* 2. *pract. meth. curandorum morborum*) inditio rei fuerit augeſcens paulatim ſpirandi difficultas; itemque tuſſicula cum ſputo, ſed ſine febre ac reſonitu: ſub quibus

interim, ex toto integer ipſe ſibi videtur homo: ſic adnotante Galeno, *lib. 4. de loc. affect. ante citato*. Quoniam autem ambiguum eſt plerumque ſitne crudum, & imputre tuberculum ſic, ut in Steatoma (fortaſſe rectius Atheroma) deſiturum ſit, an vero calidioris ſit miſcelae, quod in ſuppurationem tranſmigraturum appareat: hunc utrumque tumoris ſtatum, aut apparatum ipſe diſcreveris ad hunc modum. Frigidum quidem par erit conjici temperatura corporis item frigida; aetate debili, vel inclinante, vitae inſtituto ac victu, qui frigidos craſſoſque ſuccos proferre & congerere poſſit. Contra vero tuberculi calidioris & ſuppurabilis ſuaſionem facient craſis hominis, item calida atque etiam humida, plenitudo ſanguinis, & quae ad haec accedunt alia. De febris autem indicio ſi quaeſieris; illud anceps, & contingentis plerumque ſortis affirmo. Sed de inflammatione te dubitantem multitudo ſanguinis certum faciet. Docuerit eam rem curatio, contraria quidem, quae proſit; ſimilis, quae obſit. Sed ejuſdem ad ſuppuratum, Abſceſſumque, tendentis notae ſunt, auctore Rhaze *libr. 1. diviſionum ad Manſorem c.* 105. quod praegreſſus dorſi dolor, cum febre aucta; pulſus arteriarum magni caloris immodicus, & aliorum omnium longus adhaeſus & perduratio. Deinde vero febre ſedata, per aliquod tempus permanet dolor ac dorſi gravitas. Sed hic enim incipit exſtare *gibbus*, quem ex ſtatu profectum indicabit dolor ſuperveniens ſine febre.

Haec fere Rhazes; qui & ab halituoſa materia cieri *gibboſin*, explicate prodidit. An idem autem Avicenna ſenſerit, incertum eſt propterea, quod lemmate quidem capitis notati de gibboſi pariter ac ventoſitate inſcripſit: poſt haec vero, aut de flatulento affectu nihil exſequutus eſt, aut dubia de hac re traditio facta eſt, qualem aut codex aut multiplex ejus verſio parit. Poſt haec, cauſſas intrinſecus *Gibberis*, effecta molitas, docebunt te ſpinae praeſegmina, quatenus a ſua ſede paulatim receſſiſſe videbuntur; deinde ex laeſis actionibus, quae ſunt videlicet aboliti ſenſus, aut motus; imminuta reſpiratio ac deglutitio; lotii faecumque ſuppreſſio. Sed nihil ad firmandum certius eſt indicium; quam corporis affectus evidens, qui ſe offerat, qua *gibboſus*, qua ſinuatus. Praeterea differentias, quae ad qualitatem ſpectant, majora etiam, aut minora receſſus momenta undique referrent; ſed ſitum ſuperiorum ſpondylium laeſorum, deglutitio, reſpiratio; inferiorum vero noxae, mictus aut dejectionum detrimenta, ſenſus item, motuſque, amiſſio, demonſtrabunt. Denique numerum vertebrarum complurium, in ambitum exſultans ipſarum compoſitio; unius vero, & paucarum, minor rotunditas, & in angulum Abſceſſus, indicabunt.

Reliqua ſigna diſcretiva per Jacobum Hollerium ex Hippocrate translata, ſunt ejuſmodi. Primae quidem cervicis perverſio mentum deprimit ad pectus, ſummam loquendi ac deglutiendi difficultatem excitat, ac extremum fatum accerſit. At vero in *Gibberibus* reliquarum colli ſcandularum, cervix contorquetur, reſpiranti pariter & loquenti, ſpiritu tenuius anguſtiuſque eliſo, exſibilatum, dormienti vero ſtertorem, facit. Sed in *gibbere* dorſi, ac thoracis, ſpiritus difficulter, & cum ſono, fertur; coſtarum in latum incrementa ſunt nulla; thorax anterior in quemdam veluti conum acuminatur, ſterno in acutum coacto. Sed in lordoſi extremus diſpnoeae modus, paralyſis, torpor; ſtupor coxis; praeter libitum voluntatis mictus, ac defaecatus: poſthaec in ſcolioſi, ſolutio nervorum frequentior ad partem luxatam; ad latus vero adverſum diſtenſio. Poſtremo, quibus ad lumbos ſpina repanda eſt, his accedunt renum, & veſicae vitia; Abſceſſus ad ilia atque inguina; coxendicis gracilitas; tarda & parca pubertas, ac barbae emiſſio; in-

foe-

foecundioresque sunt magis, quam quibus obtigit *gibber*, partibus diaphragmate superioribus tenus.

## CAP. V.

### *Judicia, & Prognostica.*

PAtent his affectibus corpora, quae sunt fluxa, mollia, gracilia, angusti pectoris; pueri parentibus orti cachecticis, & qui vitiatis fuerant sub generatione visceribus, affinis enim hic affectus arthritidi & podagrae, congenitos inter morbos censeri potest: quamquam neque perpetuum, ut a *gibbis gibbi* nascantur: sed hoc perpetuum, ut haereditarius hic affectus sanabilis non sit. Haec naturalis certorum hominum est propensio, ut obnoxii sint hisce malis, antequam ineantur: caeterum postquam inita sunt eadem, dijudicandus est eventus salubris, aut funestus; & si salubris, num solvi possit, aut secus. Lethalis quidem est *gibbosis*, auctore Ambrosio Paraeo, cum una tantum vertebra sola excidit, nimirum ictu luxata, medullam, quae spinae subest, ita secum abripit, ut in angulum pene acutum eandem veluti turbinet; adeoque arctius compressa rumpatur, aut comminuatur oportet: quod mortiferum non esse non potest: id quod sub angulo luxationis aucto non accidit quidem; Hippocrate docente, *sententia* 51. *sect.* 3. *l. de articulis*, quod orbiculata vertebrarum e suo statu abductio, angulari altera minus est periculosa; quam ob causam multo levior apparet ejusmodi plurium vertebrarum exsolutio.

Est & lethalis divaricatio vertebrae primae, aut secundae cervicis: sub quo casu, teste Galeno, *in comm.* 35. *lib.* 4. *aph.* extentis ad partes inflammatas, & ligamentis, & nervis, trahi vertebras vel introrsum vel ad latus, est necessarium: si in altera nervi propagine fieri tensionem evenerit, ad latus quidem; sin vero in ambabus, introrsum. Hanc a Galeno simpliciter propositam vertebrarum colli primarum luxationem, infantibus plurimum evenire, nostra tempestate nos & foeminae nutriculae non semel observavimus: de qua re Joannes Huccherus, *in l. de Therapeia puerorum*, & ante hunc Galen *l.* 4. *de loc. affect.* & omnium primus Hippoc. *l.* 3. *de morb. num.* 11. qui speciem hanc quartam Anginae fecit. Sed de provectioribus aetate *gibber*, lordosin potissime vertebrarum thoracis, expertis pueris edidit Hippocratis illud oraculum, quod *l.* 6. *aphorism.* 46. scriptum legitur; *Qui ex asthmate, ac tussi, gibbi fiunt, ante pubertatem, moriuntur;* cujus rei cum Galenus, tum alii enarratores ferme omnes rationem illam censuere, quae est digesta scilicet a nobis ad hunc modum.

Quicunque dum augentur, vertebrarum in regione thoracis luxationem, a tuberculo creatam, experiuntur, isti corde & pulmone compressis a thorace, non ad proportionem aucto, cum vehementi asthmate vel tussi, moriuntur.

Qui *gibbi* fiunt ex asthmate, vel tussi, ante pubertatem, illi dum augentur, vertebrarum thoracis luxationem a tuberculo creatam experiuntur; quorum scilicet materia prius asthma vel tussim fecerat.

Ergo, qui *gibbi* fiunt ex asthmate, vel tussi, ante pubertatem, cum vehementi asthmate, vel tussi, moriuntur.

*Disceptatio super Hippocratis aphorismo.*

HAec a primo Galeno fluxit, vulgata jam apud omnes, Hippocratici testimonii demonstratio; quam utriusque viri sententiam operae pretium sane fuerit hic expendi, ut, rectane sit utraque statui possit. Quod autem ad prius istorum caput spectat; plurima fuit interpretum dubitatio, de Veteris istius oraculi veritate, seu rectius perpetuitate, quando nonnulli puberes, hypothesi jam aphorismi constante, visi sunt vixisse; ut est apud Hugonem Senensem, Hieronymum Cardanum, Franciscum Vallesium, ac plerosque alios aphorismi explanatores. E quibus unus Antonius Musa Brasavola testatus est, pueros ex asthmate ac tussi diu superstites, qui *gibbi* secundum antica & postica fuerunt: nam pectoris cavitas ex vi materiae, ac fortasse motus, magis dilatata est, quam conveniret adeo, ut in anteriore ac posteriore parte elevationes faceret, ac veluti tumores; in longitudine vero abbreviaretur.

Quam rem qnidem, ut suaderet Brasavola nobis, non fuit difficile, postquam videndus se obtulit Decius, seu vulgari literarum metastasi Diecus, Gallus sartor secus Palatium, cui famosissimi *gibberes*, tum pectore, tum dorso, exstiterunt, ampliſſimum utrimque rhombum facientes. Sub qua loci vacuitate, tum pulmo, tum cor agitari quantumcunque libere nemo non cognosceret, homine non incommode respirante. Quidni vero, tam late diducto, atque amplo, pectoris excursu, contra praefocatus interminata *gibbis* impuberibus pericula; supra adolescentium, atque ad vigesimum secundum usque annum vixerit, ac vivat ejusmodi homo? Sed & D. Hieronymum Gasvaldum, Neapolitanum juvenem Illustrem, ac Fulvium Viridianum, Calabrum Medicum Neapolitanum celeberrimum, trigesimo in anno natum, ac Joannem cognomento Blancum, vetustioris Gymnasii Neapolitani janitorem, quinquagenario majorem, M. Ant. Chiayensem paulo minorem, atque alios tot quidem numero multos, ut horum omnium nobis adnotando plures, quam venando restent: utrimque *gibbi* longaevitatis sortem experti, quin etiam alii comperti longe plurimi, quibus cum alterutro *gibbere* seniles anni contigerunt.

Ex hoc quidem vere, sed & heroico dignus, ordine atque inter summos glorioſissimoſque Principes nominandus singulariter esto D. Carolus Emmanuel, secundus Subalpinorum Dux Sereniſſimus; cujus quidem aetate nostra Jasoni, aut Alexandro Macedoni paris, mentionem super hac re feciſſe, nobis ornamentum inde libro quaerentibus, licuerit, deprecamur; quando & hac etiam occasione, Principis inclyti nomine suos de re physiognomica libros cohonestaverit Scipio Clarimontius, Sapientium nostrae tempestatis Italicorum nulli secundus.

His ergo tum rationibus, tum experimentis, & Hippocratica absolutione, propositio, & Galenica adjecta ratio, nuper a me recitata minus firma, minusque rata, apparet, quam ut omnem hominum assensum promereatur, ac fidem a bonis aestimatoribus extorqueat. Unde factum est scilicet, ut varias interpretando rationes commenti fuerint multi. Primum enim Hollerio, enarratori alioquin Hippocratis apprime nobili, visum est; haud de quacunque promiscue *gibbosi* loquutum Hippocratem; verum de ea, quae cervicem exercet anguſtiae majoris necessitate: qua posita interpretatione, pro comperto credidit hic vir, in aphorismo pleraque solvenda problemata & ambiguitates. Verum enim vero, primum haud probabile videtur, Hippocratem singulari hac gibbosi suum enunciatum ac rem totam concluſisse. Deinde rectius hanc quartam Anginae speciem fecerit quispiam, quam *gibbum* vere. Sed & Anginae speciem illam posuit ipsemet Hippoc. *lib. 2. de morbis.*

*bis*. Ad haec ejuſmodi affectio non parum acuta eſt, minimum autem de hac ipſa commentus apparet Hippocrates, qui longiores atque annuos extuliſſe terminos videtur per id, quod eſt (*ante pubertatem moriuntur*). Hanc enim ad vigeſimum quintum uſque annum extendi Galeno viſum eſt, *in aphoriſm. libr.* 5. qui habet; τὰ ἐπιλεπτικὰ ὁ κόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται τετέοσι τὰ πολλὰ ζυναποδίσκοι; quibuſcunque morbi comitiales ante pubertatem fiunt, tranſmutationem habent. Et recte quidem Galenus, comprehenſam Hippocrate viginti quinque annis, pubertatem putavit; quandoquidem & *lib.* 3. de articulis eamdem ἥβης voculam, id eſt, pubis, ſeu pubertatis, cum alia γενὺς barbae ὁμονυμίζοι & quaſi confundit: dicit enim ἥβη δὲ καὶ γενὺς βραχύτερα καὶ ἀτελέτερα, id eſt, pubes vero & barba tardior, & imperfectior. Jam igitur ſi barba his aetatis provectae annis completur; & ἥβης ſeu pubertatis anni iidem & communes, qui barbae, erunt.

Additur & his indicium, & argumentum maximum; quippe ſi credimus Galeno, cui tota ratio praemature defungendorum vita gibberorum, fuit incrementum ſummum viſcerum ſpiritalium, quae a thoracis anguſtia concludi commode non poſſint: profecto ad hoc augmentum totidem requiruntur anni, quoti requiſiti ſunt ab Hippocrate non pauciores: fortaſſis autem & trigeſimus annus eſt, ad quotum acceſſus corporaturae noſtrae contendunt; dicente Philoſopho *in lib.* 20. *ſect. problem.* 7. quod ad hoc uſque tempus proficiunt, & craſſeſcunt corpora: & *in l. de generat. animal. c.* 20. prodidit, humanae ſtaturae dimidium anno decimo quinto; quinimo ſi & hanc opinionem ſequi placeat, judicio Haly Ab. 4. *theoricae c.* 2. & Haly Rhodoam, *in Microtechne tract.* 3. *comm.* 63. ad trigeſimum quintum uſque annum augeſcere poteſt homo.

Sic alii & cumulati ſunt apud Hippocratem anni pubertatis. Quanquam Ptolemaeus, *in* 4. *lib. Apoteleſm. c. ultimo*, ſpectatis Lunae & Mercurii ſuper homines, tranſcurrente vita, dominiis, illius quidem ad quadriennium, hujus in decennium, ſtatuit, pubertatem hominis anno quartodecimo eſſe. Quo loco, inter caeteros enarratores, Haly Rhodoam tradidit, conceptis verbis; in hac aetate animam, ſcilicet generativam, dare materiam, & incipere tempus, quo plantentur in ea principia operationum & propriarum virtutum; poſt haec enim adſiſtit homini Venus octo annis. Ad hanc potiſſime ſententiam acceſſerunt & Juriſconſulti, quam explicavit Imperator Juſtinianus, *lib.* 1. *inſtit. civil. tit. quibus modis tutela finitur*, §. 1. cujus pubertatis plenitudo, atque maturitas, ad comparandam adoptionis facultatem, anno decimo octavo conſtituta eſt, *eod. lib. tit. de adopt.* §. 4. Sed de hac omni re cumulatiſſime, ac perquam exquiſite tibi diſputat, inter omnes, Paulus Zacchia, Medicorum, & Juriſperitorum, Hermes Italicus, *in tomo primo quaeſt. medicolegal. titulo primo, quaeſt.* 6. *& aliis ejuſdem tituli locis*: quin etiam ex Medicis, Avicenn. *in lib.* 1. *ſen.* 1. *doct.* 4. *c.* 3. & Gentilis a Fulgineo, *in commentario*, ſtatuerunt, & hoc tempore pubertatem, quo primum ſperma producere & emittere poſſit homo.

Haec de tempore pubertatis Profeſſores iſti omnes: a quibus ipſis ſi recte placitum uniuſcujuſque diſpexeris, non diſcrepat Hippocrates ſi principium duntaxat ejus aetatis ſpectetur: verum, intellexit Divinus homo pubertatem ad ſuum terminum extenſam, quod aperte cognoſcitur, quia, memorato loco de articulis meminit barbae, quae citra vigeſimum non erumpit, ac vigeſimo quinto completur; itemque meminit foecunditatis, quae provectiore aetate perficitur: porro & ſi a decimo quarto & paulo ſuperius ſemen ejaculetur homo; tamen ſi filios non generet; infoecunditas non coargitur, neque evincitur, praeterquam ad plenos iſtos & maturos, qui floridi vocantur anni: ad quos etiamnum extenderunt & aliquot

Ju-

Juriſconſulti, ut apud eruditiſſimum Zacchiam, *ibidem locorum*, *nota numerali 67. & quaeſt. 5. n. 4.*

Sed de pubertatis finibus jam ſatis : ad recenſendas aliis aphoriſmi interpretationes redeamus . Praeter Hollerii recognitam jam a nobis opinionem , fuit & Thadaei Florentini, atque aliquot aliorum; qui ad dorſi lordoſin exquiſitam , & malum omne *gibberorum*, & rectas cunctas aphoriſmi reſolutiones , problematumque explanatione, retulerunt : contra quam tamen enarrationem eſt , tum multiplex noſtrum experimentum , tum Hugonis Senenſis, *in commentario ſuper hoc eodem aph.* Neque vero lordoſis vis eſt tanta , ad quam unam referre poſſis , aut noxarum expoſitarum, aut mortis juventam anticipantis neceſſitatem . Praeter hos omnes alii fuerunt , e quibus unum Hieronymum Mercurialem nomino , qui non perpetuam, & καθόλα , propoſitam ab Hippocrate ſententiam hanc cenſuit . Verum aut gratis, aut ſine ſolido fundamento dictum hoc a Mercuriali credes , donec aut firmior tibi demonſtratio producta fuerit , aut mox adverſatura noſtra enarratio nulla ſit; ego enim aliter circa propoſita philoſophandum , aliumque in aphoriſmo ſenſum inveniendum, autumo . Confido autem germanum occurriſſe intellectum, quem mox audies, ſi prius hypotheſes aliquae praeſtituantur.

Primum, inſuetum & alienum arbitror ab Hippocrate, atque abſolutiſſimis quibuſque auctoribus , cauſſis effectricibus primis immediatiſque relictis , poni ſecundas, & mediatas accidentarioſas; itemque corporalis effecti poni cauſſas ſpiritales, quando ſuppetant genere correſpondentes , id eſt , corporales ac ſolidae . Atqui cauſſa *gibberis* prima, immediata, corporalis , & ſolida , conſtituta jam ante fuerant, ab eodem auctore, ſpinae tuberculum : quam rem & Galenus , *in hujus aphoriſmi commentario*, praemonuit. Praeter quam hujus viri confirmationem , eſt & altera pleniſſima Thadaei Florentini , expoſitoris inter omnes juniores primi , & graviſſimi. Eſt, inquam, eſſentialis *gibbi* cauſſa ſpinae tuberculum; ſed ex hoc ipſo dirupto tuſſis, & aſthma , reſultoria ſunt ſymptomata; & ſecundum eruditorum hominum ſententiam ſecundae cauſſae , nequaquam autem apud vere doctos fuerint primae, propter incommoda nonnulla , quae Mercurialis opinionem confutans ſupra retuli.

Itaque quid alicui ſapienti viro veniat in mentem , aut probetur , tuſſim & aſthma, ventoſas utraſque res creditas ab Hippocrate , cauſſas *gibberis* effectrices? quid inſuper hae cauſſae adverſus oſſa luxationes potius , quam adverſus membranas, & molliores cedenteſque partes alias , diverſa ſymptomata & rupturas machinentur ? quam quidem abſurditatem , ut declinarent prudentiſſimi duo viri , Thadaeus inquam, & ab hoc fortaſſe mutuatus Hollerius; conſtituerunt (*ex*) particulam poni pro (*cum*); quam rem tamen a nullo Graecorum aut Latinorum , recte ac probate loquentium , auctorum factum hucuſque legimus . Quas ob res tandem , aut ſcripturae modus aliquis, & lectio accommodata eſt invenienda , aut nova interpretandi ratio, quae ſatisfaciat, eſt commiſcenda; id utrumque nos una methodo complectemur, quae eſt: Si pro ἐξ ſtatui poſſit ἔξω, quae interim particula decreto Hippocratis etiam ad amuſſim quadret , ac facilis immutatu ſe obtulerit : id quidem & non difficile feret quiſquam , & libere nobis etiam aſſentietur. Atqui ſic equidem haec ad unguem ſe habere , ut modo dictum eſt , oſtendimus .

Et quod ad vocis immutationem ſpectat , hercules admittitur , aut rectius admitti neceſſum eſt, vocalis in dictione poſterioris , altera vocali ſequentis alterius dictionis proxime ſe offerente, fieri eliſionem oportere ; quod etiam a noſtratibus Italis fieri conſuevit . Jam vides , poſt primam aphoriſmi particulam ,

quae

quae ἔξω me auctore fuerat ; mox ἄσθματος ſequutum nomen : quapropter pro ἔξω ἄσθματος facile ἔξ ἄσθματος afferri potuit , atque adeo ἔξ ἄσθματος, quod in praeſenti legitur , inſinuatum fuerit . Sic quidem apparèt facilis voculae cujuſpiam in alteram factus tranſitus , aut verius nullo facto tranſitu , vocalis unius facta expunctio. Cujus ſic compoſitae dictionis accipe nunc ſenſum & germanam veritatem.

Ἔξω quidem Graecis, Latine *extra* pro *praeter* ſaepe valet , ut ex Thucydide , ac Dioſcoride , notant lexica . Nos autem & vernacula id lingua conſuevimus ; quae vocabuli uſurpatio non infrequens fujt , & apud optimos auctores Latinos , quorum omnis dignitas & praeſtantia , ex una Graecorum imitatione fluxit : neque autem hac de re Ciceronis unus eſt locus , nam *ſecundo de legibus* ait ; *extra collegium Sacerdotum , ne quiſquam ſacra , quae publice eſſent conſtituta , noſſet* . Et clarius , *epiſtola 3. lib. 4. extra Ducem , paucoſque praeterea* . Et alibi etiam, *cujus eſt nemo in tanto populo , extra contaminatam illam Publii Claudii manum , qui &c.* quam eamdem loquendi elegantiam ab Horatio Turſellino e Societate Jeſu , ſcriptore diſertiſſimo , *libro de particulis* , notatam , obſervavit etiam apud eloquentiae Romanae parentem & Marius Nizolius , *in Theſauro Ciceroniano* ; productis duobus praeterea locis , quorum alter eſt *lib. de inventione ; hoc ſeparatum quiddam eſt extra illud :* alter multo illuſtrior , *libro de oratore ; nullus eſt numerus extra poeticos.*

Jam igitur eo conſtituto , quod Hippocratis aphoriſmus legendus eſt ſic , qui *extra* , vel *praeter* aſthma , & tuſſim , *gibbi* ſunt , hi ante pubertatem intereunt : hujus orationis ſenſus is mihi quidem videtur , atque omnibus videri debet , neceſſario quodam nexu comprehendas has tres ſimul omnes *gibberis* , aſthmatis , tuſſis , affectiones ; ut ante pubertatem , annum vigeſimum quintum neceſſitas moriendi ſit ; quippe poſtquam unum aliquid iſtorum non explevit morbum , quod expleturum alioquin abunde videbatur : reliquum nave opigeneſi facta peſſimum & exitiale malum oportebit ; ut jam nos , *in lib. de Abſceſſu critico , ex Coacis praenotionibus* Ludovico Dureto enarratore , monſtravimus . Difficultas autem ſpirandi ſimplex haud neceſſaria abſolute cauſſa videtur , ut vitae vim inferre queat , multo quoque minus tuſſis compuliſſe quemquam ad interitum viſa eſt ; quod indicavit ſummus Hippocr. *aphoriſmo* : qui habet , *ſtrangulatos aut ſuffocatos ad ſe poſſe redire , quibus circa os ſpuma non exſtiterit* . In his enim quam plurimam fuiſſe ſpirandi anguſtiam , quis eſt , qui non agnoſcat ? An neque ſola *gibboſis* tantam habet vim , ut fatum arcerſcat ? neceſſum eſt enim , ut pulmones , aut ſpiritus organa , laborent ſic , ut ex horum affluxibus malis tuſſicula parta plurimum moleſtet .

Quae omnia cum non ſunt , videmus quotidie multos , qui *gibberis* belle ferunt incommoda ; propterea , quod nullam , aut tuſſis , aut ſpirandi difficultatem experiuntur . Quinimo viſi ſunt inter noſtrates homines *gibbi* , qui in arte canendi conſummati vocem quam maxime deprimunt , aut intendunt ; quorum unus eſt Presbyter ſexagenarius , cui *gibber* amplum utrimque prominet : alter eſt , cui cyrtoſis eſt magna dorſi , Franciſcanus Ordinis III. Quae tanta vocis intentio , cui planum non ſit , ſpiritus vi conſtet ? Anne igitur exitioſum extreme quidquam iſtorum eſſe poſſit ? Sic jam apertum eſt *gibber* plerumque non eſſe ſpiritus anguſtiam ; neque ſi aliqua ſit ejuſmodi , diſpnoeam pernicioſam alioqui futuram . Verum enim vero *gibbere* pectoris anguſtiam faciente ; poſt anguſtiam vero difficultatem reſpirationis , ac multo maxime poſt diruptos Abſceſſus tuſſim ac aſthma conſequens : ſic pleniſſima & neceſſaria cauſſa eſt , ut mors homini lente ſubrepat ,

va-

vaneſcente ſcilicet calido cordis: qui diu perſiſtere in ea preſſura, veluti piſcis in arido ſolo, non poteſt ; quando nimirum alimentum primum aeris viventi deſit. Haec univerſalis noſtra lex eſto: deinde requiritur ſpecialis, ut hi homines imbecilli, graciles, ac prope ſqualidi ſint; quo calore ac ſiccitate conſtante fit, ut major ſit uſus reſpirandi, qui maximus in anguſtia pectoris maxima : vides quantam ex difficultate ſpirandi prae ſe ferat noxam . Sed vegetiores moderateque carnoſi etſi *gibber* experti , nil detrimenti , ac neque ſpiritus difficultatem perpetiuntur. Sic Hipp. *l.* 3. *de art.* ait ; *Multi quidem gibbi facile, at non ſcimus , quam bene valentes, jam uſque ad ſenectutem id mali ſuſtinuerunt , praeſertim quibus corpus carnis ac pingue effectum eſt: pauci autem ex iis ad ſexageſimum annum pervenerunt ; plerique enim citius moriuntur.*

Requiritur & tertio cauſſae vis praepotentis ac vehementis, haec autem eſt defluxio crudi , graviſque ſucci , multa copia de capite confertim ad inferiora ruentis; cujus pars ad ſpinam delata & circa vincula vertebrarum coacta *gibbum* , ea qua dixi ratione , contrahat : pars ad pulmonis & anhelitus vias brevius derivata & ſpiritus anxietudinem , & tuſſiculam , excitet , ſive quidem hic relicto phymate ſubmolli ſubcrudoque , quod ſudorulentum ſuum veluti madorem in aſperam arteriam inſinuet : ſive ſpiritalibus tantum irrigatis viis , & nullo phymate relicto . Ex quibus omnibus noxis, quae primum ſe prodit, eſt pulmonis! quae cauſſa fuit ſcilicet, ut ex ſpirabili viſcere languorem prae ſe ferente ſuſcitatos ſpinae conflexus opinati fuerint nonnulli . Conflectitur autem & ſinuatur ad eos , quos dixi modos, plenis ſimul ſemelque, ſed diu comparatis incrementis : ad menſium porro, atque aliquando ad annorum curricula , maturitatem *gibbi* retulit Cardanus , *in aphoriſmi commentario.*

Accedit ad has *gibbi* cauſſas & alia , quae veluti principium eſt omnium ; improba videlicet capitis conformatio, expers naturalis utriuſque projecturae , maxime vero poſterioris, cum Therſitica prope forma, tum capitis, tum faciei : praecipue vero naribus, hiulcis , atque anhelis , & oris ampliore rictu , cum rariore aliquando, ac latiore, dente; collo vero nullo, vel intra thoracem reducto. Haec capitis univerſi conformatio plurimum incommoda eſt , vel quod ad ipſam pertinet, quae curſum exhibet, ac non coercet humoribus ſuperfluis; vel quatenus includens primam intemperiem, & imbecillitatem , facultatis formatricis , cauſſa eſt mali potiſſima , qua neceſſariae ac verendae fluxiones pectoris oeconomiam infeſtent .

Saepe etiam cum formatricis vitio, quod intra matricis clauſtra conſtitit , conjungitur extra uterum imbecillitas nervorum, quae maxime cedit, & opportunam ſe exhibet inflexui. Sic & mala partium conformatio & *gibbi* perverſio apparet , quo multas quidem adferre narrationes poſſem; ſed ſuperat omnes ea, quam mox audies: nimirum, Antonio Santoro, Neapolitano puero quidem puſioni, ſed quatuordecim jam annos emenſo, viſos a me *gibberes* omnes mire complexos; ad cervices, inquam, & lumbos & coccygis repanditatem , ad dorſum & pectus cyrtoſes, a ſupremo dorſo ad lumbos uſque ſcolioſin ; praeter quas omnes *gibboſes* eſtne alia, quae ſuperſit ? Sed & manus pedeſque non modice difformes , atque diſtortae ſpectabantur adoleſcenti male feriato , qui perpetuo quidem ſcipione ſe firmans, cum a me rogatus, ut nullo fulcro nixus incederet; id ſummo cum labore & praecipite quaſi gradu fecit . Quod autem ſumme dignum notatu viſum eſt, nulla puero reſpirandi difficultas aut tum fuit , aut ante hac : de qua quidem re certos nos idem fecit propterea, quod pulmo huic purior viſus eſt . Non de his

au-

autem, ſed de aliis ſecundum pulmonem affectis, dixit certe Cardanus, quod *gibboſi* crebriter ſpirent.

Ad haec in *gibboſis* potiſſimum illud requirimus, ut circa vias ſpiritus incubuerit, amploque non tenui ſchemate ſit ille panus, *gibber* excitarit: enim vero non ſpectans ad ductus ſpiritales exile phyma, haud ſane valentem ad interrumpendum vitae curſum vim habere poterit. Itaque ſuperiores ſpinae partes tentet, atque ad interiora potius, quam ad exteriora vergat *gibbus*, tacitam homini tabem illaturus. Illud tamen cum lordoſi pernicioſa neceſſarium advertit, plurimae vir fidei, Nicolaus Florentinus, *in ſerm. 7. ſum. 2. tract. 3. c. 40.* ut nulla ſit contra pectoris projectura, ſeu cyrtoſis. Sic enim praeter magnam ſpiritus anguſtiam, parva pectoris eſt intercapedo, ac modica commoditas, per quam pulmo quoad ſit ſatis, extendi ſe permovendo poſſit. Sed tamen contra Nicolai hanc hypotheſin eſt Cardanus; qui ſimul cum coſtis contorqueri dorſi ſpinam, atque hanc viciſſim cum coſtis notavit propterea, quod coſtae vertebris aeque ac ſterno mediae colligatae ſunt cum utriſque; quo fit, ut quam emotionem incurrerit poſticus thorax; eamdem & anticus ſubeat oportet: & contra, quae quidem Cardani ratio, ut plerumque vera ſit, at non perpetua; namque conſtare poteſt alterutrius partis integritas, ſubverſa altera: quam nos rem Neapoli non ſemel vidimus, & admoniti per nos amici multi.

Habes jam noſtram, de lento *gibberum* exitio, novam opinionem.

Poſt haec omnia, quod ad materiam formamque *gibberis*, & ad cauſſas praematuri interitus effectrices pertinet: caeterum ſupereſt expendenda ratio moduſque quo corruptio lente ſe inſinuat in vitae fontem. Hieronymus certe Cardanum animadvertit in Galenum, qui ſub *gibboſis* affectu tabem parante vacuitatem thoracis ſemper fecerit minorem, quam pectoris interaneis incrementa, dorſique amplitudo, judicio Cardani ſaepe etiam ſub flexa, quam ſub recta vertebrarum compagine major eſt. Jam vero, quod offenſarum accuſavit, illud eſt everſa figura; qua fit, ut una quidem parte pectus comprimatur, altera vero laxius ſit: ſub haec autem multam agitandi ſui commoditatem exuatur pulmo, conſequitur; nimirum & ſi lateribus excurſus patet: tamen immutato dimenſu longitudinis, allidens ad anguſta, non parum laboraverit ſpirabile viſcus, uti vides. Haec quidem ille *gibberis* detrimenta fecit: alium nos opinamur ab importunitate *gibberum* aereis organis labefactatum. De qua re omni, haec mihi ſuccurrunt in praeſenti.

Scire licet thoracem a ſapientiſſima natura ſic conditum, ſecundum longum ac latum, ut longitudo ſuperet, non ſuperetur; nempe longior eſt excurſus a capite trachaeae ad infimos angulos ſepti tranſverſi, quam a dextro latere ad ſiniſtrum: itaque ad ovalem figuram thoracis univerſi ventrem refert Hieronymus Fabricius, *in lib. de reſpir. part. 2. cap. 6.* Et jure quidem optimo, fuit ea forma donatus thorax; quippe naturalis quidam follis eſt, attrahendo, remittendoque, aeri comparatus. Atqui follis oblongus eſt, igitur & thorax oblongus rite fuerit; quin imo ne follis formam ſolum, ſed ejus etiam conſtruendi rationem & cauſſas conſequutum eſt diaphragma: nam quod aerem colligit & exſpirat unum ejuſmodi vas; qua facit haec, anguſtiorem ductum; caeterum qua congerit aerem capaciorem locum obtinere debuit: ex quibus omnibus apparet, quod major thoraci ſit loci commoditas in tractu longo, quam in lato, eoque etiam amplius; quia ſecundum latum plura & ſolidiora ſunt corpora; cor, inquam, mediaſtinum, aſpera arteria & hujus diffuſi rami; quae partes totam latitudinem complent; non ſi autem completur longitudinis dimenſus, qui parte multa vacuus eſt; quo conſilio naturae quaeres, & quo partium uſu? ſed reſpondeo propterea, quia ſeptum

transversum se extendendo, liberiorem ad superiora locum exigit, atque etiam ad inferiora pulmo.

Aliud nunc velim revoces in memoriam, anatome comprobatum, diaphragma quidem posteriore depressius esse; parte vero anteriore sublime sic, ut sterni fines attingat: pone nunc dorsi *gibbum* & pectoris; pone cervicis sic, ut caput inclinet ac praegravet; quod recte notavit Cardanus, breviabitur protinus intercapedo longa, & pertrahetur ad superiora septum transversum sic, ut adhaereat pulmoni. Cum igitur in exspirando se contrahet diaphragma, locum non inveniet, ac fibras pulmonum adurgebit. Sed neque pulmo tantum ad inferiora spatii nanciscetur, quanto sibi opus est, atque ab opifice praescriptum fuit.

Hae secundum loci angustiam *gibbi* sunt noxae: audi nunc alias ex distortione nascentes, atque ad alia pectoris organa spectantes incommoditates. Hae sunt partim aspera arteria, partim pericardium, & quod intro fovetur, augustissimum cor: de hoc ergo prius dicemus. Nosti membranae cor asservanti conglutinatum & appensum inferne diaphragma; eo scilicet naturae consilio, notante Hieronymo Fabricio, ut dilatetur is sacculus, majoraque sint cordis perpetuo micantis, praesertim cuspide tenus, spatia: id autem evenit facile, siquidem hic suspendiculi tractus in diaphragmate latissimus est; ne si foret angustior in longum tantummodo distenderetur eadem tunica: quod cordis prolationi non parum officeret. Flecte nunc mentem ad pervulsas dorsi vertebras, emotaque ossa, sive antica, sive postica; sub utroque enim *gibbere* necessum erit, ut distracto primum diaphragmate, mox distrahatur, & suspensaculum antrorsum sive retrorsum, quo aliorsum, quam recta contorto, suam extendendi amplitudinem cor amittat, & ad latus amiculi suis in motibus allidat, oportet.

Praeter haec oeconomiae pectoris, & alia pertubatio est, oriens ex trachaeae conformatione vitiata; hac enim per *gibbum* cervicis, aut supremarum vertebrarum contorta, pulmo, qui subest ab ea, perperam & laxe suspensus, fallat etiam in suo munere necesse est; quantum enim in recta suspensione per naturam electa perennis undequaque motus rite recteque adimplentur; tantundem etiam in contortis pulmonum arteriis corruptus idem & perversus erit adeo, ut lentior ac laxior esse debeat: porroque si rem acriter aestimaveris fluctuare propemodum in vacuo thoracis, sine suspensore pulmo, videbitur; quemadmodum rete jactum in mare sine rectrice manu.

Sed ipsa fistula spiritalis an tacenda sit? quae ob cervicis *gibbosin* recurvata nullam non spiritus offensam inducere apparebit, si naturalem suam prius spectaveris conformationem, quae Galeno auctore, 5. *de administr. anatomica*, est; Trachaeam, quia ad inspirationem, respirationemque, nunc contrahi, nunc dilatari, ac nunc longiorem nunc breviorem, vicissitudine perpetua, reddi oportuerat, musculis mesobronchiis, id est, ad cartilaginum intercapedines decussatis, itemque membranis ad soliditatem eorumdem bronchiorum natura parens exornavit: ut toto dum inspiramus thorace dilatato, deinde consequutione ad id, quod movetur, pulmonem ad omnes partes dilatante, id quod in arteriis est membranosum in latitudinem; quod vero cartilagines replet, in longitudinem, extenderetur. Videris igitur num contortis bronchiis, id est, altera quidem parte cohaerentibus, altera laxatis, possit suus hic feliciter perfici motus? Porro dubium alicui non est, quod qua coarctata & compressa bronchia sunt, nullam extensionem patientur: quae vero perpetuam laxitatem conservant, locum dilatationi non dabunt.

Hi quidem sunt omnes modi, per quos aereae pectoris officinae, non mediocriter officere *gibbi* corporis superioris possint. Verum enim vero neque singuli tan-

tae

tae poteſtatis eſſent; commodiuſque cum homine *gibbero* ageretur, niſi & ex altera turpis eluvies ſpirantes particulas, & horum conceptacula perenniter infeſtaret; haec enim una & praecipua cauſſa eſt, quae ſummam fati neceſſitatem acceleret, & denique abſolvat: atque illud eſt etiam, unde Hippocrates nobis tam abſolute pronunciavit; qui ex aſthmate ac tuſſi, id eſt, ex cauſſis aſthmatis, & tuſſis *gibbi* fiunt, &c.

Jam igitur conſidera mihi, ſub *gibboſo* quomodolibet pectore & fluxionibus capite ſuperfuſis gravato, ſepto non libere ſe agente, atque hoc & pulmone locum invicem invidente; praeterea ſpumoſo viſcere per diſtortum ſuſpenſorem vage laxato; affabrefactae trachaeae corruptis uſibus, corde ſua connivente capſula male compreſſo: ſpiritalibus denique ac pulſificis organis perperam in ſuo munere ſe concitantibus, num ſpiritus & pulſus & vitae munia feliciter ſint proceſſura? quin vero neque ſufficientis aeris commeatus, neque aeſtus in corde refrigeratio, neque fuliginum expulſio, perfici poterunt. Parce igitur, & coinquinate oblato, in dies, alimento, conſiſtat vitalis vigor, & caloris vividi vis non emarceſcat? Igitur hae cauſſae ſunt & haec ratio, ut animal (quae Galeni vox fuit) corrumpatur, lentis tamen & in dies factis ad interitum acceſſionibus; non ſubitam & repentinam, quod multis viſum eſt, ſtrangulationem animante perpeſſo, niſi fortaſſe ex alia vehementiſſima cauſſa, quam tute per te intelligere potes. Quibus jam de Galeni Magiſtrique Hippocratis, exactis enarrationibus, ad caetera quae ſuperſunt tranſitus eſto.

### *Collatio extrinſecus illatae & ductu Morbi natae Gibboſis.*

QUae cum jam apparuerit interius partae *Gibboſis* cacoethia; quaeſtio ſubinde ſe offert, utra funeſtior haec ſit, an externo principio producta? Difficilis quidem enodatu controverſia, quam nemo, quem legerim, ex profeſſo attigit aut reſolvit, quod nos aliquando, cum facimus contractam in breviſſima diſputationem, diſponimus ad hunc modum. Speculanti quidem protinus apparent graviora *gibberis* obſcure producti momenta: nam quis eſt, qui plus uni, quam compluribus & gravioribus omnibus demolitricibus cauſſis non deferat? quandoquidem nec Hercules contra duos, atque iſtae praeterea cauſſae functiones vitales & recte, & proxime, laceſſunt. Ad hanc opinionem accefferunt certi ſuper hoc judicio non falſi, Franciſcus Valleſius, *in comment. citati ſaepe de gibberis aphoriſmi*, atque Ambroſius Paraeus, *lib.* 11. *chirurg. oper. cap.* 17. Verumtamen expenſam exacte rem non fugit difficultas, atque aliter, quam iſti diſceſſu nullo cenſuerunt, ſuadent nonnulla, quae mox ſubjicio; propoſiturus primum, quod ictus ſpinae dorſi non minora ducunt pericula, quam percuſſum caput; quocirca Hippoc. *lib. Coacar. praenot.* 3. quaſi uno eodemque loco habuerit vulnera capitis, & ſpinae dorſi, ſimul utraque complexus enunciavit; *moriuntur ex vulneribus, ſi quis fauciatus fuerit cerebrum, aut ſpinae medullam.* Cui viro proximus, Cornelius, dixit *l.* 5. *cap.* 26. *ſervari non poteſt, cui baſis cerebri, cui ſpinae medulla, percuſſa eſt.* Porro Rachitis praecipuae dignitatis eſt pars, unde nervorum excurſus & propagatio eſt, cerebro & ſubſtantia & accidentariis pleriſque formis proxima: quapropter & facultatis igemonicae, impulſivaeque, noxa ſub ſpina vehementer percuſſa, perpetuo reſultat: enim vero per hanc princeps in conſenſum trahitur cerebrum; eſt autem ſpinae luxatio per vim illata plurimum ad interiora, quae ſine medullae violatu non eſt: quo fit, ut plane incurabilis, & neutiquam attrectanda ſit judicio tum Hippocratis, tum Celſi, Paulique; tum poſterio-

riorum omnium : has ob cauſſas pernicioſiſſima ſi quae alia videtur externa ſpinae medullae intruſio, quam nervis graviter apprehenſis , tum inflammatio , tum convulſio, tum implacabilis doloris acerbitas, conſequuntur.

Sed quid jam tandem de utriuſque mali profundiore noxa judicandum eſt ? ego problematis reſolutionem hanc ſtatuo, principio tametſi proponantur in univerſum pares utriuſque modi , id eſt, ut abſoluta ſit, tum haec, tum illa ; tamen diſparium generum nullam aequabilem vere comparationem eſſe confeſſum eſt. Quod ſi quacunque paragoge contentus ſis, tum eam diſtinctionem pono , laedunt utraque functiones vitales, ſed altera quidem inopia ſpiritus & inquinamento, ſicut oſtenſum eſt: altera ſpiritus praeſentis, & minime deſientis, diſſipatu, doloris & vigiliarum, & phlegmones , vi facto. Caeterum in altera viſitur inſignis acuties ; in altera lentus marcor & exſolutio; in altera calamitas eſt longinqua, & annis neceſſaria ; in altera dierum termino incerta , ſecundum Hippocratis ſententiam, quae habet ; *Acutorum morborum non ſunt certae praenuntiationes ſalutis , aut mortis .* Ego autem cum utraque pernicioſa ſit, ſed diverſa ratione perdens , aequiparaverim duplici expugnationi urbium efficaci: quarum altera per ſtrictos gladios & incendia cunctos, & populos, & urbem , truculente vaſtet : altera longa obſidione, ac fame, reſiſtentes oppidanos e medio tollat. Cui noſtrae reſolutioni , apud Typographos lectae, mirum in modum plauſit Franciſcus Romanus , collega noſter , qui libellum elegantiſſimum, *de Militari Medicinae conditione*, jampridem inſtituit.

Jam autem poſt traditam *Gibboſis* ab humida plenitudine curationem , ſuccedit alterae ſiccae medicatio; quae judicio Rhazae, & Avicennae, non alia quam convulſionis a ſiccitate profectae remedia poſcit ; ſi tantum ulla curatio eſt ejuſdem ab inanitate productae, Hippocrate & Galeno auctoribus , *in aphoriſm.* cujus difficultatis miror equidem, quod non meminerit Rhazes , niſi quod immodica ſiccitas non eſt ; unde oriatur profecto, licet porro ſummum liniendi , ac madefaciendi , modum requiſivit, huic *gibboſi* recte medendae . Remediorum autem genera , quae praeſcripſit, ſunt ejuſmodi; prima ſanguinis detractio ex hepatica ; ſecundus clyſmus ex oleo, in quo ferbuerunt radices althaeae & farina ſeminis lini ; tertia portio atramenti caſſiae , diſſolutae ol. amygdal. dulc. Ita quidem *in l. 3. diviſ. c.* 105. ſed *in 9. ad Manſorem cap.* 91. ſi hoc vitio correptus fuerit puer , tepentis aquae balnea; conjuncta febre , ex herbis infrigerantibus : decoctum , cum caſſia fiſtulari potui propinandum , atque emplaſtra ad dolentem uſque locum , vi ſua refrigerandi perreptantia , parti affectae ſuperaccommodanda ſunt , inquit . Haec ad ineuntem *Gibbum* eſt Rhazae curatio, noſtraque, quam audiſti tuitio . Caeterum *gibboſi* jam perfecta, ſi qua curandi ratio eſt, hanc per chirurgica adjumenta conficiendam docuit optime , ſuper omnes , Ambroſius Paraeus , *in operis chirurgici lib. 22. c.* 8. quam apud eum auctorem legito.

### *Alia quaedam Hippocratis de Gibbis judicia enàrrata.*

HI mali ſunt & extremi *gibberum* eventus : alios vero e ſalubri , neutrove genere, nos docuit Hippocrates, *in citato ſaepius comm. 3. part.* 3. 4. 5. quorum omnium ſententia haec eſt ; quod plerumque ſolvi nequeunt , potiſſimum ubi ſpina ſupra ſepti tranſverſi conjunctionem *gibba* fiat ; infra vero quidam ſolvuntur , cum varices in cruribus fiunt ; illae autem magis *gibber* ſpinae ſolvunt , quae in vena poplitis oriuntur; fiunt etiam in venis inguinum. Solutum quoque jam ſaepe vitium eſt a torminibus diuturnis. Haec Hippocrates , quorum illa mea quidem opinione methodus interpretando poteſt eſſe.

Fit

Fit ſpontanea *gibboſis* ab humorum defluxu; qui ſi diu conſiſtit in vertebris ſic, ut inde non recedat, facit ſua permanſione, atque adhaeſu firmo, ut *gibber* abſolvatur & conſummetur; quod ſi natura procurante de vertebris, ad quas appulſus fuerat humor, alio abſcedit, vertebras liberet a tuberculo, quod *gibboſin* pariturum erat, oportet. Jam vero duplex hic humoris abſceſſus eſt, tum per decubitum, tum per afluxum; & per decubitum quidem alter modus eſt extra venas: ſic in inguine per ſympathiam conflatum, ex materia tuberculum & abſceſſum facit, ut ſolvatur *gibbus*, qui lumborum vertebris erat firmando. Alterum genus eſt intra venas per metaſtaſin. Sic excipientibus humorem vaſculis ample diſtentis (*varices* dicunt), nec non haemorrhoidis, abſolvuntur etiam a *gibbere* lumbi.

Caeterum, praeſtabiliore longe ſorte per inteſtina tranſmiſſis ſuccis, & ſuppurata atque extenuata per hanc viam materia alioqui craſſa; ſimiliter & nullum lumborum eſt *gibber*: quam aſſertionem firmam puta, ſi de nupera & inchoata, non de veteri & conſummata, nec morbum conſequuta; quae Hippocrati alioquin inſanabilis eſt *gibboſis*, explicetur. Porro fit haec humorum tranſmiſſio per primos & inferiores venae magnae ductus, a quibus deinceps in ſubjectos alios minores ramos deſcendit, donec aut effluat, aut loco cuiquam incumbat: aut vero tranſitus hic humorum & venarum, quae vitiatos ſuccos recipere poſſunt, commoditas thoraci non eſt; illud etiam advertente Galeno, *in hac commentarii particula*, quandoquidem de venis irrigantibus utraſque partes ait.

Utrimque octo coſtis vena alimentum ſubminiſtrat: ſed ſuperioribus, duae aliae tenues, ſcilicet ab utroque latere una; quae omnes per thoracem diſtribuuntur, diſſipantur. Idcirco, ſi ſuccus aliquis ad ipſas ex tuberculis transferatur, excerni non poteſt, praeterquam, quod aegre etiam admittitur. Succi enim, qui cruda & dura tubercula faciunt, glutinoſi ſunt & craſſi; quare non facile per tenues venas feruntur; ſed vena, quae ad lumbos eſt, latiſſima eſt & ſanguinem ad venas omnes tranſmittit. Ergo, cum haec craſſos & glutinoſos ſuccos receperit, ſi affectae partes viribus adeo valeant, ut quod ſuperat, expellant, & ad venas hic ſitas tranſmittit; quo fit, ut lateſcant, & in varices aſſurgant, ubi quidem ſucci craſſiores fuerint; id accidit in inguine protinus, ſin mediocriter craſſi, in poplite. Etenim, quibus citra cauſſam hanc varices in cruribus oriuntur, videre licet venas proportione ſuccorum craſſitudinis lateſcentes, ubi craſſiſſimi ſint, latiſſimas; ejuſmodi venae ſunt in inguine, ubi minus craſſi, minus latas, quales in poplite. Interdum enim, quum majores venas obſtruunt, hunc affectum excitant, interdum ad inferiores concurrunt, quae anguſtiores ſunt; in univerſum autem in varicibus craſſus ſanguis continetur, nam id vitium plerumque a ſucco melancholico, interdum etiam ab aliis crudis, craſſiſque; concitatur.

Sed pergimus ad alia ſubinde Divini praeceptoris enunciata; Quibus vero adhuc pueris ſpina *gibba* ſit, antequam corpus perfecte increſcat; his corpus ad ſpinam non augetur, ſed crura & brachia, duntaxat, perficiuntur; quae ſunt ad ſpinam non complentur: quas res omnes Galenus ad perverſos nutricularum venarum tubulos, & ad membri δυσκίνησιαν, id eſt, movendi difficultatem, & ad conſequentem inde naturae languorem, retulit. Sic autem ait; *& quae jam perfecte increverunt, emarceſcunt, nedum quae adhuc increſcunt ſuo juxta ſpinam augmento prohibentur; caeterum autem partes, quae vitiatis ulteriores ſunt; ut brachia, cruraque, detrimento non participantia, creſcunt feliciter & vigeſcunt*. Haec & ejuſmodi tibi ſunto loca praeſagiorum de *Gibbis*, ex Hippocrate.

Sunt & alia praeſagiendi capita & rationes, ex modo tuberculorum; haec enim ſi du-

ſi dura & cruda, quamvis Antonio Muſae Braſavolae difficultatem pariant reſpirandi majorem; Jacobo tamen Hollerio minus inferunt periculi, pluſque vitae promittunt habentibus; at, quae ſuppurant alia, deteriora, ſi viro Stempano credimus. Sed de hac re paulo poſterius agetur: quod periculi tamen haud fuerit, a tuberculo ad vertebras lumborum exſtante: praeterquam enim tanta partis dignitas non eſt: ad haec, id loci nactum tuberculum adinvenire ſibi poterit expurgandi tranſmittendique vias, quas jam oſtendimus. Quae de vertebrae primae luxatu, ſecundum Hippocratem, ſententia fuit Hollerii, neceſſariam hanc ſuam interpretationem profeſſi, ut probabiliſſima ſit auctoris propoſitio: non ita vero viſum eſt Hugoni Senenſi, atque aliis qui *gibber* omne ſuperius potiſſimum ad interiora cum tuberculo & illo quidem magno, neceſſariam cauſſam fecerunt; ut *gibboſum*, ex aſthmate vel tuſſi redditum, impuberem praematura mors tollat.

Quae de ſuperioribus *gibberis* lata cum fuerint judicia; poſt haec aliqua de inferioribus attexemus: videtur autem etiam Hippocratis traditione probabile, quod lumborum repanditas incommodi multum allatura ſit inferioribus partibus & iſchio; quo ſubit referre id, quod Matthaeo Coppulae Neapolit. Nobili viro, contigit, hoc & proxime ſuperiori anno volventis ſaeculi trigeſimo. Advenerat pleniſſimae corporaturae, atque delicatioris vitae, juveni dolor ad alterutrum iſchium; qui brevi liberum motum ademerat: poſtque ſanguinis detractionem ex iſchiadis vena ſub talum; convulſionis non leves motus eidem lateri fuerunt, relati quidem ab aliquibus vellicato per phlebotomum nervo; ſed, me quidem judice, ſunt hi cum innexo ſimul dolore, depravato lateris motu & manifeſta macie, revocandi potius ad altiorem cauſſam, nimirum quam attigi nuper: etenim, a mali primordio facta eſt repanditas in lumbis inferioribus, a me primo comperta, quam injuria nullam, ſed naturalem affectionem, cum aegroto dixerant alii Medici; verumtamen haec tanti fuit, ut ſpontaneam etiam luxationem oſſis femoris induxerit; quam etiam a me primum adverſam, admolitis omnibus ad reductionem, tum per atrem bolum, tum per chirurgicam manum: equidem dubito, an curaturi ſint medentes, antequam a repando lumborum vitio vindicetur homo: quae quidem retuliſſe volui libentius, ut prudentes, oculatique, ſint poſthac homines noſtri, ſi me tantum audierint, in pervidendis harum affectionum cauſſis.

Altera quoque nobilis obſervatio per me facta eſt, in Camilla cognomento Scargiata, virgine puella Parthenophylacii Spiritus Sancti, cui ex ingenti lumbarium ſpondylium intruſione, primum interceptus cruribus vigor, ac plurima parte ſenſus ac motus, eſt; pro quibus affectibus curandis vinaceorum remedium, & medicamenta omnia, ſine fructu ſentiit; quae res quidem non evenit ex introceſſu, & repanditate, oſſis ſacri: ex quo vitio nullum, vel ſarcoſis, vel imbecillitatis detrimentum fuit Petro Faſciano, Siculo Panormitae, juveni operario typographo, in officina, quae mea haec commentaria praelo ſubmiſit.

Hactenus de convexa & cava *gibboſi* multa; de tertia, quae, ad latera & in ſpiras eſt, flexura nunc pauca: hanc plurimum incurrunt hi, qui de ſublimi loco ceciderunt in pedes: cujuſmodi homines equidem novi duos; qui utique perpetuam urinae laxitatem, ac mutilationem, inferiorum artuum ſunt experti: horum alter Scipio Pulſonus, Neapolitanus, qui de celſa ſpecula, extremum neſcio quod periculum fugiens, ſe dederat praecipitem; mox dimidio corpore reſolutus, ac toto languens, in noſocomium noſtrum eſt delatus; qui poſt aliquod ſuſceptis inter lumbos & coccygen cruſtis, Aegyptiorum more per nos excitatis, triduo liberatus eſt ſic, ut eo temporis lapſu ex Valetudinarii noſtri lectis volens ipſe deceſſerit, qui ſuper aſſere per duos bajulos delatus fuerat exanimis propemodum; rem miraculi loco ha-

habitam in Veletudinario, quam viderunt admodum Rev. Pater Flaminius Reſolinus, pientiſſimus unus vir ex his, qui ſacro voto adſiſtunt infirmis; Adamus Marchius, Noſodochii Medicus callentiſſimus; Dominicus Moſca, & Franciſcus Romanus; Doctores utrique peritiſſimi. Incurrit & ſcolioſin licet ante deſcripta leviorem, cum pari tamen mictus laxitate, Juvenis Lucanus; quem ad nos curandum detulit Bernardinus Chriſtianus, elegans ἐκγραφὶς admodum Rev. Patris Magiſtri Dominici Gravinae, rerum Theologicarum Scriptoris optimi, pariter & foecundiſſimi: de quo conſultore Theologo jure ſe jactare poteſt aequiſſimus cathedralis Eccleſiae ſenatus; de Profeſſore vero ſchola noſtra Neapolitana.

## CAP. VI.

### *De praeſervatione, & curatione partium interiorum.*

HUjus autem affectus etſi curatio per omnes vulgo quaeſita eſt, tamen preſervatio longis intervallis tum dignitate, tum, uſu prior apparet: nimirum quod *gibbi*, qui ex interna cauſſa proficiſcuntur, hi ſunt inſanabiles plurima parte; niſi confeſtim initio ſumma providentia, ſubtilique ſolertia, revocati; quam inhibendi mali proviſionem a pleriſque omnibus in ſilentio praeteritam, utinam nos, qui ſumus adgreſsi nuperi, obſcurique auctores; ſic ut exigimur, ſic ut cupimus, interdum exſequi valeamus, rem ſane non parvae neque futilis operae; verum ut cunque res evenerit, contentus auditor eſſe noſtra diligentia debebit, quae ſi non magnam, certe mediocri non minorem adferet frugem, confido. Illud autem, quod forte meditatus in hac re ſum, eſt hujuſmodi.

Proponitur curatio *Gibboſis* recentis; porro vetus & confirmata ſanabilis non eſt, auctore Rhaze, *nuper indicato loco*; ſiquidem igitur primum ipſum *gibberis* initium praevidere potis ſis: hac re ſane vix aliquid optabilius obtigerit, quippe ſtatim occurrere remediis oportunis licebit ſic, ut etiam anteverti poſſit humorum vitioſorum confluxus: verum enim vero, quia neque continuo Medicus accerſitur ad ineuntem affectum curandum, nedum ad praeſervandum; neque ſic ſemper eſt facile morbum, qui ſe inſinuat intrinſecus, oculate pervidere (utinam autem jam initium, ac latens quodcunque malum deprehenderetur a cunctis Profeſſoribus hoc noſtro ſaeculo, quo minus, quam par eſt, Hippocratis doctrina colitur) ſub haec evidentia ſymptomatibus rudimenta *gibboſi* acceſſus ſic intercipere, atque abſolvere tentaveris,

Diſcretis enim cauſſis, num ob plenitudinem, num ob inanitatem contractum vitium ſit; his non aliter, quam humido ſiccove ſpaſmo, judice Avicenna contraniti debebis, plenitudini quidem prima ſanguinis detractione (baſilicam elidit Rhazes) ſimul & victu quam maxime vires permiſerint, tenui; ad haec avertentibus omnibus remediis, quae ſunt frictiones, vincula, cucurbitulae, vomitus, clyſmi; ſingula quidem ad ſitum ſupremum vel infimum dextrum aut ſiniſtrum, effectae partis opponenda. Deinde etiam expurgato, levatoque, a ſuſpicioſis omnibus ſuccis, ac ſuperfluitatibus, corpore; deinceps ad ſudorum artificiales manatus convertendum ejus, qui medetur, eſt conſilium; quem equidem ſcopum, & quod remedium arbitror praecipuum, & primarium ad morbi cauſſas aut eximendas, aut minuendas; praeſertim ſi ſudationes iſtae proliciantur ad aeſtuaria quaepiam*, peculiari naturae munere comparata, qualia nos ad noſtras oras, & ad Neapolitanos terrarum tractus habemus Aenariae, Puteolis, & in Crypta Aniana: quibus ſingulis uti ſi conceſſum non ſit, aut anni tempore, aut loco, aut hominis facul-

ta-

tate, aut alia quacunque cauſſa non patiente : tum his ſuccedunt aſſae ſudationes in laconico arte paratae: quas adjuverint ſumpta per ſingulos dies *decocta Sparti parilis Indici*, *lignive Guajacini ;* ad eum modum apparanda & conficienda, quem in Paedarthrocace nuper aperui : in quo libro deſcripta multiplicia ex Viperis medicamenta, huic etiam morbo depellendo non parum accommodata, comperies; quippe quae naturae, calorique noſtro, auxiliaria atque amica, labem quamcumque corporis emundare atque exhaurire ſunt comparata . Quod ſi ſubjectae vel craſi corporis, vel habitui, vel aetati, vel regioni , vel anni tempore , conſtitutionique calidis & incumbenti febri minus congruere videantur , alioqui calidiuſculae materiae: Viperas in caprimulgos & boas , quas vocavit Plinius, permutare fas eſt; accedunt hi proxime ad illarum naturam , ac temperatiores ſunt primis qualitatibus tenus. Utatur autem & homo , qui tractatur , iiſdem pene potionibus, ac victus ratione, quae Paedarthrocacae prohibendae propoſuimus , nam neque diſſident admodum utriuſque ſomitis exſiccandi ratio . Praeſertim ubi *gibbi*, qui curatur, haereditaria ſit ſuſpicio.

Hae quidem ad plenitudinem corporis privatim, adverſae ſunt medentis proviſiones: per quas tamen omnes ſi praevalentibus ullis cauſſis, tuberculi procreationem praeripi non licuerit, aut eo tempore vocatus ad curandum fueris, quo productum jam tumorem inveneris ; praeceptum eſt Jacobi Hollerii , ut neutiquam id maturare tentemus, nimirum propterea, quod ſuppuratus non eſt ſine periculo; neve ex ſuffuſo in thoracem pure & ad ſuperiora pertracto, aut etiam ex ſuppurato primum eodem in cervice, mox in trachaeam tranſmiſſo , ſuffocati phthiſici defungantur; quam ob cauſſam monet nos iſte Vir ſuadetque, ut prohibeamus potius, coerceamuſque tubercula ſic, ut dura reddantur.

### *Opinionis Hollerii cenſura.*

QUae quidem Hollerii adverſio , ſi rite rectеque perpendatur , plurimam me judice congerit difficultatem. Principio autem, quae dubitandi dederint, anſam, haec fuere. Primum , quod cum complures ſint tuberculorum optabiles fines, poſtquam illa conſtitere, diffiatio , maturatio , ſeu concoctio , ſuppuratio : ſelectam indurationem , ac recrudeſcentiam praetulerit aliis omnibus . Sint autem quaeſo te ex medentis voto crudi durique tumores ? quos omnes malos , contra vero molles omnes bonos, ſanxit alicubi Divinus auctor. Ad haec, improbetur humoris collecti ſuppuratio? cujus idem Medicinae Parens , *epid. 6.* maximas duas commoditates expoſuit : & quod morbo levet , & quod ejuſdem reverſionem fieri non permittat. Praeterquam quod irritus & inanis ſit oportet conatus omnis revocandae ſuppurationis internae , quam humoris natura , locus abditus & concluſus; aetas florens ; habitus carnoſus ; praepotentis & interni caloris vivida vis; actio, motuſque, corporis , & longinquitas demum temporis, promoveant. Deinde quae ſint pauci ſuppuratus incommoda ? quaeve ſaniei ſub thoracis vacuitate modice diffuſae ſit noxa: porro ſi pus petat ſuperiora; expulſum ſubire poterit potius, quam pariat praefocatum, vel non magis hoc, quam illud poterit adipiſci . Haec quidem ad maxime dubitandum de hac Profeſſoris clari doctrina nos impulere.

Caeterum ſunt, & quae tuberculi obdurationem diſſuadeant; ſunt & quae ſuppurationem apprime commendent . Quo ad poſteriorem rerum ordinem attinet, eſt primum ſuppurationis emolumentum, quod, ipſa ſuccedente , tuberculum continuo minuitur ; nam haec cauſſa eſt ſcilicet ut ſuppuratus multo minus doleat,

quam

quam crudus Abſceſſus ; id quod didicimus vel ipſius Hippocratis oraculo ; qui *ſecundo aphoriſm.* 47. ſcriptum reliquit, *Dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis, quam jam confecto*: cujus rei rationem apud enarratorem Galenum legito. Deinde, nos in Angina peſtilenti, quae duodecim adhuc annos miſeros mortales, pueros potiſſimum, exitialiter corripere non deſtitit, duritudinem primam pariſthmiorum, glandularum, ac totius ad ſummam tumoris perpetuo, vituperamus; ſuppuratum ſumma cum fiducia, certaque liberandi ſpe, excipimus. Tertio, praeter divinum hoc anginae genus, & alias, quae citra coeli malignitatem accidunt, nedum non maturas & ſuppuratas exhorremus: ſed neque ſuppurationem qualemcumque ſtatim adverſam ultro dirumpere dubitamus; id quod facimus digito, cereo funaliculo, ligno, cornu, & ſexcentis aliis adminiculis: de quibus nos *in Chirurgia inermi* ſpeciatim tradidimus; auctoribus ad hanc rem ſummis, & veneratiſſimis, viris Graecis, Arabibus, Latinis, Barbarolatinis, antiquis, nuperis, & omnibus Medicinae Doctoribus; Clinicis pariter atque Chirurgicis: ſunt autem & de inexpectatis hiſce ſalutis eventibus, ob properatum Tuberculi diruptum, obtentis, Hiſtoriae quamplurimae; relatae per Antonium Benivenium, Amatum Luſitanum, Petrum Foreſtum, Marcellum Donatum, Joannem Schenckium, abſolutiſſimum omnium compilatorem, atque alios. Nos autem pleroſque anginoſos, jam jam iſto tortabulo ſtrangulandos, & orco deſtinatos, una hac ratione redemimus; quibus operis nunc Franciſcus Antonius Pintus; nunc Franc. Antonius Ametranus; alias Joannes Jacobus Selanus; alias Franciſcus Moſcha; interdum Hieronymus Abioſus; interdum Vitus Jacobus Ferrajolus, Medici Neapolitani praeſtantes omnes, quos honoris cauſſa nomino, interfuere.

Succedunt his damna eruditatis offerentes argumentationes nonnullae; quarum prima eſto. Qui conſervat cauſſam diſtentionis, idem conſervat & ipſam diſtentionem: atqui noſter Hollerius conſervat diſtentionis cauſſam, quae infarctus & plenitudo eſt: igitur & diſtentionem, peſſimum ſane malum conſervat; praeterquam & *gibboſin* ipſam quoque. Secundo auget omnis admirationis modum, quod induranda Tubercula vult medicamentis; quae autem iſta niſi refrigerantia? contraria quippe concoqentibus, & calorem obtundentia, ac ſpiritus viis atque oſſibus ſpinae nocentia: quam rem diſerte docuit Hippoc. *aphoriſm. lib.* 5. qualia quoque medicamenta, & ad *gibboſin* univerſam vitanda, cane pejus & angue, nos monuit Rhazes, *in 9. ad Manſorem, c.* 91. Atque Avicenna, *loco citato*, nil dubitare viſus eſt, ut apoſtemodi *gibbo* proponeret curationem, quae difficile maturabili, contumaci, ac duro Tuberculo, communis eſt; & (quod multo majoris eſt momenti) neque Tuberculorum loca diſcriminatus eſt hic auctor: adeo verum eſt ſcilicet, & commodam maturationem iſtorum; & in iiſdem obdurandis, Hollerii nullam aut frigidam cautionem eſſe. Quod ſi vis incommodum omnino ſuppuratum, contra nos deteriorem contendimus longum Tumoris obduratum; qui perpetuo gravet, ac tenſione comprimat; motiones lacertorum cohibeat; diſtenſionem denique moveat; ex qua una & quae non mala conſequi poſſint? Jam igitur unde, & quonam ſolido fundamento propoſitio, in mentem venit Hollerio?

Sed equidem pro Hippocratico Profeſſore proferam extremam aliquam defenſionem, quae eſt. Sibi non oblatam ſpeciem Tuberculi bilioſi, quae digeratur; non pituitoſi, quae concoquatur; non ſanguinei, quae ſuppuretur; ſed melancholici ac faeculenti; cujus portio tenuis per accommodata medicamenta digeratur; ſic ultima relicta craſſa, durus tumor conſervetur & immunis a ſuppuratu praeſervetur. Verum enim vero, neque hoc effugium ullum eſt, nam quis ſucci melancholici circa caput, & unde, proventus pueris? aut quae hujus ipſius humoris

ab inferioribus ad ſuperiora tranſitio? neque enim ſimplex culpabitur melancholia, ſiquidem res gravis non poteſt adſcendere ; *citius* autem , ut Homerus ait , *Dii terram ad coelos trahent*: vel ſi commiſtam afferat tenuibus, ut neceſſum eſt, ſuccis; horum hercle, qui evehant, erit portio major; ergo difflabilior & digeſtior, ſed omnino ſit melancholicus ſimplex humor; tam parcus & iners credis ipſe, demonſtratam ſpinae diſtortionem committere valebit? nil ſane minus; ergo vides ad extremum nullam Hollerii , ſuper humore melancholico *gibboſis* effectore , hypotheſin ; adeoque excogitatam inepte, de diu conſervando crudo ſpinae Tuberculo, ſuaſionem.

*De Curatione per externa medicamenta, & per Chirurgiam.*

PRaeter hanc internam Curationem, eſt & externa duplex ; per Topica nimirum medicamenta , & per Chirurgiam: & medicamenta quidem ejus generis optima puto, quae fuerint exſugentia , vitiumque valida vi raptum diſſolventia ; qualia nos quidem ad evertenda Paedarthrocacae ſeminia monſtravimus valentia . Jam vero, ſi timor ſit per initia collectionis , extenuatis etiam exquiſite materiis, calidiora medicamina adhibenti ; non eſt profecto, quod haec admiſtis probefacientibus corrigere & commoderari non poſſis; ſed & *Emplaſtra* cum eiſdem *oleis* ibi recitatis, atque ex *Tacamahaca*, & *ligni guajacini reſinis*, *ſeu gummis*, concinnata, licebit ad roborandum & diſſolvendum imponere . Emplaſtris etiam admiſcet Avicenna *Pyretrum*, *Euphorbium*, *Caſtoreum*, *Rutam*, *Cypreſſum* : ex quibus eiſdem & Olea paranda praecipit.

Supereſt Curatio per Chirurgiam , quam *in Pyrotechnia noſtra* ad idem vitii traditam, huc transferri concedetur : quae ſic habet , Albucaſis , Chirurgicorum Arabicorum facile princeps, *ſectione* 1. *chirurgiae cap.* 4. & Avicenna, *lib.* 3. *fen.* 22. *tract.* 2. *c.* 14. *Gibber* omne medicamentis inexcuſſum docuerunt ; recte denique curari ferramentis candentibus ad id accommodatis, ex quibus circulare unum erit , quo poſtremam dorſi vertebram circumplectente , ad eandem urendam uteris. Alterum inſtrumentum erit punctiforme; quo ignito duas aut tres lineas deſcribes, circum vertibula cruſtulis inductis . Tradidit & de cauterii in hanc rem uſu Joannes Serapion, *tract.* 5. *pract. c.* 26. verum adminiſtrationis , & loci urendi quidpiam non explicat ; quemadmodum etiam non explicavit Gulielmus a Saliceto, *lib.* 5. *chirurgiae c.* 3. ad cauterium ſpinam *gibberis* proponens . E nuperrimis vero Durantes Scacchius , *lib.* 1. *Subſidii medicinalis* , circulari magno cauterio *Gibberes* tractari voluit , ab Albucaſi formam inſtrumenti , ſicut opinor , mutuatus. Meminit & hujus per ignem curationis Alexander Benedictus , *lib.* 29. *rei medicae c.* 6. Sed quantum recenti proficua , tantum inveterato *gibberi* inutilem , ſpaſmo vero ab affectione ſicca producto detrimentoſam, uſturam admonuit Nicolaus Florentinus, *ſerm.* 7. *ſum.* 2. *tract.* 3. *c.* 40. Haec ad proxime curandum *gibbum* efficaciſſima chirurgia eſto : quam ſi quando ferramentis adminiſtrare vel vereatur medens, vel exhorreat aegrotans, tum ſuccedit altera cunctis optatior , ac non minus efficax inurendi forma, *per fomitem* a me vocata , & in eodem opere *Pyrotechniae medicae* ex Proſpero Alpino deſcripta ; quam Neapoli primum vidit, & approbavit, optimarum & veterum Medicinae rerum exactiſſimus aeſtimator, Antonius Sanctorellus exercitam a me ad epiphoras finiendas honeſtiſſimae Mariae Garziae, aſſiduae perilluſtris uxoris Clariſſimi Regii Conſiliarii , D. Gregorii de Angulo.

Praeter hunc ignis uſum proprium, eſt *averſorius* alter , aut interceptorius per ul-

ulcus, utile; quem vulgo *fonticulum* nuncupamus; quorum is, qui intercipit in *gibbosi* supra septum, ad inion excitabitur; alter vero prior, qui ad avertendam causſam mali capitur ad *gibber* infra septum, ad femorum, vel crurium, vulgata loca collocandus est. Praeter quas sedes, si remedii certa commoditas ametur; si-que solidis experimentis persuadeatur tum is, qui tractat, tum is, qui tractatur; non dubitabit utique ad alterutrum inguen inuri crustulam, vel chirurgicas transui setas, dixi autem accommodatissimum hunc locum, excellenti quadam hujus cum lumbis sympathia spectata; quandoquidem ad has partes consueviſſe fieri *gibbosis lumbariae* transpositum supra meminimus, auctore Hippocrate, *in partic. libri de artic.* saepe memorata. Neque vero sic insolens videri debet haec ustio, nostro tempore plurimum ab insuetis medendi usibus abhorrente; enim vero, praeterquam quod neceſſum est, ad contumaciſſimos quosque morbos nova pleraque comminiſci: ad haec memini quidem, nuper a me jam nominatum, ac semper honoris causſa nominandum, Sanctorellum, in causſa leprae Sacerdoti lectiſſimo Societatis Jesu, in conventu celebrium Medicorum id propoſuiſſe, ac prope eviciſſe. Sed quae de *gibbis* adnotanda ac disquirenda fuerant, habeant hunc finem.

# DE VALGIS, VARIS, COMPERNIBUS,

## *Ac Membris aliis obtortis.*

## LIBRI PARS ALTERA.

### CAP. I.

### *Continuatio ad superiora.*

SEd provecto jam sermone de puerorum Abscessibus, qui fuerant *Paedarthrocace*, variique *Gibberes*; illud quidem cum corruptione vitium; hoc sine corruptione; consentaneum rationi visum est, ut subinde traderetur & de *Valgis*, *Varis*, *Compernibus*, & hoc universo genere. Porro istiusmodi luxamenta & crescentis aetatis homines, & ossium juncturas, tentant, & causſas etiam plerumque communes agnoscunt; quod experimentum, inter multa singulare, faciundum exhibuit ferme nobis haec observantibus, illustris viri Prosperi Pisani Pascuarolae reguli filius natu maximus; qui postquam *valgus* fuerat, ad haec *repandus* secundum dorsi vertebras & pectore *gibbus* exstitit, ob defluxum nimirum capitis; quem uno ad unguem consensu cum Dominico Coccia, collega eruditiſſimo, conjectati sumus, argumento plane liquido; quod malam a primordio conformationem capitis nactus fuerat sexennis puer: quare tot membrorum divaricatus, ab uno cerebri vitio atque ab humoris pituitosi laxamentis, quorum una intemperies origo est, profectos perquam probabile apparet. Quod si forma gignendi quaeritur, neque inflammatoria syſtrophe, aut aliqua noduli modo coacta collectio juncturarum, abstrahendis vinculis perpetuo desideratur; quin hoc & pueris & hominibus aetate jam grandibus evenire, compluribus exemplis, alio loco, monstrabibus. Jam vero si caetera desint, est *gibbosis* & obtortorum affinitas tanta, ut invicem ἀδελφῶσι. Taceo, quod admirabilis excessus digniſſimam adversione,

ne, ac tractatione, rem facit; sic enim plerumque insolens, atrox & inopinus puerorum hic casus est, ut ad corruptrices strigas, atque adeo ad divinas causas, referant ineruditi. Quas ob res omnes annuis jam, ut de *Valgis*, *Varisque*, & hujus generis vitiis aliqua pars sermonis interseratur.

## CAP. II.

### *Notio seu nominis explicatio, cum aliquot rei discerniculis.*

*Valgi* quidem, Graece βλαισοὶ, prominentes extrinsecus habent suras, & in diversum actas, quales cancris & lacertis sunt pedes; quorum videlicet pars intra conditur, pars extra procedit. Aegyptios ejusmodi tradidit Aristoteles. Plautus autem, *in Milite*; *varum*, aut *valgum*, aut *compernem*, aut *paetum*, aut *brochum* nominavit; itemque *valgum suavium*, id est, intortum: cujus generis dicti sunt & *vatii*: sic enim est apud Varronem, *lib.* 2. *rei rusticae*, *de canibus scribentem*, cruribus rectis ac potius *varis*, quam *vatiis*: hinc *vatiorum*, & *vaticiniorum*, cognomenta fluxerunt his, qui primi in familia pedibus *vatiis* exstitere: quo Seneca in quadam epistola, *Servilius*, ait, *vatia latere sciebat non vivere*. Sed *Vari*, Graeci βαιβοὶ, vocantur hi, qui crura vel pedes introrsum habent obtortos: cujusmodi spadones, ac testibus capti, ac foeminae pleraeque visuntur. Flexuram quidem, non flexurae modum explicavit Horatius, *l. Serm.* 1. ut ait, *Hunc varum distortis cruribus &c.* atque inde factum est, qui *varum* pro obtorto saepe Veteres dictitarint: itaque *varum brachium* dictum a Martiali fuit, *in* 7. *vara nec injecto certamine brachia tendis*: & *varae manus* pro incurvis ab Ovidio, 9. *Metamorph.* sunt usurpatae: qui dixit, *varas in statione manus*. Haec ex Grammaticis brevi recoluisse nos oportuit.

## CAP. III.

### *Causae.*

SEd praestat Causas inquirere, quibus ante descriptae distortiones oboriantur: libet autem aliquanto superius rem repetere, ut plenius etiam nostra sententia percipi queat. Prima quidem & summa causa debilitas est, quae concedit defluxibus. Imbecillitas autem oritur ex qualitatibus expertibus materiae, vel cum eadem ipsa conjunctis. Ex primo genere fuerint aeris ambientis qualitates, ad calorem, aut frigus; ariditatem aut madorem; sive simplicibus, sive compositis, excessibus immutantes: ad quas affectiones spectant & ventorum, pluviarum aut nivium occursus; aquarum, id est, lacuum, fluviorum, marium, tranatus & navigatus; venationes piscium; natationes in his, & ablutiones, immersiones; quae faciunt, scilicet, ut articulorum, musculorum, ac tendinum, temperatio transmutetur, pro varia qualitate, quae dictis aquis, tum propria sua natura, tum ad attingentem hominem, collata ejusmodi, vel aliter se habuerit; cui similis aut major vis inest & medicamentis, quacunque tandem ratione fuerint, ad easdem partes superdata. Interea haec nominandae sunt vehementes, & assiduae, istorum artuum exercitationes; nec non diuturnae vacationes, & cessationes a motu: etenim, ut hae refrigerant & effoeminant, sic illae laxant & excalefaciunt. Ad haec, & quae sive esculenta, sive potulenta, offeruntur; quaeque ab his toto corpore digestis atque diductis retinentur, & emittuntur; & si qua sunt alia hujusmodi.

Post

Poſt haec dicendum eſſet & de his, quae qualitatum quarumlibet exceſſum, cum interventu materiae, inſinuant. Verum haec ad ipſos humores ac ſuccos, qui inibi colliguntur, referri ſatius erit ſubſtantias quippe notas; quae partim craſſitudine, partim etiam lentore, partim topia & pororum anguſtatione, paulatim contrahant fibras, vel ab univerſo corpore, vel a certis quibuſdam partibus huc attractae, vel tranſmiſſae. A toto quidem corpore tranſmitti conſueverunt humores, in febribus lentis & diuturnis; de qua re tum Hippocrates, tum Galenus, 3. *prognoſt.* 23. & 4 *aphor.* 14. atque etiam in laſſitudinibus, quas in iiſdem febribus homines incurrerint, eodem Hippocrate, Galenoque, adverſoribus, *in* 4. *aph.* 31. Itemque per inexplicabiles commeſſatus, ebrietates, luxus rerum & libidinis nullos modos; quod neque Poetam latuit, qui ait:

*Et Venus enervat vires, & copia Bacchi;*
*Et tentat greſſus, debilitatque pedes.*

Praeterea ſunt & certae corporis definitaeque partes, quae ſupervacaneis ſe ipſas ſuccis exonerantes, hos in articulos & attigua loca demittunt: ſunt autem, nunc caput deſtillationibus aſſidue pluvium; ad quam maxime, niſi fallor, opinionem acceſſit Fernelius: nunc uterus, cujus excretio ſuppreſſa ſit: quocirca M. Hippocrates ejuſmodi affectus mulieres immunes ſtatuit, *in l. 6. aph.* 19. veluti ſi affirmaret, etiam eodem tempore cohibitas iſtas emiſſiones, ad articulos continuo refluere debere: quod re ipſa equidem eveniſſe multis foeminis comperi; ſimiliter & his, qui haemorrhoidum detrimenta ſentiere.

Atque hactenus recipere judicati ſunt articuli, ad quos nimirum ſuas ſuperfluitates tranſmiſerint aliae particulae. Caeterum & ipſae etiam ex aliis eliciunt; ſeu caloris intemperamento, propter violentum immodicumque laborem, & uſum balnei; ſive ob ingentem dolorem, quo ſentientes circum articulos particulae fuerint tentatae. Sic imbecillis defluxus, validique attractus, generales ad diſtorſionem cauſſae ſunt jam expoſitae. His omnibus accedunt articulorum, qui ſunt quibuſdam proprii, languores: id eſt, his qui ex parentibus arthritidem, aut podagram expertis ſunt nati: quo loco & materiae vitium & formatricis debilitas ſunt recenſendae. Nunc, ut humores diſtinguas, ſcire licet; non unum & ſimplicem, ſed varium & multiplicem ſuccum eſſe, qui dictas ad partes allabi poſſit: reſpondens ſcilicet craſi, conſtitutioni, viſcerum morboſae, vel naturae, ſexui, aetati, regioni, anni tempori, victui, conſuetudini, vitae inſtituto atque aſſis, ſi praeterea ſint. Ex cauſſis autem omnino malis, atque morboſis, ſunt caecae vel apertae corporis continui ſolutiones: ex inconſpicuis quidem apoſtaſma, diſtentio, caeca contuſio, caſus ab excelſo loco luxatio: ex conſpicuis vero, contritiones, ulcera, fracturae, tophus, tuberculum, abſceſſus, ancyle, &c.

## CAP. IV.

### *Signa Cauſſarum.*

HOrum ſic enarratorum affectuum, ſuarumque differentiarum, evidentium alioquin & nulli non perſpectarum indicia, non eſt, quod quiſpiam enucleari ſibi nunc requirat. Verum enim vero cauſſarum notae ſunt explicatu neceſſariae; ſed antecedentium inquam & internarum, ut his eiſdem producendi morbi vi potitis occurri ſingulis medendo poſſit. Sic repetitis ordinatim capitibus, fontibuſque, cauſſarum, quos ſupra recenſueram; ad diſtinguendas eas cauſſas, quae tum per ſe, tum per conſenſum morbum invexere, devenio.

Igi-

Igitur aeris & regionis & aquarum culpas prodent eorum excedens mador & illuvies, pluviae nimietas, irriguus, & ſenſus, ſitus, qui diu perduret & difficile diſcutiatur; item opacitas & vapidus nebuloſuſque proventus; quarum plerarumque rerum cum nonnihil participet coelum Neapolitanum, horum hominum maxime puerorum plurimos expromit: alias vero tales terras, quas non vidi, judicare quidem temere non poſſum; ſed dictat ratio non exortes hujus vitii futuras. Praeter quas cauſſas & alias, quae ad externam horum comprehenſionem pertinent, & reſpondens rerum evidentia & eorum, qui tractantur relatio, comprobabit; expedita enim & facilis harum rerum deprehenſio eſt; ſi non inertem indagatorem offenderit: quapropter his ſuperſedeo. Sed defluxus ſympathia partium factos, declarant potiſſimum conſtitutiones earumdem ſedium mittentium: juvantque etiam intactis articulis remedia, quae mittentium curationi accommodantur. Interea vero non latent ſymptomata, quae proprias affectarum partium affectiones conſequuntur. Sed primarum qualitatum ſeu ſimplices, ſeu compoſitas exſuperantias deprehenderis, tum ex cauſſis, quae anteceſſerint, ab aegrotante referendis; tum ex uſu remediorum contrariae facultatis; tum ex ſimilium noxa; tum etiam ex affectionibus ſpectantibus ad ſenſum tactus.

Atque haec quidem ſunt indicia qualitatum ſine materia. Conjunctarum vero cum materia ſunt communia his, quae ſingulos humores praeſentes produnt. Id eſt, ex cauſſis antecedentibus, partium imbecillitate, ſuperfluitatum craſſitie, canalium anguſtia: deinde etiam ex principiis hos attrahentibus dolore, calore, medicamento, frictione, balneo, motu & exercitatione importuna, itemque a principiis tranſmittentibus; quae ſunt plethora, cacochymia, febres diuturnae, ac putres; rheumata, ſuppreſſae vacuationes, articulorum languores, atque alia hujuſmodi: denique & quae fluxionem & collectionem in articulis adjuvarunt, aut averterunt omnia: ſed & affectus tactiles articulorum eadem oſtendere poſſunt. Poſt quae omnia ſolutae unitatis, quae vitium induxerit, apertus proſpectus, atque evidens notitia, eſt. Supereſt diſtinguenda laxitas aut contractio; id eſt, cum cauſſa quidem hujus ariditas, illius humiditas. Laxitatem vinculorum oſtendunt cauſſae laxantes, ac ſimiles adjuvantes, contrariae conſtringentes, ad haec effecta, id eſt, motus infirmior, & propenſior ad luxationem. Contractio monſtratur brevitate, tenſione, duritie; ſed numerum auctum cauſſae produnt, concreti glutinoſique ſucci redundantiam efficientes; itemque juvantia, nocentia & effecta ſuis ex affectibus prodeuntia, quae jam noſti.

## CAP. V.

### *De naturali oſſium conſtitutione.*

ANtequam ad oſtenſionem noſtram aliquam inſtitutae rei pergamus; operae pretium facturi videmur, ſi praeſtituatur enarratio naturae conſtantium articulationum, quam ad hunc modum accipe. Principio revocanda eſt in memoriam oſſis cujuslibet membri longi partitio, quam *in Paedarthrocace cap.* 4. docuimus: deinde ſcire licet, coaptata jam mutuo, rectoque, occurſu duorum oſſium capitula, praeter membranam communem, perioſteum, circumveſtiri muſculorum chordis, id eſt, latis nerveis excurſibus; qui praetergreſſi junctura, cum inferioris membri muſculorum tendinibus occurrentibus permiſcentur & coaleſcunt, ut per has attrahere vel inflectere membrum ſubjectum poſſint. Aliud nunc inſuper intelligendum eſt, expoſitum a Galeno, *libr. 2. de motu muſcul.* ad unum quodque membrum

brum pro libitu voluntatis agitandum, tum flexores esse lacertos, tum extensores; qui contrarii sunt plane situ dispositi sic, ut sibi invicem cedere aut adversari possint: nam cedunt, inquit Galenus, extensores exteriore parte, ut flexores internae flexionis operam praestare possint: qui cedunt rursus extensoribus, ut hi suo extensionis munere potiri queant; quae quidem ordinatio, motioque, naturalis est, recte veniens a libero moventis arbitratu: nam est, scilicet, cum praeter praescriptum hoc voluntatis cedunt vel extensores musculi, vel flexores, prout nimirum paralysi molliti alteri & antagonistae fuerint; quemadmodum, scilicet, sub oris distorsione canina trahi se sinit dextera genae pars languens, cum sinistra est potior, & contra: atque hoc quidem in paralysi fit, praeter quem modum a resolutis nervis proficiscentem, est & alter a distentione seu spasmo, cum distenti inflammatione aut plenitudine, aut ariditate, alteri lacerti; seu quidem extensores, seu flexores, adversos alteros vi sua distrahunt, ac sua sede revellunt. Haec status articulorum naturalis esto descriptio.

## CAP. VI.

### *De morbi genere: & quod non capitulati ossis haec sit affectio.*

HActenus jam tot multis, de rudi rei natura, praemonstratis; quae veluti fundamenta & parietes aedificii nostri fuere: reliquum est, ut essentiam rei totius & sententiae nostrae summam, quasi supremum tecti fastigium imponamus. Incipiemus autem a generis inquisitione, ut mox differentiam, aut quod hujus loco fuerit, ad definitionem adjiciamus. Apud antiquos, qui sunt omnes, Graecos, Latinos, Barbarolatinos, Mauros, Arabas, Poenos; qui vel omnem Medicinae praeceptionem, vel nobilem hujus quamcumque partem tradiderunt, incertum est, cui malae conformationis generi vel speciei βλαίσωζιν, ac ῥαίβωσιν hanc, quam discutimus, retulerint: apud quos nimirum, ea de re, ne verbum quidem. At neque juniorum aliquis idem hoc argumentum attigit; quasi vero nullius effet usus res, quae plurimum alioquin & cognitu videtur utilis, & curando necessaria. Inexplicatum igitur apud Veteres ac Juniores etiam auctores negotium, tantum aetate nostra tractandarum quotidie consultationum usu, comperi vulgatam opinionem facientium hoc vitium situs. Qui enim *exarthrema* luxationis speciem, qui *pararthrema*, subluxationem arbitrantur; figurae quidem accessoria & succedenti affectione statuta. Ad summam autem apud hos homines nullum, luxationum communiter dictarum, atque harum private sumptarum, discrimen est; praeterquam quod illae quidem ab externa magis causa, haec vero ab interna, profectae visuntur. Sententia quidem & opinatio, quae si rationis & anatomes exacta lance perpendatur, inscita prorsus & indocta videbitur; multis, ut monstrabo, nominibus.

Primum quod luxatio, situsque ossis ab acetabulo, abscessus atque perversio, liquido monstrantur certissimis omnium sensuum criteriis, qui visus est, ac tactus: nempe qua vacuitas praeter naturae conditionem agnoscitur; qua insuetus offarctus & plenitudo circa articulum; quae ipsa per Jovem in ejusmodi distorsionibus non extant, neque diu observata comprobantur. Deinde ab exordio adusque plenam confirmationem, his eisdem ut absit dolor, qui & perpetuus & peracerbus esse solet, donec os in sua naturali sede repositum sit: hunc autem neque pueri, neque viri *valgi*, *varique*, senserunt aut agnoverunt unquam. Postremo referat, quaeso, quicumque nobis adversari velit, sub qua luxatione crurium viderit unquam

quam inceſſus niſum ad longos annos, ut in *valgis variſque*, conſervatum? Taceo, quod incipit diſtorſio non a ſummo ipſo articulo, circa quem motus fit, ſed a circumpoſito oſſis proceſſu; quomodo enim homo utroque latere diſtortus, genubus unis, niti vel uno temporis momento valeret? porro ſunt articuli recte ſe habentes, veluti firmi cardines, quibus membra & corrotantur & conſiſtunt. Hactenus, quod non ſit putatitium *exarthrematis*, ſeu ſubluxationis vitium hoc, de quo quaerimus, jam patet.

## CAP. VII.

### *De Sede affectus propria.*

SUpereſt nunc, quando non ſunt ipſi articuli, qui luxationem ſuſtineant, partem aliam proferamus. Dixi, principio ternas eſſe longis artuum oſſibus particulas, truncum, proceſſum, capitulum. Ajo divaricatum hunc fieri circa proceſſus & appendices; nimirum quod hae principio coalitae non fuerint, ſed diſſolutae praeter legem naturae perſiſtant; quibus partibus nitens homo primum ad inceſſum, ſic nixus pondere ad alterutrum latus interius aut exterius conflectitur, crus, qua major debilitas eſt, aut qua primum occaſione inflexum fuerit idem; qua laxitate & inflexus aſſuetudine, dum producta jam aetate coaleſcunt partes, ſic obfirmatae perſiſtunt, ac diſtortis pedibus caeterum ingreditur homo. Itaque ſi caepta via non aberramus, facile cognoſci datur, id vitii, quod in quaeſtionem venit, tametſi depravata ſubſit figura, tamen, quia contingens, id eſt, haud quidem in figura, ſed in connexu vitium erit; quippe qui cum eſſe debeat non ſit; eſt autem nexus & de conformationis genere, ſi Vido, pervidentiſſimo ſcriptori credimus id teſtanti, *lib.* 1. *anatomes c.* 1. Quod noſtrum placitum confirmatur & hac ratione. Apparuit ejus vitii maxima cauſſa laxitas, quam ab uno & perpetuo partibus item laxis incumbente madore proficiſci nemo non novit: atqui partium haec laxitas ac mador non alios inſequitur, quam pueros & hujus aetatis affines: quos unos eoſdemque communiter tentat affectionis haec, de qua ſcribimus, proprietas; non obſcuro ſcilicet ac probabili ſatis argumento, quod laxitas haec memoratis oſſis coagmentati partibus accidit: porro mador, qui toto quidem corpore fuſus eſt, ſed cerebro praecellenter; ubi praeſertim hoc imbecillum & languens offenderit, cum ad articulos & ad juncturas oſſium affluxerit, vi diducat oportet; atque adeo tibiarum, quas nuper expoſuimus, appendices. Sic inquam pueri, & qui conterminae ſunt aetatis hanc peculiariter affectionem incurrunt, quod obſervatum a me primum eſt in filiis Conzalis, viri a ſecretis Ducis Albae Neapolitanorum Proregis. Mox vero in Quadrimo filio Lutii Caraccioli viri patritii Neapolitani: quam rem quidem a me primum audiens Dominicus Antonius ab Alexio, exacti judicii Medicus Collega meus, certam plane atque indubitabilem affirmavit, atque in aliis, quorum quidem omnium taedioſa & longa eſſet hiſtoria. Verum enim vero, & aetate grandioribus id morbi genus accidere ſcito. Sed tamen eo diſcrimine, quod viros *valgitas* praeterquam uno latere non attingit; quae ſi tamen utrimque accidat, haec & admodum inſolens quidem, & non ſimplex laxitas eſt, ſed ex ſyſtrophe & abſceſſu, & ut ſimpliciter dicam corruptorum humorum in has oſſium partes incurſu, quae praeſcriptae puerorum aetati non eveniunt. Divulſam quoque apophyſin oſſis tibiae ita, ut angulum introrſum genu faceret, licuit mihi vidiſſe in quodam homine, qui curabatur in noſtro Noſocomio, Anno 1625. quam quidem revulſionem ſponte profectam idem

ho-

homo referebat. Conſtat autem & ab arthritide diſtrahi, convellique, articulos, ut in coxendice poſterius; & ab oſſis carie perſaepe vidimus figuram corruptam membrorum & partis privatae: hic quidem omnino morboſus mador eſt, ſincerior alter & puerorum proprius. Adeo nunc apparet, quod *valgi*, *varique*, pueri ſint: hoc non paralyſis aut ſpaſmi vitio fieri, ſed enarrata jam cauſſa, & expoſito laxationis modo.

## CAP. VIII.

### *Definitio.*

ITa jam intelligitur facile, quo pacto diſtrahentibus ex altera parte humoribus, ex altera fiat articulatorum membrorum conflexus; quodque fiat hic non in extremo oſſis membri capite, ſed in appendice jam apparuit: caeterum invento generi, addita parte affecta pro differentia, vides jam affectionis eſſentiam non obſcuram eſſe. Ex quibus utriſque definitionem elicere poſſis aliquam, quae ſit hujuſmodi: *Valgitas, & varitudo, vacuitas eſt nexus in appendice oſſis, diſtractis hinc aut inde lateribus, laxitate atque madore ſimplici, non morboſo abſceſſu.* Quod ſi nomina ſubſtantiae diſplicent nuper a me conficta; dixeris, *Valgi, Varique ſunt, quorum appendicibus circa tibiarum oſſa nexus abolitum paſſis, diſtortiones iſtarum ad interiora, vel ad exteriora ſunt factae.*

## CAP. IX.

### *De judiciis, & re prognoſtica.*

AFfectus hic puerorum Valgorum interdum ope naturae ſolvitur, interdum non item, ſed auxilium quoque artis implorat: ſolvitur inquam, ubi vigor accedens aetatis, morbo, qui praeoccupaverat fit ſuperior: quo iſto loco ſubit adnotari ſaepe multis crura dirigi perfecte, ut in filio vitreorum ſpeculorum opificis compactoris, de quo poſterius. Aliquando eadem inſigniter contorta manent in omnem aetatem, quibus ſcilicet nec natura, nec ars auxilio fuit. Aut remanent quidem illa rectiora, ſed alimenti defectu lignearum aſſularum modo, quae in cados dedolantur, tenuata vidimus in Franciſco de Pompejis puero, qui mutilis fuerat incedendi uſibus primordio: praeter quos & alios novimus, quibus ſic ad exteriora diducti ſunt pedes, ut inter hoc cadens ſpatium latitudinem humerorum longe excederet. Ad hos occurrerunt & alii licet rariores, qui altero quidem *valgo* crure, altero *varo* longe difficillimo inceſſu ducunt ilia. Sed ſuas eventuum cauſſas exponamus, quae ſunt hae.

Conſtituto primum, ab eo, quem diximus, immodico madore & primum fieri divaricatum & deinde conſervari, cum diſtinguendus eſt humoris modus craſſioris, tenuioris, crudioris, aequabilioris, viſcidioris, arentioris. Tertio calidi nativi vividioris, & uberioris etiam radicalis vocati humoris, conditiones ſunt notandae: enim vero per horum omnium rationem fit, ut ſolvi diſtortio vel perpetuari magis, minuſque fieri, divaricatus, & diutius aut brevius protrahi debeat; nam ſi vigor hominis calorque fuerit acrior, humor mitior minorque, & aequalior, ſic promptiorem, minorem, citiuſque ſolutum iri *valgitatem* ac *varitudinem* credes: ſi vero ſit exilior calor, & habitus univerſi minus vegetae vires; humor ſit incommodior, & qui minus pareat naturae imperiis & felici coalitu, ſerior, ini-

quior, & ut brevi finiam, improspera erit habitus finistri correctio. Ad hunc modum apparet sane, quod naturae vis & humoris habitudo momenti plurimum habet, ad solvendas ac dirigendas hujus generis distortiones: quamquam non inficior & opem medicam nonnihil conferre posse, quatenus eadem opera citius, atque etiam aliquando rectius absolvatur; quae ipsa, ut & quibus medicamentis ordinanda sit, mox audies brevi.

Interim naturae sponte curatos equidem referre possem hos. Unus ante memoratus puer de Pompejis, qui *valgus* utrisque cruribus & secundum infimas spinae vertebras languens, ac dolens, ab ineunte propemodum aetate subalaribus fulcris innixus; haec undecimo jam anno vacua & inutilia, repente se sentiens integrum, abjecit, puer praetenuis, & strigosus, atque etiam propter catarrhos edentulus; qui quinque jam annis arthrocacen in laevo brachio perpessus, ut Joannes Dominicus Malliochus, Medicus Neapoli percelebris, testari potest; id quod ad Paedarthrocaces & *Valgorum* communitatem advertendas dictum esto. Alter Josephi Jordani, vitreorum speculorum constannatoris filius, quem omnino motionibus corporis inertem, ex improviso restituendum, non fallenti judicio, praedixeram. Item alii non pauci, quos eadem sorte potitos observavi junior, apud praeceptorem Julium Jasolinum.

## CAP. X.

### *Curandi ratio.*

AD restituendum quidem naturalem suum *valgis* & *varis* habitum; prompta videtur ἡ τάξις, id est, directio, quam nostri omnes, apparatu rerum ad articulum ordinato, moliuntur. Nimirum, quia versatur animo luxationis idea, & extra vas ossis excapitulatio, si dici liceat, quod vas quodque acetabulum ex illapsis diu succis, & ex alimenti superfluitate congestis concrementum aliquod accepisse necessum sit; ob eam rem instituunt continuo medicamenta, quae depletura sint sinum, ad quam rem adsequendam necessaria facientes attenuantia & laxantia; haec principio volunt administranda. Sic fomenta parant *ex pingui jure ventris, & intestinorum Vervecis aut Vaccae, in quo discoctae fuerint utraque Malva, Acanthus, atque alia generis malactici*. Quam medendi rationem plane contrariam ac prorsus inversam arbitror; quippe adstringens, ac firmans medela congruit; accommodatis ad hanc rem Epithematis atque Emplastris. Ex fluidorum autem genere sunt *aquae* natura *nitratae*, *aluminosae* ac *metallicae* omnes; quales Puteolis sunt & Aenariae. Item *arenationes* ab Andrea Baccio Elpidiano, *in opere de Thermis*, atque a Julio Jasolino Calabro, Hipponiata, praeceptore olim nostro, *in opere de Balneis & remediis Pithecusanis*, expositae. Ex arte vero paratis, sunt vinacea ex uva, quae dat austerum protropum; aut ex labrusca, in quae vinacea & vinum aliquorum tortivum infusum sit. Praeter haec sunt Emplastra, quibus glutinandi, ferruminandique, vis est. Horum praecipuum est ex *gummi Tacamahaca Indum*, & *Emplastrum a Gulielmo Varignana, Comitissae inscriptum*; itemque ex *pelle Arietina ab* Arnaldo Villanovano descriptum. Ex quibus omnibus unum confeceris igne commistis. Interim ferulis, assulisve, cum spleniis contra recessum ossium appressis, & cum scita deligatione niti licebit calceo, qua parte resistendum est, cum lamina subtensa ferrea ligneas alteras assulas recipiente, ac sustinente inferne.

Jam autem, quia vacua pagina concedit, ut conferre Lector amice possis, quantum

tum adeo noſter hic de *valgis* & *varis* illuſtrandis labor, caeteris aliorum explicationibus praeſtet; ſubjungam id, quod unus & primus Ambroſius Paraeus, vir alioquin elegantiſſimus propoſuit; ea ſunt videlicet: *Vari Latinis dicuntur, quibus pedes, cruraque, intro inflexa & obtorta ſunt.* Conformationis id vitium, vel jam inde ab utero eſt, culpa matris, quae vel eodem illo intro converſorum crurum vitio tenetur; vel per graviditatis omne fere tempus deſedit, cruribus decuſſatis; aut poſt editum in lucem foetum contingit, quod ejus crura vitioſe faſciis obvoluta in cunis fuerint, vel compreſſa, & depravato ſitu inter geſtandum, aut ambulandi conatum, a nutrice collocata; ſunt enim infantum oſſa valde mollia & fere cerea. *Quibus, contrat, extrorſum pedes, cruraque, ſpectant & intorquentur, Valgi nominantur.* Hujus depravatae conformationis eadem, quae ſuperioris, cauſſae eſſe poſſunt; utroque vitio non pedes tantum, ſed & genua ſaepe, obliquantur. Quod qui vitare & emendare volet, oſſa in locum ſuum, ſedemque nativam & debitam, reſtituet; ſic ut *varis* oſſa foras adeo propellat quaſi *valgos*, *valgis* contra introrſum quaſi *varos*, reddere vellet: nec compuliſſe ſatis eſt, compulſa praeterea continere illic decet; alias haud firmiter ſtabilita relabentur. Continebuntur faſciis & plagulis appoſitis, his partibus, in quas vitioſe oſſa ſeſe inferunt & inclinant. Parantur in eam rem ocreae ex corio elixo, capitati nummi craſſitie, anteriora parte ſecundum oſſis tibiae rectitudinem, & ſub planta pedis fiſſae, ut undique diductae pedi, crurique, aptentur facilius: parti affectae imponetur ſequens remedium.

℞. *Thuris,*
*Maſtiches,*
*Aloes;*
*Boli Armenae, ana drach.* j.
*Aluminis rochae,*
*Reſinae Pinus ſiccae, ſubtiliſſime pulveriſatorum, ana drach.* iij.
*Farinae volatil. unc.* i. ℈
*Albuminum ovorum quantum ſufficit;* fiat Medicamentum.

Addere licet *Terebinthinam*, ne citius & vehementius, quam par eſt, exſiccetur. Caeterum cavendum, ne pueros, qui *valgi*, vel *vari* nuper fuerunt, ad incedendum ante cogas, quam firmatis fuerint articulis; alias compoſita & reſtituta oſſa, incedendi labore praecoci, rurſum excident. Quin etiam cum juſtum erit ad incedendi conatum tempus, obducentur ipſis calcei altiuſculi ſoccorum inſtar, ſupra pedium nexi, vel fibula conſtricti, ut oſſa ſuis ſedibus firmius contineant. Caeterum calcei ſolea ſit ibi altior, quo pes vitioſe videtur inclinare.

FINIS.

# DE EPINYCTIDIBUS

## ET ROSEOLIS,

*Ex altis tenebris, & ſumma obſcuritate, a poſtremis Graecorum temporibus, nunc primum in ſuam lucem revocatis.*

*LIBER UNUS;*

Qui, Operis de ſelectis Abſceſſuum generibus, Septimus eſt.

## EODEM M. AURELIO SEVERINO

### AUCTORE.



Ihi invenire aliquid eorum, quae nondum inventa ſunt, quod ipſum notum, quam occultum, eſſe praeſtet, ſcientiae votum ac opus eſſe videtur; ſimiliterque *& ſemiperfecta ad finem perducere & abſolvere*, Verba ſunt Hippocratis, *libri de arte principio*, conſcripta; quod ego monitum ſemper reveritus, in meis de Medica ſcriptis quidem omnibus, atque in hoc quoque opere de Abſceſſibus, quantum ego judico, ad hunc uſque terminum ſervavi, ac deinceps etiam in hac, quae ſupereſt, parte pro mea virili ſervabo; averſus & abhorrens ab eorum more, qui, priorum excogitatis utentes, actam rem agunt. Equidem, vidi jam diu vitium hoc extimi habitus corporis, quod *Epinyctis* a Graecis dictum eſt, apud Latinos non aliud vocabuli nactum; ſic a poſterioribus Medicae rei ſcriptoribus, aliiſque magiſtris ignorari, ut ex obſervati numeri vitiis hanc facere minime norint: itaque ex eis affectionibus haberi conſueyit, quae jam a longinquo tempore deſierit, nomen tantummodo retinens, non aliquam ſpeciem: adeoque ſit ex morbis ſecularibus, id eſt, aliquamdiu vigentibus & fugacibus, veluti lichen atque mentagra, quae Pompeji magni tempore primum viſa, non ad longam poſteritatem extitit: vel ſit ex his denique morbis, qui nuper eruperint paulo ſuperioribus ſeculis, ut Syphilis, Plica, Brunnus, & alii. Verum longe aliter ſe res habet, ac nuſquam interrumptum eſt malum, noſtra etiam tempeſtate ſtabile, ut certius equidem reddam, quam quae fuerunt ad Sagram; etſi apud ſolas in eruditas foeminas vulgari *di roſole ſaltareccie* nomine cognitum. Porro neque diſcernendi mali curam Medici ſuſceperunt, neque ejuſdem curandi rationem attigerunt; indignum profecto facinus, atque omni, qua licet, animadverſione, feſtinaque ſollicitudine, convellendum: neque enim aut Medicinae amplificandae, aut Medicorum auctoritatis tuendae, aut miſerae mortalitatis adjuvandae cauſſa patiendum eſt, ut error diu protrahatur; qui qualis quantuſque ſit, ipſe cognoveris, ubi mali rationem in libri progreſſu didiceris, videriſque quantum acerbitatis, & moleſtiarum, noctu diuque exhibeat, quamdiu pertinax, quam ſaepe intractabile, ſit; quantum ex Medico curae, ac ſolertiae; quantum medicaminum & exquiſitorum, tum, quae interius, tum quae exterius exhibentur, expoſtulet: ad ſummam, tam crudus & inſolens affectus eſt, quantum aliqua Syphilis & ſtrumae,

mae, quae communem propemodum, cum illa, curationem habent: quin etiam in arthritim, peſſimam morbi ſortem, perperam curata faceſſit: quemadmodum audies in prognoſticis. Quas ob cauſſas omnes viſum eſt, humani, ac minime ſocordis, hominis officium, ſi ſuper eadem re tantiſper mentem ac ſtudium adhiberemus; quatenus ad juſtam ſuam comprehenſionem ac lucem res obſcuriſſima reſtitueretur, & a vulgarium medentium turpi praeſidio, ac putido procuratu, vendicaretur. Igitur nos id, quod in terminthis atque aliis pleriſque fecimus, in hanc quoque rem diligentem operam navabimus, ut plana tota reddatur; ſi tantum is, qui lucem altam inhabitat, cujus aliquam particulam noſtris allabi ſenſibus conceſſerit.

## QUAESTIO I.

### *De notione Epinyctidis.*

NOminum verbis imponendorum ratio varia fuit Graecis auctoribus, quemadmodum Galenus explicavit, *lib.* 2. *Methodi therapeut. c.* 1. A laeſa enim particula dicta eſt cephalaea, phrenitis, ophthalmia, peripneumonia, pleuritis, nephritis, iſchias, podagra, dyſenteria. A ſymptomate vero nomen accepere lethargus, vigilia, coma, palpitatio, dyſpnoea, paralyſis, ileos, teneſmus. A cauſſa, ſiquidem melancholia, cholera, aqua intercus, leucophlegmatia. A ſymptomate [illegible] parte affecta, cephalalgia, odontalgia, cardialgia. A ſimilitudine ad aliquid extra poſitum alopecia, ophiaſis, polypus, cancer, elephas, myrmecia, ſycoſis, morus, thymus, vua. Denique ut nonnulla brevi perſtringam, a tempore nuncupati ſunt ephemera, nyctalops, *Epinyctis*, inſtituti jam noſtri ſermonis materia; cujus & ipſum etymon diligentius eſt enarrandum: nimirum alii, quorum uni ſunt Celſus & Galenus, ab ea, quod noctu apparet, dictam volunt; alii, quorum eſt Julius Pollux, Aetius, Paulus, Plinius, ab eo, quod noctu moleſtiam exacerbat.

Jam vero te non perturbet pauca haec diſſenſio, quod hi quidem ad nocturnos exortus, hi ad nocturnos aggreſſus, retulerint nomen; id enim utrumque conſtare poteſt, auctoribus Joanne Gorraeo Pariſienſi, *definit. medic.* τῷ *E.* Et Philippo Ingraſſia, *comment. de tumoribus praeter naturam* 34. ac denique Ludovico Septalio, *in comment.* 2. *ad lib. Hippoc. de aere atque locis P.* Porro, quo tempore, & quibus vigentibus cauſſis, ſua primum initia novit affectio; iiſdem etiam & quotidie efflorescere, ut loquitur Hippocrates, vel exaltari, quod Paracelſiſtae dixerunt, id eſt, exacerbari, veriſimile eſt; quamquam etiam neque perpetuum eſt, ut ipſa oriatur noctu, ſed fere apud Celſum, id eſt, maxima parte; ut Ingraſſias explicavit. Igitur utroque complexim nomine latam *Epinyctidem* opinari licet, & quod veſperi primum ſurrexerit, & quod hoc etiam tempore novos ſemper inſultus inſtauret; de quibus omnibus cauſſis tum naſcendi, tum invadendi, proprietatibus, poſterius inquiremus.

Interim, homonymiae dirimendae cauſſa, non omittenda eſt altera *Epinyctidis* uſurpatio, qua uſus eſt Plinius, *l.* 20. *Natural. hiſtor. c.* 6. ad notandum ulcus, quo videndi acies hebetatur, in oculi angulo perpetuum humorem manante coarctatum: fortaſſe autem promptius hoc nomen oculi vitio accommodavit Plinius, qui legerat apud Hippocratem, *lib.* 5. *&* 7. *epidem. affectionibus: circa Oculum dolores ad noctem.* Sed enim Plinius, ſi recte adverteris, etiam per appellationis modum, duarum affectionum diſcrimen prodidit; quandoquidem ocularium *Epinyctidem* ſingulariter, alias vero, quae nocturnam inquietem invehunt, numero plu-

rium

rium extulit: quo numero nominarunt semper Oribasius, Aetius, Paulus, Actuarius, justam quidem hujus rei mentionem professi; modicam enim Hippocrates, *lib. de aeribus, aquis, locis, n. 4. & lib. 2. prorrheticorum, n.* 18. Sunt haec de etymo, cujus etiam luculentam suam rationem audies suo loco.

## CONTROVERSIA II.

### *De Genere morbi.*

INquirentibus rite nobis *Epinyctidis* omnem naturam, prima quae se offert, generis est quaestio; in qua re statuenda non consenserunt omnes, qui de hac re tradiderunt, sive Graeci, sive Latini. Ex his primus Corneiius Celsus, *lib. 5. rei medicae c.* 28. retulit ad *pustulas*: atque ita etiam Plinius, *lib. 20. c. 6.* circa principium: Itemque Julius Pollux, *Onomastici, lib. 4. c. penultimo:* ac Synesius, *in commentariis*, ut est apud Raphaelem Volaterranum, *Physiologiae lib. 24. p. 75.* Sed, e Graecis, Oribasius, *lib. 7. Synopseos c.* 37. & post hunc Aetius, *l. 14. c. 61.* & Paulus, *lib. 2. meth. medendi c. 11. Epinyctidas* dixerunt *Ulcuscula*.

Novissime vero Philippus Ingrassias, ut ejus dissensionis aliquis modus esset, vi[illegible] id judicii interposuisse *pag.* 288. *F.* ut ab initio suae generationis statim [illegible]nidem sit ista; verum eadem *ulcusculum* reddatur. Sed Joannes Gorraeus, *lib. [illegible] med. litera E.* sensit nil referre, quod illi quidem *pustulas*, hi *ulcuscula* dixerint: sunt enim & ipsae pustulae ulcuscula. Mihi vero ipse placidius res utrorumque compositurus videor; si commonefecerim Auditorem, Graecos illos auctores, neque simpliciter *ulcuscula* protulisse, verum φλυκταινοειδῆ, id est, *pustuloſa* seu *pustuliformia*. Praeterquam quod & Celsus, qui *pustulas* dixit, idem & *ulcerari* post haec ipsas affirmavit.

Omnibus autem modis, utra praevaleat vis *tumoris* an *ulceris*, quaeres? mihi quidem cunctos hos interpretes observanti, neutra aut mista ex utrisque videtur; neque admodum apud hos interierit, sive *ulcuscula pustuloſa*, sive *pustulae ulcerosae*, id est, intus exulceratae dicantur. Sed Philippum Ingrassiam video saepe in id procedere, ut *tumorem* vocet: idemque placuit Ludovico Septalio, loco, quem proximo capite recitabo; quod neque displicere cuiquam debet, quando magis omnino *tumor*, quam *ulcus* videtur: testimonio autem est, quod *esserae* Arabum, quae simillimae sunt *Epinyctidibus* Graecorum, habitaeque a multis etiam ipsae; inter apostemata & exituras descriptae sunt ab Avicenna, nec non ab aliis: quin & circa hanc *pustulam* vehemens inflammatio est Cornelio, qui magnitudinem ejus fecit faba non majorem: quid, quod has duas voces parum inter se distare comperies, assiduo scribentium usu?

## CONTROVERSIA III.

### *De colore Epinyctidum.*

DIversam quoque coloris faciem *Epinyctidis* tribuerunt Graeci, quam Latini. Ex his enim Cornelio vel *sublivida*, vel *subnigra*, vel *alba*, esse consuevit; post quem Virum & *liventes* etiam colore proposuit Plinius. Verum Aetio, Pauloque, *subrupta* sunt *ulcuscula*, quibus diruptis cruenta sanies effluit, quem sanguinis fractum perhibuit & Julius Pollux. Quae scribentium omnium dissentio, conspectu primo levis quidem videtur; etenim Celso *color* est *varius*, Aetio, Pau-

Pauloque, conſtitutus & unus, qui *ſubruber* eſt : ad quam ſententiam acceſſit & Pollux.

Verumtamen hos inter ſe diſcrepantes compoſuit primus Joannes Gorraeus ; ſiquidem, ſub *colore ſubrubro*, & *ſubnigra* & *ſublivida* comprehenduntur ; omnis enim ſanguis etiam bilioſus, ſub cutem effuſus, in eos colores facile mutatur: Illud autem, quod Gorraeum torſit, eſt quod & *album colorem* interſeruit idem auctor. Cui etiam illud additur, quod & circa puſtulas vehemens inflammatio relata eſt: res certe ſic explicatu difficilis, ut offenſus, incompetenti rerum conſequutione, deſciverit a Graecis Ingraſſias. Verum enim vero, de *coloris albi* diſcrimine dicam ego poſt, brevi. Interim, quod ad conciliandos auctores pertinet, nulla inde difficultas ſuadetur, ſi heterogeneus hic Tumor ſtatuatur; ſive quidem humorum concurſu, ſive partis affectae varia difformitate : de qua re mox plenior, atque evidentior, demonſtratio parata eſt, ſi tantiſper attenderis.

## CONTROVERSIA IV.

### *De morbi Materia, ſecundum priorum opinionem.*

AD haec, & de humoribus, quorum vitio producitur *Epinyctis*, non leves ſunt, aut ſilendi modo, memoratorum auctorum diſſenſus; Aetii, ſiquidem, & Pauli, opinione ſatis apparet ſanguinem eſſe, qui cauſſa ſit mali ; tum inde, quod *ſubruber color* afferitur, tum quod *ulcuſcula dirupta* ſanie cruenta manant. Contra vero Celſus decrevit, *adaperta puſtula*, mucoſam intus exulcerationem reperiri: atque hanc humori, ex quo facta ſit puſtula, ſimilem colore. Praeterea ſi *color* interdum eſt *albus*, pituita profecto erit, cui reſpondeat ; & quoniam item *ſublivida* facies ejuſdem eſt & *ſubnigra;* bilem atram haec arguent: qui ſucci ſe produnt etiam nocturno motu; atque ut planius dicam, nocturna exacerbatione, quam ob eumdem humorum nocturnum motum, atque vigorem, inferunt.

Hoc binorum hominum diſſidium viſum eſt tanti Siculo Philippo, ut enodationi diffiſus, alteri parti adhaerere crediderit praeſtabilius, quam leves aut infirmas conciliationes comminiſci: apparuit autem Cornelii definitio potior, ut quae magis ſibimetipſi conſtaret; qua definitione morbi opifex, aut pituita, aut melancholia videtur adſtrui ; qui duo ſucci nocturnos ſoli dolores movere poſſunt. Quantum igitur hanc ob cauſſam Celſiana propoſitio Philippo probatur; tantumdem Aetii, Pauliquo, refellitur; per quos ſanguis effectrix cauſſa proponitur: cujus vi & natura tantum abeſt, ait, ut *Epinyctis* induci debeat, id eſt, noctu gravans dolor, ut verius *Ephemerus*, id eſt, diu moleſtans appellari debuerit. Eſt autem Philippo ſuccus, qui praevalet ad effectum hunc excitandum, praecipuus nitroſa pituita, unde & *albus tumoris color* exiſtit, & ob quam adaperta intus *puſtula mucoſa ;* qualis in ceriis & achoribus exulceratio reperitur. Altera poſt hanc atrae bilis eſt potio, unde *ſublividus* alter ſit color, aut *lividus* etiam, ſi plus ejus humoris affinxerit; aut poſtremo *ſubniger*, ſi plurimus idem acceſſerit.

Haec Ingraſſiae ſententia, & Celſiana tuitio, tam multum ſibi viſa eſt efficax; ut vanam etiam exiſtimaverit defenſionem eorum, qui vellent adſtruere, poſſe fieri, ut Tuberculum principio quidem *ſubrubrum*, mox in *livens*, aut *ſubnigrum ulcuſculum*, immutaretur ; quippe firmus in eo Philippus eſt, ut contendat omnibus modis negari non poſſe, ſanguineam ac bilioſam exſuperantiam, aut utriuſque miſcelam, interdiu vexatrices ; pituitoſam & atrabilariam, noctu graviores eſſe. Contra quam tamen Ingraſſiae contumaciam eſt, quod avertere poſſit quiſpiam.

piam. Nimirum, neque *ſubrubra* facile ſanguinem abſolute coargui carnem vitio tactam, & alieno quovis appulſu ſucci computreſcentis inflammatam, *colorem* interdum *inflammationi conſentaneum* indipiſci: quemadmodum, ſcilicet, ex coryza videmus hyeme nares interne, atque externe, flagrare, ac per brumales rigores internodia manuum rubella, & gravi, puſtula tentari.

Neque ſit tam difficile Philippo, bilioſum humorem noctu moveri, quando febres tertianae, & hemicranii paroxyſmi, per noctem haud infrequenter, ſtatis periodis, accedant. Praeterea, neque ſi bilis, aut calidus humor is, adſtruatur, qui moveat *Epinyctidas*: propterea fit, ut noctu invadere non poſſit: ſed ſatis eſt, ut noctu moveatur; quippe mutatis humoris ſedibus & fluctuante ipſo, clara Hippocratis doctrina, *in lib. de natura humana* 23. neceſſum eſt, dolorem conſequi duplicem, & unde egreſſus humor eſt, & ubi redundat. Quibus addit Galen. *text.* 21. *ejus comm.* hoc inprimis evenire per illos humores, qui validas habent vires; ſiquidem non ſolum multitudine particulam in quam declinaverunt, aggravantes; ſed etiam qualitate dolorem inferunt, cum exealfaciant aut refrigerent inſigniter.

Atqui *humor is*, quem memoramus (inquam ego Severinus) talis ad unguem eſt, qualem delineat Galenus, eſt autem haec, mea quidem opinione, *pituita nitroſa & ſalſa, cum plurima ſucci melancholici portione commiſta*. Quorum ego duorum humorum concurſum, tum ex ſymptomatis jam indicatis, ſed plenius etiam exponendis, conjicio: tum ex Oribaſii, Aetii, Pauli, teſtimonio; qui nominatim acetum & ſalſa in eſum abſtinenda monuerunt. Porro ſalſa talem etiam pituitam plane augent; auget etiam acetum melancholiam, aucta videlicet hujus ſubſtantia, praeterquam quod acetum & aliam ob cauſſam damnatur, de qua nos paulo poſterius dicemus.

Haec ego de humoribus *Epinyctidas* procreantibus habui; quaecumque autem adverſus Ingraſſiam digeſſimus, eadem etiam diſputata putes contra Ludovicum Septalium, qui *comm.* 2. *ad lib. Hipp. de aerib. aquis & locis*, ſuffuratum ex Philippo judicium unum idemque protulit.

## CONTROVERSIA V.

### *Utrum calidus an frigidus ſit hic affectus.*

DE qualitate hujus affectus non ita promptum eſt decernere; nam & plerique ſuadent frigidum, & non deſunt, quae demonſtrent calidum: ex *frigidorum* eſſe ordine, ſtatues utique, ſi ſpectaveris nocturnos adſciviſſe ortus, nocturnoſque motus. Sed neque colores hujus a Cornelio relati, qui ſunt albus, ſublividus & ſubniger; praeterquam humoris ſubſiſtentis frigidi ſunt facies, & indicia: quae autem affectionis diuturnitas, & adverſus multas, magnaſque medelas contumacia? quae in arthritim, artuumque languores, affinitas ac tranſmutatio? quin, praeterquam in frigidas affectiones ſecedat; ſui etiam ipſius natura extremas corporis partes, a coloris fonte diſſitas, tentare ſolita eſt haec morbi ſpecies. Poſtremo Veterum auctorum curatio ad frigidiorem affectum videtur adverſa, quae multa continet calida; quale mel eſt, braſſica, ruta, centaurium, ſeſamum, calx cum oleo, ſulphur, vinum: quae primus Oribaſius & huic ſuccedentes Aetius, & Paulus, praecepere.

Ex adverſo, de *calore* teſtantur, & doloris acrimonia, & puſtulatio; quae ſine fervore non eſt; ad haec inflammatio vehemens, de qua Celſus, & color ſubruber,

ber, de quo Paulus, & Aetius, retulere: quibus factum eſt fortaſſe, ut has curandas Actuarius cum phlyctenis, calidis eruptionibus, & iis, quae a fervore ingenti *perizomata* nuncupantur ; item aduſtionibus, *libr. 6. method. medendi c.* 8. voluerit. Sed neque febris abeſt ſemper ab hoc morbo, qui potiſſimum inſectatur juniores hoc noſtro tempore, quamvis enim Hippocrates *lib. de aeribus, aquis & locis*, *Epinyctidas* viris nominatim attribuerit: tamen in Auſtralibus, & Meridiei ſuppoſitis, plagis id ſtatuit ; quod neque noſtro placito adverſatur, ac fortaſſe etiam adſtipulatur, dum a caloris limitibus, & hypotheſi, non ablegamus. Sed & craſes naturaſque omnium, quas ſibi ſubjicit morbus, ad calidiorem notam hae vergunt omnes: nocent autem his calida, nam inter caetera ſol, balnea, fomenta ſunt cavenda, monito Oribaſii, Aetii, Pauli : ita non dubium apparet, in calidis reponendum hunc affectum. Verum enim vero, quid, quod aliud ante fuerat ſuaſum; an igitur in ancipiti judicio conſiſtamus?

Philippus quidem Ingraſſias deliberate profeſſus eſt, *tumorem calidum* : quae quidem opinio minimum eſt conſentanea Veteribus, neque rationi, ſicuti mox apparebit: enim vero morbus hic heterogenea conſtat materia nec ſimplices ſunt humores calidi, neque frigidi, ſeu utriuſque modi ſunt, aut utramque naturam ſervantes; certe ſanguis non deeſt, qui fundamentum eſt humorum omnium, ſeu ſecundum naturam, ſeu praeter naturam habentium. Deinde & alio nomine, ſi Graecos ſequaris, quod color *Epinyctidum* ſubruber eſt, unde & apud Celſum inflammatio vehemens accenditur: verum tamen hic ſanguis plurimam aduſtionem agnoſcat oportet, qui ſublividum aut ſubnigrum Celſo colorem facit.

At, pituita ex intervenientium humorum excludi numero non debet, quae nocturnam mali generationem architectatur : quemadmodum paulo poſterius explicabo. Haec autem ex aliqua parte admiſta colorem album, cujus apud Celſum eſt mentio, facit. Verum haec nocte vigens interdiu diſſipari videtur : melancholia vero aduſta, de qua modo dixi, perſiſtit firmius ac longe ſuperat; ut ex ſymptomatis, & cacoethia, luculenter apparet: cujus cauſſa Cornelius *peſſimam puſtulam* enunciavit, ex qua una materia utramque qualitatem complectente ; ut ſupra de ſyphilide diſputans oſtendi, conflatus hic morbus tum calidus tum frigidus, aut certe neuter, veluti cancer & cancroſa ſtruma, dici poteſt.

Habes jam noſtram de vitii qualitate & complexione ſententiam.

## PROBLEMA VI.

### *De dolore nocturno, diſputatum.*

NOn parum equidem anceps fui, num adſiſtens *Epinyctidi* dolor, periodicus habendus eſſet, qui nocturno tempore protinus emicat, paratoſque ſuos aculeos defigit obnoxiis; verum periodi quotidiani, tertiani, quartani, aut alii, ſuos ſinguli paroxyſmos indiſcriminatim, tum diu, tum noctu, complicant: at vero dolor *epinyctícus* nocturnum ſibi privatim, & peculiariter, adciſcit; quam ob cauſſam alia mihi hujus, quam illius recurſus ratio videtur adferenda: propterea, relicta via veſtigandarum periodorum communi, propriam aliam & ſingularem inſtituam. Referam autem primum aliorum opiniones ; quorum unus Philippus Ingraſſias, *lib. de tumor. praeternat.* 34. cauſſam omnem retuliſſe videtur ad condenſationem cutis, & hujus meatuum obſtructionem, quae a ſuperveniente aeris frigore inducitur: Sic enim non exſpirantes, ſed coacti ſub cute halitus mali dolorem, ſeu ſimplici ſua retentione, ſeu cutis aliqua diſtentione, movent.

Sed haec Philippi ratio non ſatisfacit; ad hunc enim modum & diurno tempore, quod nocturno frigidius incideret, facta ejuſmodi conſtipatione dolor vexaturus pariter eſſet. Adde, quod interdiu ad pluvioſos & ventoſos, nivoſoſque, aeris occurſus *Epinyctides* expoſitae dolitare deberent magis, quam noctu; quo tempore ſub tecto, in concluſo, & igne percalefacto, conclavi, contecta ſtragulis, & tentoriis, ſoventur membra. Quibus omnibus non ſic obdenſari atque adeo non ſic affligi deberent *epinyctidibus* obſeſſae partes, itaque cutis denſatio cauſſa ſimplex ejus doloris non eſt, ſed certe alia, quae nobis eſt haec.

Meminiſti *cauſſam mali continentem*, poſitam a nobis, *melancholicum humorem, ex ſanguine ſcilicet aduſto*; tales enim ad unguem ſunt naturae & corporaturae, quae vitium hoc incurrere conſueverunt; hic quidem humor, ut noſti, fixus eſt: caeterum ad hunc accedit pituita non fixa; quae cum noctu cumulatur, cauſſam doloris exhibet ad hunc modum. Notum eſt, aridam calcem, injecta aqua, ſtatim exardeſcere atque fervere; refert autem calcem melancholia, ut quae cinis & ipſa eſt; Galeno ſaepe numero teſtante, tum *lib. de atrabile*, tum *aliis pleriſque locis*. Praeterea refert aquam pituita, ut quae frigida eſt & humida, perinde ut illa: itaque ſi fluxa pituita, ad melancholiam nocte mota, ſquallorem ejus irriget ac madefaciat, fieri poterit, ut excandeſcat melancholia, aeſtuanſque dolorem accerſat: ſed ſic accidit quidem, ut accreta & mota noctu ad melancholiae ſedem, nimirum ad debilem partem, accedat pituita; igitur efferveſcet ab hac illuvie melancholia, doloremque in epinyctica compage acciet.

Atque inde quidem eſt, quod uſum balnei, fomentique, ad *Epinyctidum* curationem tres uno conſenſu ſcriptores *Graeci*, diſertis verbis, omnino prohibuerunt; quin & inſolationis uſu interdixerunt, eam ob cauſſam, quantum equidem opinione aſſequor, ut ne multus praeſenti ſiccitate fieret acceſſus; materia certe mali ſpectata, quae ſicca eſt & aduſta. Denique voluerunt abſtinendum & aceto; quippe quod ut ἀναγωγή, id eſt, ferveſcat humor melancholicus, facit Hippocrate auctore, *lib. de ratione vict. in acut.* atque etiam Galeno, magiſtrum hunc ſequuto, tum *hoc loco*, tum *lib.* 4. *aphor.* 21. & 23. quod intelliges ex fermenti definitione tradita per Platonem *in Timaeo*, quae eſt; Fermentatio eſt partis terrenae motio, & in aerem converſio: ut enim per acidam ſubſtantiam attenuata ac percalefacta panis maſſa, ſic iſta circumtollitur & ampliatur. Jam igitur, ut ne ab aceto commoveatur, & exardeſcat humor, hic *Epinyctidis* ſator, cavere jubemur unice ab aceto.

Sed enim inſtabis dicens, & acetum ſub ſulphure a Paulo Aegineta; cum ſeſamo vero, aut lithargyrio, ab Aetio, propoſita. Ad quod quaeſitum reſpondeo, extrinſecus quidem acetum extenuare diſſolvereque tubercula, id quod adverſus lienes facit, quamquam Oribaſio (quod refert Aetius) pro aceto teritur cum vino potius. Ita jam plenis veterum omnium ſuffragiis, comprobatiſque ſingulis horum traditionibus, ac nulla relicta prorſus ambiguitate, certum, ratumque, appareret noſtrum de *Epinyctidibus* aduſta natura, nocturnoque dolore, decretum.

## CONTROVERSIA VII.

### *De parte affecta.*

POſt haec autem vide, num in affectus ſede perhibenda conſenſerint auctores modo omnes citati. Porro, primus Hippocrates, mox Oribaſius, Aetius, Paulus, nullam *Epinyctidibus* partem corporis praeſcripſerunt, aut excluſerunt, ve-

verum totum huic affluxui corpus patere ſunt profeſſi: ſed unas tibias, ac pedes huic malo ſubjecit Julius Pollux. Quorum tertius, Cornelius Celſus, has puſtulas eminentibus corporis partibus addixit; quam Cornelii ſententiam Polluci plurimum adverſantem credidit Philippus Ingraſſias, qui partes eminentes interpretatus eſt umbilico ſuperiores, tamquam eminentes ſint, quae emineant; id eſt, ad ſummam corporis partem ſpectent, & caeteris incumbant; itaque, ut hos componat: id quod ad exortum nocturnum Cornelius addidit (*fere*) Philippus hoc ad eminentes partes retulit; cum magno ſcilicet ſenſus diſtractu, ac enormi concinnitatis injuria: piget autem Ingraſſiae, viri quidem Latinarum, literarum nam neque Graecarum, non ineruditi, qui tantum elegantiae non diſcreverit; quae eſt exporrigi Graece ἐξέχειν atque extra corporis, ut ita dicam, truncum manere: id quod Celſus declaraſſe videtur, cum explicuit *de his raro evenientibus, in medio corpore, ſed ſaepe in eminentibus, id eſt, exſtantibus ramorum modo partibus.*

Sentit mecum (res, quae poſtmodum lecta mirum in modum placuit) eruditiſſimus Marcellus Vergilius, *in Comm. lib.* 1. *Dioſcoridis cap.* 122. cujus de hac ipſa re verba ultro patieris huc afferri; quae ſunt: vocatque ille (Celſus puta) eminentes partes, quae longius a medio homine diſcedunt, & quaſi ex trunco pendunt, quales ulnae, manus, brachia, cruraque & pedes ſunt. Haec ille. Quibus vides, non diſcrepare quidem a Polluce Cornelium, niſi quantum hic & brachia, manuſque videtur comprehendiſſe. Rem a Polluce fortaſſe non negatam, ſed qui tibias ſaepius affici compertum habebat. Jam autem hanc enarrationem partium nudis nominibus definitam, exactiorem nos alteram ordiemur; qua demonſtretur, ſcilicet, particulae ratio privatae, quae in ſingulis iiſdem artubus vim morbi ſuſcipit.

Haec nonnullis judicibus eſt perioſtium propterea fortaſſe, quod parte tibiae anteriore, non poſteriore, viſatur haec affectio, ſimul etiam quod acerbe dolet; membranae autem ſunt, quae non mediocriter dolent. Verum haec opinio facile refellitur; primum, quod dolor *Epinyctidis* minime punctorius, neque tenſivus eſt; quin potius inflammatorius & incenſivus. Deinde perſpicue videntur affectae carnes puſtulis roſeis undique diſtinctae, quod ſi perioſtia membrana vitium ſubſtitiſſet in principio, non ſpectarentur utique tubercula per carnes, muſculoſque, fuſa: ſed color puſtulae ſubruber longe aliud declarat, quam quod competat perioſtio. Jam igitur, quando perioſtium excluſum eſt malo: noſtra eſt opinio, partem, quae ſubluviei dolorumque malis influxibus ſubdita eſt, exteriorem carnium & muſculorum faciem eſſe; cui cutis intima pars incumbit, hac intercapedine ſtabulatur mucoſum illud & ſemiputre concrementum, in fabae magnitudinem coactum: quale quantumque Celſus citato loco deſcripſit. Quoniam autem cutis inficitur ſubterius, quae diaphana eſt, propterea nonnullam vitii ſpeciem in ſe diffuſam oſtendit.

## CONTROVERSIA VIII.

### *Definitio ex pluribus una quae recipienda.*

EXacta legitima quaeque definitio, genere proximo conſtat ac propria differentia: quorum utrumque cum uno plura non exſtent, fit inde, ut unius maturae plures una definitiones tradere non liceat. At vero perfectae definitiones humanitus non dantur propterea, quod ultimae, ſicut Philoſophi loquuntur, differentiae ſunt ignotae: plurimum ergo deſcriptionibus, id eſt, definitionem aemulan-

lantibus explicationibus, quae nimirum coagmentatis accidentibus confiatae ſunt, uti conſuevimus, quales quidem & unius rei plures eſſe poſſunt; ut in aliis, inquam, facultatibus & artibus, ita & in noſtra Medicina. Itaque *Epinyctidis* non una, ſed multiplex ejuſmodi declaratio fuit apud ſcribentes; quarum omnium optimam minime promptum eſt ſeligi. Sed neque omnes homines in delectu conſentiunt, aut neque omnes rei enarrationes pariter ſunt acceptandae: quamquam enim verum vero non diſſentit, tamen non aeque ſingularum apparet veritas. Ideo ne mirum quidem fuerit cuiquam, ſi Principum noſtrorum auctorum doctrinae, nunc a nobis in examen, aut in delectum ponantur, praeterquam quod cogit nos Philippus Siculus, (qui Paulum *in libro* 1. *Jatropol. c.* 3. cunctorum praeter Hippocratem & Galenum optimum aeſtimavit) hujus nunc teſtimonium & auctoritatem, ut & Aetii videtur renunciaſſe; quandoquidem hanc confutatam & falſi redargutam latinis praetulit, quam nos rem praeſertim non ante judicatam, aut diligenter expenſam, procedere non debemus pati; verum ad dexterum ſenſum etiam dextere non explicatas trahemus opiniones eorum, qui tradendarum nobis aut explicandarum Medicinae rerum curam ſumpſerunt; atque eo etiam amplius, quod ab Antiquioribus omnia ſua ſcripta compilaſſe confeſſi ſunt Oribaſius, Aetius, Paulus. Primus igitur, qui citatur, ab aliis, Oribaſius, *lib. 7. ſynopſ. c.* 37. *ſic Epinyctidas* definivit: *αἱ ἐπινυκτίδες ἑλκύδριά εἰζιν ἀπό ταυτομάτου ἐξανθοῦντα φλυκταινοειδῆ ὑπέρυθρα; ὧν ἐκρυκνυμένων ἰχὼρ ὑφαιμος ἀπορρεῖ, ταῦτα τῆς μὲν ἡμέρας κ πάνυ ἐνοχλεῖ, νυκτὸς γαρ ἐπόδυνώ ἐσιν μᾶλλον, ἢ κατα το ἕλκος.* Quorum is latine ſenſus eſt, *Epinyctides ſunt ulcuſcula ſponte naturae erumpentia, puſtulis affinia ſubrubra: ex quibus diruptis ichor ſubcruentus emanatur, per diem non magnopere excruciant; per noctem vero magis, quam pro ratione, ulceris dolore torquent.*

Appenſam hanc definitionem ſua lance reprobavit Ingraſſias, quod duo adſtruat; alterum quod ex ſanguinis exſuperantia productus affectus ſit; alterum quod noctu pluſquam ulceris ratio poſcit, indoleſcat; qui dolor ex ſanguinea materia profectus interdiu potius advenire deberet. Sed nos hanc oppugnationem nullam fecimus in Controverſia tertia. Itaque cum ſibi res conſtet, quod ad hoc ſpectat; nam neque aliud animadvertit Philippus, caeterum ſupereſſe videtur, ut Graecorum definitio, cum ea, quae Latinorum eſt, & prima Celſi conferatur; quam nos rem hercle ſine auctorum invidia peragemus.

Ait Cornelius; *Peſſima* puſtula eſt, quae *Epinyctis* vocatur, ea colore vel *ſublivida*, vel *ſubnigra*, vel *alba* eſſe conſuevit: circa hanc autem vehemens inflammatio eſt; &, cum adaperta eſt, reperitur intus exulceratio mucoſa: color eſt humori ſuo ſimilis, dolor ex ea ſupra magnitudinem ejus eſt, neque enim ea faba major eſt, atque haec quoque oritur in eminentibus partibus & fere noctu: unde nomen quoque a Graecis & *Epinyctis* impoſitum eſt. Haec ille: quae non eo quidem inſtituta videntur, ut brevi morbum finiant, ſed utcumque doceant & exponant: itaque enarratio eſt diexodica potius, quam periodica; ac potius hypotypoſis, quam *ὁρισμὸς*; atque adeo non cadit in numerum, & comparationem, aliarum definitionum. Tametſi rectam hanc doctrinam, & cum Graecis utriſque conſentientem, & nunc afferimus, & ſupra oſtendimus. Verum enim vero, poteſt ex tot omnibus una definitio concinnari, quae ſit; *Epinyctis* eſt puſtula, vel ſublivida, vel ſubnigra, vel alba; circa quam vehemens inflammatio eſt, & in qua adaperta reperitur intus exulceratio mucoſa; perdolens ſupra vitii magnitudinem, oriens in partibus eminentibus fere noctu. Hanc quidem orationem videris ab Oribaſiana diſcrepare in genere, in colore, contentis. Sed diſſenſus iſtos omnes nos ad conſenſum revocavimus. Atque ita liberum eſt cuiquam, vel hunc vel illos auctores ſequi.

Sed

Sed poſt haec examinanda reſtat ſententia, definitioque, Julii Pollucis; qui ait; ἐπινυκτὶς πλυκταίνα ὑποπελίδνος, ὕφυγρος, ἔναιμος περὶ κνήμας εν νυκτὶ γενομένη. Quae Latine, ſunt me quidem interprete; *Epinyctis eſt puſtula ſublivida, humore ſuffuſa, ſanguinem referens circa tibias, pedeſque, noctu exoriens.* Hujus definitionis ſenſus partim tuetur id, quod Celſus de colore ſublivido, invaſuque nocturno, expreſſit: partim amplexatur ſententiam aliorum, qui, de materia ſanguinea, contenta perhibuerunt. Quamobrem erraſſe comperitur Philippus Ingraſſias, qui eamdem hanc cum Cornelio convenire, a Graecis vero diſcrepare, judicavit. Quin etiam in eo deliquit, quod hanc ex eodem Polluce recitavit, perperam interpretatam ad hunc modum; Puſtula ſublivida, modice extumeſcens, plena ſanguine; in tibiis & pedibus fere noctu infeſtans. Porro quod τὸ ὕφυγρος modice extumeſcens redditum ſit: haec non reſpondent vocabulo, quod ſubhumida valet. Deinde quod γενομένη genita, noctu infeſtans verſum ſit, hoc quoque falſum: in qua re magis accuſandus eſt Philippus; qui, cum in nocturno morbi exortu conſentiant Cornelius & Pollux, tamen ſtatuit, contradixiſſe Celſo Pollucem, qui noctu moleſtantem *Epinyctidem* fecerit.

Ad hunc, inquam, modum reliquit Philippus, definitionem Pollucis adferens, non tam quidem ipſe, ſuo ipſius judicio, quam lexicorum teſtimonio fretus; non minus autem lapſus eſt Rudolphus Gualterus eruditiſſimus alioqui Pollucis interpres, qui ὑποπελιδνόν lividum tranſtulit, nullo inter πελιδνόν, καὶ ὑποπελιδνόν lividum & ſublividum diſcrimine facto; quaſi vero gratis & libidine temeraria τὸ ὑπὸ praepoſitum fuerit; non ſpectato plane, quod in definitionibus nil temere proponatur: quod magis mirum fuerit, quod τὸ ὕφυγρος ſubhumida eſt interpretatus, quaſi vero retulerit hoc nomine τὸ ὑπὸ reddere, in altero vero nil retulerit.

## CONTROVERSIA IX.

### *Epinyctides Graecorum, Eſſeraene ſint Arabum.*

HAec controverſia praeclaros habuit diſceptatores; quales fuerunt Joannes Manardus, Joannes Tagaultius, Philippus Ingraſſias; inter quos equidem auſus ſurgere non fuiſſem, ſi diſputationem hanc diſſimulare licuiſſet. Verum interpellavit me Problema majorem in modum, quam ut ſilentio praeterire potuerim. Referam igitur, qualis qualis ſit, opinionem meam, rationibus alioqui pro hac allatis, quae diſpliciturae non ſint, ſi tantum aequos ac doctos judices nactae fuerint. Tagaultius *lib. 1. c. 2.* diſertis verbis profeſſus eſt, Arabum *Eſſeras*, *Epinyctidas* eſſe Graecorum. Sed Manardus, *lib. 7. ſuar. epiſtol. medicinal. 2.* Graecorum *Epinyctidas* praeciſe contulit ad *Eſſeras* Avicennae: cujus illa deſcriptio legitur *lib. 4. fen. 7. Eſſere eſt puſtula parva, lata ſicut veſica, & ad aliquantulam tendens rubedinem, & pruritum faciens, & anguſtias; eveniens ſubito ſecundum plurimum; & accidit quandoque, ut currat ab ea humiditas, & fortaſſe eſt ſanguinea, & ſecundum plurimum fit vehemens in nocte, & ejus anguſtia fit in ea vehementior; & ejus triſtitia.*

Quae magnorum quidem hominum, ſed levi collationis examine concepta, opinio, haud mihi diligentius expendenti probari potuit: ſed neque probabitur fortaſſe, cui rationes hae, quae ſequuntur, fuerint perpenſae: quas tu quaeſo purgatis auribus audi. Principio *Eſſere* videtur affectus ex acutorum genere, quod & modus generationis declarat, qui cito fit, ut Avicenna docuit, & cito etiam diſ-

ſol-

ſolvitur, ut recte notat Philippus Ingraſſias; qui teſtatus eſt experimentis, tum in ſe ipſo, tum in aliis perſaepe factis, ſola venae ſectione, internaque ferventis, bilis ac ſanguinis, frigidae copioſo potu, vel cujuſpiam alterantis cremoris refrigeratione, ſanatos; quin etiam interdum ſanguinis duntaxat miſſione corpus adeo refrigerari periculum feciſſe afferit, ut extemplo detumuerit cutis, atque ex aſpera levis reddita fuerit; extincto enim (aliquanto poſterius ſubjunxit) fervore, remotaque illius cauſſa, continuo deferveſcit ſanguis.

Quod ſi Philippi teſtimonium inficiaberis; en principem Avicennam, qui conceptis verbis ait, & cauſſa eſt ejus *Eſſere*, ſcilicet, (quod indeclinabiliter effertur) *vapor calidus elevatus in corpore ſubito, aut a ſanguine cholerico, aut a phlegmate baurachio: baurachium* autem Dinus interpretatur *falſum*, quod eſt admiſtum cum cholera. Huc autem vide, quae de vaporis materia ſcripſit Nicolaus, *ſerm. 7. ſum. 1. tract. 9. c. 19.* Et recte quidem atque conſtanter, inquam, ejuſmodi traditur hic halitus, quando pruritum etiam invehere dictus eſt apud Avicennam.

Affectus igitur hic apprime calidus apparet, tum ex his, tum quod anguſtiam, id eſt, aeſtum vehementem, ut in variolarum eruptionibus Nicolao teſte inducit, febremque tertianam accerſit, materiae ſcilicet utrobique fervidae communitate: qua fit etiam, ut nunc praecedant hae febres, ut dictum eſt, nunc ſubſequantur, quod ex Arabum etiam ſententia propoſuit Ingraſſias, *pag.* 198.

Atqui tot, & tam multum, calidae notae neutiquam ab ullo Graecorum attributae ſunt *Epinyctidis*: quin etiam ſi recte perſpicis, haud ita multus huic impoſitus fervor eſt; quando nulla viſcerum internorum attemperatione, vel refrigerantium oblatione, curata eſt affectio: verum per exſiccantia & horum plurima calida, licet exteriora quibus & qualibus unis, plurimum haeſiſſe Veteres apparet: quando & talia ſunt ea, quae praeceperunt omnia, & exſiccationem in primis nominavit primus horum auctor Oribaſius, mox Actius, & ipſe idem Actuarius, *lib. 6. meth. Med. cap. 8.*

Sed extra Graecos, Cornelium Celſum etiam requiramus, qui de morbi genere videatur ſenſiſſe, ac certe contumacem, & longum profeſſus eſt, *cujus colorem lividum, ſubnigrum, album, humori ſuo ſimilem; deinde mucoſam exulcerationem adaperta jam reperiri dixit.* Id declaravit & remediis, quae adhibenda voluit: nimirum, ut qui tentatur hoc morbo vir, deſudet in balneo, ſimulque ſuper eas puſtulas nitrum inſpergat, oleoque vinum immiſceat, & ſic ungatur, tum deſcendat in ſolium: ulcera vero ex puſtulis facta tollet, ait, argenti ſpuma cum ſemine foenigraeci miſta ſic, ut his invicem roſa, atque intybi ſuccus adjiciatur, donec mellis craſſitudo fiat. Haec ex Celſi doctrina *Epinyctidos* eſt vitioſitas: quam vidit, & Joannes Manardus, id teſtatus in *lib. 7. epiſt. 2.* minime autem naturam ejuſdem comprehendiſſe videtur Philippus, hujus auditor; cujus opinio fuit, *puſtulas eſſe fabiformes, artubus ac toto corpore confertim apparentes; brevique, non diu, permanentes.* Chronicus autem affectus *Epinyctis*; ſiquidem quae *peſſima puſtula* eſt, ea melancholica: ſed haec difficilis curatu ſemper, ac plane refractaria eſt.

Ex his igitur omnibus, ut ad propoſitum revertamur, plane perſpicitur; acutum hunc *Epinyctidis* affectum, quales Arabum *Eſſere*, non eſſe, ſed chronicoteron; ac tum propter alia, tum quoniam in tibiis, & eminentibus tantum partibus, naſcitur, & calidioribus remediis vincitur, rigidiorem. Accedit, quod nullam ejuſmodi puſtulam, ex qua vel ſanguis, vel ichor, vel quivis alius humor manaret, conſpexiſſe nobis aliquando permiſſum eſt; per habitum namque ſenſibus occultum diffiantur, ait Philippus citato jamdudum loco. Vide autem, ut mihi

la-

laborem repetendi leves, & quae idem Ingraſſias de Arabum in hac re perplexitate comprehendit, *pag.* 188. & 190. etenim, & ſi nonnulla ſenſiſſe cum Graecis videntur, tamen in caeteris non conſtitiſſe ſibi ſe produnt.

Jam ergo poſtquam *Eſſere* Avicennae *Epinyctis* non ſunt; alios auctores exponi tibi petes. Ad quod quaeſitum reſpondeo; Serapionem vetuſtiſſimum, inter Arabas Medicos, ſcriptorem, *Eſſeras* diſcreviſſe in duplices; *altera forma* ducitur a ſanguine cholerico, quam materiam atque exortum atteſtantur vis & acrimonia; partes extumeſcentis rubor; aeſtuatio magis interdiu quam noctu; ac levamen ex refrigerantibus pharmacis, & phlebotomia. *Altera ſpecies* exoritur ex phlegmate ſalſo *baurachino*: cujus notae ſunt aeſtus noctu major, dilutuſque tuberculi rubor; & levamentum ex pharmacis detergentibus, & exſiccantibus, & citra ſanguinis detractionem perpurgatio corporis ex medicamentis extergentibus, atque emundantibus, propria ſubſtantia. Haec ferme Serapion.

An igitur ex duabus his *Eſſerae* modis, poſterior, qui noctu praevalet, *Epinyctis* Graecorum eſt? Haec ſane opinio non parum probabilem ſe facit his, qui ſinceriorem Arabum doctrinam ſequi velint. Porro praeter hunc unum Virum videntur caeteri corrupto judicio, & commentitia, ſcripſiſſe. Sed neque ab his, ſi modo Philippo credimus, eximitur Avicenna, qui Graecorum auctorum, & primi Serapionis, conſultis aeque codicibus, res utrorumque confuſit. Primum enim Serapionem ſequutus, & diurnas fecit *Eſſeras*, & nocturnas: mox ad Graecos latus *Eſſerae* definitionem, partim ad *Epinyctidis* graecanicae modum concinnavit; partim etiam de ſuo addidit halituoſam materiam. Deinde vero Curationem, quae apud Graecos tantum externa eſt, ſpreta ejus, quae apud Arabas eſt, diurnae *Eſſerae* medicationem internam retinuit, utrique i. e. nocturnae, ac diurnae, communem; qua quidem re quid incertius? quid inſtabilius? quid indignius Profeſſori fideli, gravique ſit, ait Philippus. Verum enim vero, non potuerunt ad Graecorum dignitatem, ac majeſtatem ſuccedentes barbarae ſcholae caſtigatiſſime, ac limpide, ex omni parte philoſophari; neceſſum profecto in horum doctrinam nonnulla irrepſerint, quae, aut ſinceritate, aut firmitudine, aut ſplendore defecerint, ut in anatomica, botanica, & nominum interpretatione, plana res eſt.

## CONTROVERSIA X.

*Quod Epinyctides Graecorum non ſint Arabum Benat noctis.*

AVicenna, *l.* 4. *ſen.* 7. *tract.* 3. *cap.* 10. quod eſt inſcriptum *de Benat noctis*, memoriae mandavit haec: *ſi quis paſſus eſt deſudationem cutis & oppilationem pororum, & bonitatem digeſtionis, quandoque accidunt in frigore noctis pruritus, & aſperitas, & Bothor parvae, quae nominantur Planta noctis; & cauſſa eſt retentio ejus, quod oportet, ut reſolvatur, propter conſtrictionem pororum in radice, quam adjuvat, & in qua addit ſoliditas frigoris, & proprie in hora, in qua multiplicatur digeſtio; & ſequitur multitudinem ejus multitudo vaporis, & aer noctis; & propter illud nominatur Planta noctis, quia plurimum accidentium ejus eſt in nocte: & de diſpoſitionibus hujus paſſionis eſt, quod pruritus in ea fit vehemens, & delectat prius, deinde perducit ad dolores vehementes, quos efficit in locis pruritus.*

Hunc ita deſcriptum morbum Philippus Ingraſſias ſenſit Graecorum *Epinyctidas* eſſe; primum indicio ſumpto a nomine, quod inſultum in nocte ſignificat. Deinde argumento ducto a generationis modo, qui eſt per condenſationem cutis;

ex

ex qua cauſſa, noctu exiſtente plus hoc tempore dolor, quam interdiu, accedat neceſſe eſt. Poſt quae, & definitionem *Benat* non traditam ab Avicenna, ad hujus ſententiam, conatur tradere Philippus; quam multo ſcilicet, tam irrito labore; quando gratis & ex ſuo cunctas definitionis particulas comminiſcitur potius, quam ad Avicennae ſenſum accommodet. Itaque piget ambages ejus & vanam confirmationem repetere; praeſertim, quando referat magis apud ſuum auctorem legi omnia.

Interim nos ab *Epinyctidis* opinione *Benat* longe removemus; vel hoc uno argumento, quod *peſſima puſtula Epinyctis* eſt, atteſtante Cornelio; cui ſuper omnes adhaeſit Philippus: *mitiſſimae* vero inter omnes *Benat*, quod cum bona ſanguinis concoctione conjunctum eſt. Adde, quod *Benat*, Avicenna auctore, principio quidem delectationem, mox dolorem vehementem inducit; at vero nulla unquam ab *Epinyctide* delectatio eſt. Praeterea multo pleto plenius coibit cum *Epinyctide*, vel Avicennae verbis, *Eſſere*, quam *Benat noctis*; eſt autem illa ex hoc ordine rejecta; ergo multo magis & *Benat noctis*: quare non eſt hoc utique *Epinyctis*.

Jam igitur quoniam incerta res eſt *Epinyctis*, & ſic obſcura noſtro ſaeculo, ut pro morbo jam obſoleto ſit habita; nitemur mox ipſi non exoletum, & obſcurum, oſtendere, ſed eum, qui quotidie cunctis liceat obſervari. Rem ſane difficilem ac plane incredibilem; verum ego plurimum probabilem, & certam omnino reddam, ſi modo Deus optimus maximus largitor intelligentiae praeſit; in quam rem illud facio ſermonis initium.

FINIS.



LIBRI

## LIBRI PARS SECUNDA.

# DE ROSEOLIS VOCATIS SALTANTIBUS,

## CONTROVERSIA I.

*Primum autem de harum nomine.*



Majorum noſtrorum memoria, vulgo percrebuit affectus, cui *Roſeolae Saltantis* nomen ; quo per vulgus trito meis hiſce ſermonibus , quos ad Latinos homines ſcribo , equidem abſtinerem ; ſiquidem proprium ſuum , id eſt , a doctis impoſitum aliud cognoſcerem ; verum admitto coactus , quod expedit , ut nil relinquere videar eorum , quae ad ſtabiliendam comprobandamque futuram noſtram ſententiam faciunt ; facit autem & vulgaris appellatio , ſeu potius per hanc notata res quaepiam , affectus nempe praeter naturam ; cui ſi noſtris & amicorum doctrina praeſtantium fidere licet obſervationibus , tum quidem *eſt macula ſubrubra , faeculenta , tumoris intrinſecus non expers ; ſed ſub indicata modo facie recondit tuberculum , quod tactu fabae vel lupini magnitudinem , ac formam , refert , dolore ſe declarans non mediocri , tum etiam praeter tuberculum , interdum etiam ulceratum aliquem praefert ac puſtulam* . Quae triplex vitii ſpecies non una perpetuo particula corporis inſidet , ſed per artus omnes manus pedeſque varie vagatur : ſunt autem & qui teſtentur a minimo digito ad ſingulos ordinatim alios , atque ab alterutra manu in alteram propagatam ; per truncum vero nunquam viſam meminimus.

Quam ipſam tum formae, tum ſedis inconſtantiam, aliquando advertentibus nobis ; ac quemadmodum licet exprimere ſtudentibus, viſum eſt, ut inconſtantis naturae ſit dicendus Abſceſſus, ſi tamen *Abſceſſus* nomen non preſſe , ſed laxius , ut in aliis obſervavimus, factum accipiatur . Quod ipſum nomen eo accipere debes libentius, quod ab antiqua vulgarium appellatione non diſcrepat . *Roſeolas* enim intelligo bifariam ; vel quod roſarum imaginem, & colorem, prae ſe ferunt ; vel quod roſidas quaſdam inſperſiones repraeſentant . Dicuntur autem *ſaltantes* , ſeu *ſalturiciae*, quod tibias privatim occupare conſuetae , per dolorem & irrequietem faciant, ut ſtantes homines ſalturiant ; id eſt, tibiis alterne ſublatis, aut terra preſſis, crebro agitentur .

Quamquam hujus ejuſdem appellationis & altera ad diſcernendum eſt impoſita ratio , quam mox exponam , nempe *Roſeolae* ſimpliciter dictae , quae manibus , pedibus , auribuſque , defixae viſuntur , *Perniones* ſunt alias dicti Latinis ; *ſaltantes* vero , quæ indefinitis & incertis ſedibus inhaereſcunt , vagiſque excipiuntur hoſpitiis . Itaque non abs re , per vulgus hominum expertorum additum *ſaltantis* eſt *diſcerniculum* quaſi ſint hae quidem inconſtantes ac vagae ; *Perniones* vero partium certarum vitia . Quas ob res aperti convincuntur erroris hi , qui *Roſeolas ſaltantes* cum *Pernionibus* confundunt ; adeoque multo maxime lapſus eſt Gabriel Falloppius , qui *Pernionibus* obnoxias fecit virgines , quibus ſuae non procedunt expurgationes menſtruae ; quaſi vero *Perniones* interiores cauſſas agnoſcerent, quae duntaxat , ab hyberno frigore ortum habent .

## CONTROVERSIA II.

*Quod* Roſeolae *non ſint Chymethla Graecorum, aut Perniones Latinorum.*

HIs etiamſi conſtantibus, tamen non, ut oportebat, adverſis; plerique ſunt noſtrorum hominum, qui morbum hunc novum minime patientes, ad *Chymethla*, ſeu *Perniones*, retulerunt; nixi tum communi aliqua tumoris, doloris, coloris, imagine; tum quod *Perniones*, calcaneis inſidiantes, *Roſeolas* appellare vulgo conſuevere. Quae tamen opinio ſe falſam prodit planis utrorumque diſcriminibus, cauſſarum, & morum. Siquidem *Perniones* non aliter producuntur, quam a frigore, brumaeque rigoribus; quo tempore ad extremas corporis partes, ad internodia ſcilicet manuum ac pedum, ad horum calces, & ad digitorum utrorumque membrorum extrema, atque etiam ad aurium infimas pinnas, ſupremoſque lobos, & ad omnem earumdem ambitum & flexuram, excitantur *noduli* quidam, atque Tubercula dolentia, & ſupra naturalem carnis colorem aliquo rubore, vel livore tincta: unde fortaſſe *Roſeolarum*, aut *Roſellorum* vulgo dictorum, eſt nomen; propterea, quod hi talem aut colorem, aut figuram & formam, habent.

Ita jam apparet *Pernionum* externa privatim cauſſa, & non maligna: *Roſeolarum* vero *ſaltantium* interna & maligna ex aliis, quae poſtmodo diſputabimus, oſtendetur. Interim quaenam *Roſeolarum* ſit natura, & ad quod ab Antiquis deſcriptum vitii genus ſint referendae? an vero non fuerunt hae Veteribus cognitae? difficilis profecto definitu res, ac maxime incerta: praeſertim quando doctum nullum in hac re ducem habeamus, ac de nomine quidem pervia conjectura ſit. Verumtamen adlaborabimus nos probabilius hac de re judicium, ac noſtrum, in re tam obſcura, ſtudium & induſtriam deſiderari non permittemus.

## CONTROVERSIA III.

*Quod* Roſeolae *non ſint Terminthi.*

HIppocrates, *6. epidem comm. 3. partic.* 37. prodidit *mariſcis* laborantes, inter caeteros morbos, non premi *Terminthis*; qui, teſte Galeno, *nigrae quaedam ſunt puſtulae, in tibiis maxime orientes; a figurae, coloris, magnitudiniſque, ſimilitudine, quam cum terminthorum, id eſt, cicerum fructibus habent, appellatae*. Equidem ejuſmodi noſtrae *Roſeolae* facile videbuntur, ſi *Terminthorum* accidentia ſingula ſpectentur; primum quidem hi, ad atrabilariam materiam relati, per *mariſcas* ex hauſti deſinunt, ut phagedaena, ulcus lepra, vitiligo. Deinde, niger iſtorum color refertur a Gal. *in hoc loco*. Tertio, tibias infeſtare maxime ſoliti ſunt. Quarto, cicerum figuram, colorem & magnitudinem, aequant. Quinto, univerſo ſuo perſpecto charactere, gravis & contumax *Terminthorum* affectus videtur; praecipue, quod alii Graeci dixerunt hoc *phyma, cum adnata puſtula, quae cum extenuata dirumpitur, ulcus parit*; ut nos, *in lib. de novis obſervatis Abſceſſibus*, explicavimus.

Quae quidem ſingula non diſſentiunt a natura vulgarium *Roſeolarum*. Quod enim ad communem materiam, contumaciam, & ſedem affectam pertinet, haud ſane de his dubitaverit aliquis; caetera vero plurimum ad eam naturam accedunt, neque ego de colore ambigo; licet ambiguitatem aliquam exhibuerit Galeno, qui prin-

cipio

cipio quidem ſtatuit nigros *Terminthos*, deinde cicerum dixit ſimiles colori, qui plurimum quidem flavi, vel, ut vulgo dicunt, albi ſunt: caeterum non deſunt, qui ſunt nigri, fortaſſe igitur nigris animo conceptis, ciceres ſimpliciter, & abſolute protulit, aut ſubnigros verius & nigro virides; quales Dioſcorides Alexandraeus, ac Julius Pollux *Terminthos* propoſuere.

Major haeſitatio eſt de figura & magnitudine, & omnino de tumoris genere; porro, ſicut aliquanto poſterius oſtendam, atque ut nomen indicat, *Roſeolae puſtulae ſunt latae potius, quam Phyma ac Tuberculum; Terminthi* vero *Phymata ſunt ac Tubercula elata, ſupra cutem & rotunda, non lata & fuſa; ſuntque ſuperne puſtulata, ut Graeci definiverunt*. Qua una re jam conſtante, & figura, & magnitudo, & habitus *Terminthorum* non is videtur, qui *Roſeolarum*. Quid autem ſi addideris ſumme repugnantem notam, quae eſt, *Roſeolas* noctu praeſertim moleſtiſſimas & acerbiſſimas eſſe? id quod utique de *Terminthis* ſignificatum ab antiquis, aut a nobis compertum non eſt. Ita jam ſatis apparet, argumentis interim aliis pro tempore miſſis, diverſa plane vitia corporis *Terminthos*, ac *Roſeolas* eſſe.

## CONTROVERSIA IV.

*Quod Roſeolae non ſint latae puſtulae, ab Hippocrate memoratae.*

ALterum nunc Problema ſe offert: quandoquidem ex puſtularum latarum ordine poſuimus *Roſeolas*; an has expertus fuerit Simon, cujus meminit Hippocrates, *l. 6. epid. comm. 2. ſentent. 30.* per haec; *latae puſtulae non admodum pruriginoſae, quales Simon hyeme habebat: qui cum ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, juvabatur, vomitus non juvabant, puto ſi quis calida fomenta adhibuiſſet utilitatem percepturum*. Non eſt, inquam, admodum difficile, ut unus idemque morbus ſit, atque ille fuerit; nimirum hoc ſuadet latae puſtulae conditio non admodum pruriginoſae. Deinde, quod per hyemen vitium hoc hominem tenuerit, quo tempore vigent *Roſeolae*. Tertio, quod ad ignem inunctus, & calida lotus aqua, levaretur, non autem vomitu; fortaſſe quod humor melancholicus, qui vitii auctor erat, per eam viam ab inferioribus tractus non vacuaretur. Praeterea monſtratur humor is frigidus, & diſcuſſu contumax, ex puſtularum preſſula forma; quippe calidorum acuties eſt, & celeritas; ut notat Galenus, *in hoc. comm.*

Haec certe ſingula ſi contuleris & comprobaveris cum vulgari *Roſeolarum* affectu, ſpeciem unam utrorumque feceris. Verum enim vero laxa nimis, & infirma duorum ſibi invicem ſimilium eſt conjectura; imo vero pleraque ſimilitudinis capita non adſunt, & illa quidem plane maxima; & quod ab igne & calidis plurimum irritantur *Roſeolae*, ut quae atrabilario ſucco praecipuo conſtant; & quod deeſt his character inquietamenti nocturni, quo privatim ab omnibus aliis ſecernuntur: quare non crediderit recte quiſpiam, ut vulgarem hunc noſtrum affectum ibi comprehenderit Hippocrates.

## QUAESTIO V.

*De formis* Roſeolarum, *ſecundum vulgarium hominum opinionem.*

NOn una eſt apud omnes *Roſeolarum* forma: verum aliqui ſunt, qui ſtatuunt, macularum modo cutem ſupremam lambentes & efflorescentes; quorum opi-

nantium alii requirunt dolorem in his & colorem liveſcentem, atque opacum; alii etiam rubeſcentem: ſunt autem & qui florida facie, ac levi qualibet moleſtia, ſunt contenti; hique ipſi plus loci ſubterius comprehendentes, pluſque tuberculi, quam maculae, modum volentes: ſunt autem & hi, qui putant ad ſuppuratum eaſdem venire, typumque habere ſtrumarum; terminthorum autem fortaſſe dicerent, ſiquidem hos cognoſcerent, a nobis plus uno loco deſcriptos; atque ita per univerſum corpus hos dicunt eſſe, & ad ulcerationem etiam deducunt. Praeterea, ſunt & qui nominant dolores arteticos (interim articulorum, an artuum, ety o ſpectato) dummodo noduli quidam rubei circa manuum, pedumque digitos, & comprehenſionem appareant; ac denique, reputant alii ſymptomatum ejuſmodi comitatu calidum, alii frigidum affectum; nec deſunt, qui promiſcuum faciant etiam.

Hae ſunt multiplices, ac vulgares, hominum opiniones de *Roſeolarum ſaltantium* forma & natura. Verum falſi deprehenduntur opinantes, hi cuncti; quod non memorant ulli proprietatem ac diorifmum, qui eſt invadendi noctu; quem nos tam ſingulariter ſpectamus, & quam privatam & propriam affectus conditionem affirmamus; quae autem ejuſmodi non ſunt, eas a verarum *Roſeolarum* numero facile relegamus. Sed ipſi interim iſtarum formam enucleatius edifferemus.

## QUAESTIO VI.

### De *charactere Tumoris*.

INfinita pene, ſicut in arborum malis omnibus adverterunt Botanici: ſic in Abſceſſibus eſt, ſeu naturae fallentis, ſeu morbi cum ſuo materiarum comitatu luxuriantis, varietas; formas eorum ſeu verius difformitates inducentis, tam multa horum genera, tot vultuum ſpecies, tot figurarum diſcrimina, tot colorum & maturitatis modos non tam eveſtigarunt, quam exprompſerunt utrique: quae ut nunquam ſatis pro dignitate ſpeculabitur aut comprehendet unuſquiſpiam, ſic non ad unguem, aut exponet, aut graphice delineabit. Quis enim tam ſolerti ſit ingenio, qui ſingulas ſuas conformationes methodo comprehenderit? aut qui tam felici ſit ſtylo, ut explicare poſſit, in his ſeſſilem formam, in his extumeſcentem globum, in aliis ambitus in rotunditatem circumacti, figuram; in aliis informem pulmonis tumorem? qui quidem a mammarum craſſiore longitudine, qui a pannaceis rugis deſcribantur; quidam corpore toto vegetius habent; quidam qua parte tantum illuſtrat calor, ſunt tales; qua vero frigidus humor incumbit, emortui. Sunt aliqui in varicoſum, gibboſumque, flexum circumducti; aliqui panis inſtar coacti: nonnulli tuberculoſi; nonnulli bifidi, trifidique; qui pedunculo nitentes; qui lata baſi, ſed in turbinem elati ſeſe producunt extra prominuli; videbis & reductos, foſſulatos & reſimos: praeterea pyramidis, coni, columellae, verrucae ſcopuli, grandinis & clavi, forma: ſuccurrunt & animantium genus aemulantes, talpa, teſtudo, myocephalon, polypus, ranula, myrmecia, condyloma, unguis, ala, lichenes; & ex vegetantium ordine ſycoſis, uva, melon, morus, terminthi, glandulae, amygdalae, thymus, lenticula, milium, hordeum, porri; & quis ſub compendii praeſcripto referat omnia?

At equidem ſi recte mentem & oculos per omnia conjicio; non vulgaris & obvia, ſed *inſolens* & *ſingularis* apparet *forma Tumoris* qui *Roſeolarum ſaltantium* promeritus eſt nomen; hunc equidem nulli conferam ex memoratis, nam hi omnes aperti, revulſique propemodum e corpore; *noſter hic* non tam extra, quam

*intra ſua limina Tumor eſt*. Verumtamen obſervaveris *circa ſua ſepta latiuſculum, ſed uniforme ſubſtare tuberculum; quin verius tubercula plurima ſemet*, ut dixi, *ſingula ſuis quaſi latebris occulentia*: ob id autem, quod unitate contenta non ſint, ob id ipſum a majoribus noſtris *Roſeolae* numero plurium ſunt nominatae: ſed. ut *communi ſuorum omnium complexu non multum exſuperantem conficiunt turgorem*, ita etiam ſingula preſſulam referunt rotunditatem; adeo ut recte quidem fabis contulerit Cornelius; nos quoque lupinis aequiparavimus: itaque ſi noſtra haec referas ad ſummam unam, eſt hoc Tumoris genus fuſum ita, ut homines nullos lateat duntaxat peritos. *In qua ipſius circumſcriptione*, ſi quidem oculate perſpexeris, *viſentur & quaſi radii quidam ex albo rubeſcentes, quas ſanguineas ego fibras exiſtimo, per cutem humoris alluvie translucentes:* credo autem, & has inſignius alterari, luculenterque turgeſcere, ubi per noctem dolor incurrat; ſi vel intendantur ipſi, vel rem comprehendere ſub maligna luce ſentientium oculi poſſint.

## CONTROVERSIA VII.

### *De differentiis* Roſeolarum.

AD haec autem diſcrimina *Roſeolarum* ſunt exponenda; ex qua una re plurimam lucem huic univerſo ſermoni manaturam confido. Comperimus tum aliorum auditione, tum obſervatione noſtra, *duplices* eſſe *Roſeolas*: alter modus eſt nulla non anni parte moleſtantium, & ad plures etiam annos, etiam adverſus excellentia medicamenta contumacium; quippe quae ab aduſta melancholia, nitroſaque pituita proveniunt, ob utrorumque gravitatem, crura, tibiaſque, potiſſimum adfligentes; quas private comprehendit, propoſuitque nobis, Cornelius Celſus, qui colorem ſublividum, & ſubnigrum, illis attribuit puſtulis, peſſimis nominatis; item quas definivit Julius Pollux, ad Cornelii ſententiam maxime accedens auctor.

Alter *Roſeolarum* modus eſt lenior, brevior, & curatu facilior: imo, quae per ſe ipſas diſcedunt appetente vere, quae hyeme fuerant ortae; ſuperiores autem partes, i. e. manuum, articulos & internodia tentare conſuetae, pruriginoſae. ac de uno in alios digitos, deque ſiniſtra in dexteram manum vage, in metacondylis vero natae, ad extremum diſceſſum ungues ab radicibus plerumque divellunt, proprietates nimirum, quae in alteris non ſentiuntur. Haec ego de utriſque diſcrimina & obſervationes collegi: quae medens, uſu tute comprobare poſſis omnia, ſi dulci quidem & accurata rerum iſtarum contemplatione gaudeas.

## CONTROVERSIA VIII.

### *Epinyctidas Graecorum* Roſeolas *eſſe vulgi ſaltantes*.

HUjus mihi Problematis demonſtrationem, rite, rectèque, inſtituenti neceſſarium videtur, ut definitionem ſive Graecorum, ſive Latinorum, & horum praecipue Cornelii comprobem, noſtris ad unguem *Roſeolis* accomodatam: id autem non fit niſi per expenſas, collataſque particulas ejuſdem definitionis: ex his autem primum occurrit genus, quod eſt apud Graecos quidem *ulcuſcula*, apud Latinos vero *puſtula*. Haec igitur utraque appellatio noſtris *Roſeolis* primum congruat oportet, ut caeteram oſtenſionem complere poſſimus; atque adeo monſtran-

dum

dum est, duas illas voculas discriminis complecti nihil, aut parum.

Primum igitur ne displiceat, quod ἑλκύδρια, *ulcuscula* dixerit Paulus, hoc alioqui nomine non usus exacte. Porro vocabulum aut *ulceri* significando non est allatum, aut *tubercula* denotat. Quod enim ad priorem partem pertinet; quomodo quaeso te ἀπὸ αὐτομάτου sponte, quod Paulus ait, ἐξανθοῦντα efflorescunt? nempe *ulcera* non efflorescunt: praeterea quid *subrubra* dixerit *ulcera*, quorum nulla unquam ab aliquo dicta sunt *rubra*? quin neque dici vere talia queunt, quando ruboris catigorema, praeterquam solutis sive ulceratis ipsis partibus, & carni, corio nudatae, non competit.

Attributum igitur aptius *tuberculis*, quam *ulcusculis*, *rubor* fuerit; atque adhunc modum etiam, *ulcusculi* nomine videtur usus Auctor libri *de virtute centaurii cap.* 4. *P.* qui ait *Juvat etiam ulcuscula, quae fiunt in capite spissa, & parva, & rubicunda, parvis papillis similia; & phygethla spissa, parva & rubicunda; permistus cum aqua, & abraso capiti inunctus succus.* Enimvero ulcuscula dixit papillis similia, ac si dixisset tubercula, pustulasve: similiter & ulcuscula eminentia in partibus corporis dixit Galenus, *in l.* 5. *de compos. medicam. secundum loca cap.* 7. Quo autem modo ulcera emineant, quae natura non eminent, sed cava sunt & abrosa?

Praeter haec, & quo pacto calx cum oleo, aut acetum cum sesamo, aut oleo, prudenter imponatur ulceribus, quae maximopere ejusmodi medicamentis irritantur? ergo non ruptis tuberculis haec instituuntur. Confirmatur autem nostra haec interpretatio, quod Oribasius, ex quo Paulus & Aetius acceperunt, apud Aetium scripta reliquit haec; *Postquam vero Epinyctis excoriata fuerit, emplastris liquidis utere, & cave, ne acria, & acida & salsa, adhibeas.* Quo igitur, inquam, modo calcem, aut acetum prius proposita sunt? nisi quod haud ulceratae carni praecepta sunt; distinctum autem explicite (*postquam excoriata fuerit* &c.)

Jam vero ne te perturbet, quod *ulcuscula*, quasi parva *ulcera* dixerit idem: nempe *ulcuscula* nomen numero plurium, usu Medicorum veteri & communi positum videtur pro *tuberculis* minutis, licet *ulcusculum* singulari numero possit usurpari pro *parvo ulcere*, significetque solutionem continui, non tuberculum vere: qui sensus apparebit aperte per id, quod mox addidit dicens; *quibus ruptis, quasi non fuerint ante rupta.* Similiter, & *alio hujus ejusdem libri loco*; *Perniones* definivit quidem *ulcera* principio, mox ad eadem ulcerata curationem accomodavit hic Vir; ergo *Perniones* natura *non* sunt *ulcera*.

Sed ad Pustularum nomenclaturam veniamus, ex his, quae observamus, tum apud Cornelium Celsum, *l.* 5. tum apud Paulum *l.* 4. atque apud alios etiam melioris notae auctores, *quadruplex* apparet Tumorum omnium *ordo*. Primus, Tumorum praecipuae magnitudinis; ut carbunculus, carcinoma; & his minores struma, furunculus, phyma, phygethlon. Secundus est Tuberculorum, e quibus sunt acrochordon, thymum, myrmecia, clavus. Tertiae sunt Pustulae, de quibus mox dicemus. Quartae sunt asperitates cutis, ut scabies, impetigo, &c. Sed *pustulae triplices* sunt Cornelio, exanthemata, psydracion, *Epinyctis*, quam quidem *Epinyctidem* cum nos tuemur, vere non aliam, quam vulgares nostrorum *Roseolas*; has quid dubitamus in pustularum recensere familia? Est non evidens quidem Tumor, neque Tuberculum; sed qualia quidem lata exanthemata vocavit Hippocrates, *lib. 6. epidem. sect. 2. part.* quae est (*lata exanthemata* &c.)

Neque enim placet opinio Francisci Vallesii, qui argumentatur lata exhanthemata tumores esse propterea, quod latum contrarium est acuto. Sed non vidit latum, quod adjungitur, sequi perpetuo naturam exhanthematum, quae non prae

se

ſe ferunt ; neque adſtruunt tumorem, ſed ſolam cutis ex humore ſuperfuſo tinctu-ram ; praeter quam quod neque latum adverſatur acuto , ſed obtuſum , utcumque autem ſuam opinionem tueatur Valleſius : non erunt lata exanthemata tumores , ſed aliquid tumoris habentia . Tales equidem ajo *Roſeolas* noſtras , quae neque *Puſtulae* ſimpliciter , neque *Tubercula* abſolute ſint , ſed miſtam ex his naturam habentes . Quamquam eſt interdum , ut inconſpicua quidem , ſed acri tactu , deprehendendam , infra contineant tuberculi ſpeciem , quam lupino vel fabae ſortaſſis aequiparaveris .

Ad hunc modum apparet non abſurdum , quod *Puſtulam* , id eſt, preſſulam rotunditatem intro , foriſque , deliteſcentem , ſimul & eminentem enunciaverimus ; rem quippe Veteribus non inſuetam . Sed Avicenna dixit puſtulas glanduloſas , *l. 4. fen. 3. tract. 2. c. 7.* & ex hujus Viri ſententia Leonardus Bertapalia , *l. de apoſtemat. cap. proprio* , & Joannes Manardus *l. 7. epiſtolarum 2.* quod durum , & admirabile videri cuiquam non debet , reminiſcentibus nobis ; quod & Oribaſius meminerit Terminthorum , qui ſupra Tuberculi faciem adſciſcant Puſtulam . Enim vero mutua duorum eſt affinitas & congreſſio : ex *Puſtulis* , inquam , nonnunquam etiam *ulcuſcula* fiunt ; licet aridiora , & modo tantum cum prurigine , modo cum inflammatione , aut dolore , eritque aut pus , aut ſanies , aut utrumque . Ita quidem Celſus de puſtulis ἑλκώδεσι exulceratis : de contrario vero ulcuſculorum in puſtulas commutata teſtati ſunt , indicato ſepae loco , Graeci tres , qui ἑλκύδρια φλυκταινώδη dixerunt ; itaque commutatis velut hoſpitiis , ac vicibus , nunc *ulcuſcula* tranſmigrant in *puſtulas* , nunc *puſtulae* in *ulcuſcula* . Adeoque non aberraverimus a recto nos , qui *Roſeolas* fecerimus *ulcuſcula* ſimul & *puſtulas* : Tuberculum quidem quod aliquanto ſubterius abditumque exiſtit , fabae vel lupini modo ex craſſiore materia coalitum ; Puſtulas vero paulo evidentiores ex tenuioribus ſuccis conflatas .

## QUAESTIO IX.

*Hypotheſis de nocturno Roſeolarum dolore experimentis comprobata .*

EST primum *Roſeolarum* indicium , primumque ſymptoma diſcretivum , noctu moleſtans dolor : quam ante omnia ſpectari ſtatuique oportet, quo poſſit ad caeteras comprobationes fieri gradus ; qui mihi labor ineundus fortaſſe nunc non eſſet , ſi noſtrates Medicos noſſem hanc rem advertiſſe : verum quando rem eamdem , omnem & curationem , foeminis remiſerunt, neque de is rebus obſervatio per viros doctos , ad hoc tempus , facta eſt ; neceſſarium profecto videtur ; ut de perpetuo ſub noctem *Epinyctidis* dolore differatur ; imo vero , ut ejus rei per experimenta fides aliqua proferatur : quandoquidem haec tractatio magis ad obſervationem , quam ad ſubtilem diſquiſitionem , pertinet ; quamquam non eſt, ut aliquam ejus rei rationem comminiſci non poſſimus ; eſt autem ea , me judice, quod humor melancholicus omnium Aſtronomorum & Medicorum conſenſu veſpertinis horis analogus eſt ; igitur hoc tempore vigens , & hoc etiam decumbentes exercebit accretus , qui humor in hoc affectu conſtando & conſervando praecipuus eſt . Taceo, nam nil repetere neceſſum eſt, rationem , aliam , quam : *parte libri priore cap. de nocturno Epinyctidum dolore* , produxi .

Sed haec apud alios , qui tergiverſentur , nulla ſint : obſervationes & experimenta proſequor , quarum praeterquam quod infinitas alii , ſuper multis languentibus , facere per ſe ipſos poterunt , has mihi numero non exiguo collegiſſe , ſed verius meminiſſe licuit : quae ſunt .

Pri-

Prima, inter omnes forte nominanda, Dionora Stephagnola, puella colore fuſcior, habitu corporis procero, nec male firmo, decimum ſeptimum annum natu; Parthenopylacii Spiritus Sancti, templi Neapolitani una: quae quatuor jam annos id morbi quaeſta eſt ſic, ut infirmas contubernales omnes, quas trecentis frequentiſſima puellis domus haec Sacra alit, inquietet, ac vigiles teneat ſecum. Surgit autem e ſtrato dolore praeceps, & non conquieſcit, niſi plurimum temporis alterne tibias commoveat ſic, ut tripudiare propemodum videatur. Altera ex ejuſdem Parthenophylacii virginibus, quae *Roſeolis* utriſque tibiis paſſa eſt, fuit Lucretia de Caſtro, puella, contra quam prior, tenuis habitus, & ſubalbidi. Tertia, filia eſt obſtetricis habitans in angiportu ſancti Gregorii Coenobii Neapolitani, plus ſemel *hoc lib.* memorata: quae nocte adventante protinus acres dolores perſentiſcere ſingulis diebus ſolita eſt. Quarta puella quindecim annos nata filia Mercularii in vico, qui ducit ad portam Plagae; quam una cum doctore Medico Nicolao Angulo, ab Eliſoeis ad obſervandum a me perducto, viro rerum nobilium curioſo, obſervavimus. Quinta, Olimpia Cytharella, Tryphonis Cytharellae Amalphenſis, auditoris in re medica noſtri, ſoror germana; quae nocturna tempora duriora ſentit, hoc vitio diu gravata. Sexta, Antonia Moza, vivens ad moenia ſecus D. Mariae Gratiarum, quae *exulceratas* pariter & *tuberculoſas* eas *puſtulas* annum eſt experta, foemina coloris fuſci ac prope virago. Septima, quae poſtrema quidem omnium ſe obtulit, ac dignitate prima. Victoria Purpura, magnifici viri Andreae Medati conjux, quae decem jam annos hiſce puſtulis nigricantibus, ſecundum tibiam ſiniſtram afflicta eſt; quas ego exulceratas hoc anno, detractis nigris cruſtulis, curavi. Hos ego languentes (foeminas ergo maxime vides obnoxias) e quamplurimis memoria ſervavi paucos. Numerabunt autem, vix numerabiles alios id morbi paſſos, Reverendae ſanctimoniales Divi Marcellini Coenobii Neapolitani; quarum pia jam multis annis eſt cura, accommodatos hiſce languoribus Syrupos parare: hae quippe nocturnas hujus mali vexationes, longis experimentis comperere.

## QUAESTIO X.

*Comprobatio coloris materiae, ac reliquorum indiciorum.*

REſtat ad incoeptam demonſtrationem poſtrema comprobatio reliquorum omnium adnexorum: inter quae prima ſeminaria ſunt humorum, & inde color. Quorum hic alteros conſequitur, ac refert, ſi verum ſit, quod teſtatum reliquit Hippocrates, *l. de humoribus; ſimilis color efflorescit humoribus, niſi intro regurgitaverit.* Verum quod ad poſteriorem enunciati particulam attinet, porro ſub hoc vitio ſe foras exeruit humor; puſtulam enim fecit. Atqui haec multiplex eſt, quotuplex & *epinyctis* apparuit: etenim ſi ſubrubram quaeſieris, qualem Graeci viri propoſuerunt, & ejuſmodi per initia nos eam vidimus: quo ſcilicet tempore nihil difflatus coloris flos (inde enim exanthemata dicta) ſubrubram illam roſaginis ſpeciem conſervare potuit; donec aeris occurſantis refrigeratione & contaminatione, obtuſus in dies mutatuſque nitor eſt in faciem opaciorem, atque aliquantulum liveſcentem, ac deinceps in obſcuriorem virorem.

Praeter quos ad nigrum accedentes colores, & albus memoratus eſt a Celſo: qualis & ipſe viſitur in noſtratibus *Roſeolis*; ubi ſcilicet aliqua ipſarum parte, vel recurrit humor roſeus, vel non totam aeque carnem denſa coloris aſpergine tin-

tinxit. Ita quidem seu accedentes, seu collecti sunt uno brevi circumductu varii colorum modi. Neque Hercules injuria; siquidem humores subſtratos spectes; qui in sanguine plurimum abundent, pituita scilicet & melancholia: quarum quidem eduſtam hanc, ob pravitatem, firmumque ac longum adhaesum, nitroden illam, ob nocturnam praesertim inquietem, & ob exulceratum, quem saepe facit, opinor; sic calidum simul & frigidum affectum constituto: qualis & uterque succus est; nam pituita nitrosa bilis amare non caret admistione: atra vero bilis, quoniam aequiparatur aceto, quemadmodum *l. de atrabile* docuit Galenus; ob id utique utramque qualitatem servat.

## QUAESTIO XI.

### *Dubietates aliquae discussae.*

His ostensis, aliquae nunc ambiguitates supersunt resolvendae, quae nostro huic placito suspicionem aliquam injicere possent. Una est, quod Veteres per externa dumtaxat medicamenta curandum hoc vitium professi sunt; atqui nostrae *Roseolae*, praeterquam internis expurgamentis, non eximuntur, ut alio loco monstratum fuit; qua de re malum aliud hoc, atque illud, apparet: Ad haec, aliud adversari nostrae suasioni videtur, quod nullum contra cacochymiam, aut cacoethiam remedium admoliti sunt auctores Antiqui: aequum autem fuerat, ut exactius & absolutius suam morbi curationem exposuissent; quod cum non est factum, sua est in promptu conjectatio, quod non tanti momenti morbum fecerint, quanti nos facimus; ac proinde non unum idemque se monstret vitium.

Haec quidem argumenta in speciem primam videntur rem non obscure confecisse: verum enim vero, nil plane conficiunt; enim vero fieri potuit, ut Graeci pharmaca quidem interiora silentio praeterierint, at non diaetetica tamen auxilia; quibus inter omnia maxime confisi sunt: illa autem quamvis tacuerint, tamen eodem pro confesso velut praeceptum perpetuum & universale statuerunt: quod si recte adverteris, in aliis plerisque facere consueverunt; neque enim sic sunt hi profusi praeceptorum inculcatores, quales hodierna die sunt nostri; sed singuli tres, ante citati, Synopses & Compendia Medicinae, ex vastis Galeni latifundiis translata, conscripserunt. Praeterquam quod superioribus istorum temporibus assueta corpora variis, ac frequentibus exercitationum generibus, exhaustu multo non habebant opus, sed natura in his libera plurimis excrementis longe validiorem ad evincenda mala se exhibebat. Quibus rebus factum est, ut optimi scriptores, & non tanti vitium aestimarint, & multum in his operae ponendum non judicarint. Quanquam neque sic genus hoc morbi vilipendit Cornelius Celsus, ut non praeceperit ambulationes, exercitationes, gestationes, abstinentiam plurimorum, sudationes in balneo, descensus in solium, atque alia; quae si providerunt aliqui Veterum, quid adstruant ulli, quod *Epinyctidas* aestimaverint, quam nos, certe minoris?

## QUAESTIO XII.

### *De causis* Roseolarum *generatim.*

Quidam, in hac re philosophantes, dum accidentium varietatem spectant, curantque, ut cunctis Problematis, per suas hypotheses, satisfieri facile sit; e quatuor humoribus omnibus, quorum vitio morbus emergat, nullum exi-

munt: ſanguis quidem, cujus ſaepe viſitur color, aut ad hunc accedens maxime diſcolor facies. Deinde &, quod hic affectus plurimum in calidis atque humidis aetatibus, habitibus, naturis, viſitur, quae maxime ad ſanguineam exſuperantiam accedunt. Poſt ſanguinem eſt pituita, quae non difficile congeritur in foeminis & albidis corporaturis, ſed nitroſa potiſſimum illa eſt, cum glycypicra prurigo malevalentem locum inceſſit. At neque rejicitur bilis, quae vellicatum aliquem & acrimoniam prae ſe ferat. Multo vero maxime deprehenditur melancholica portio, praeſertim aliqua parte retorrida: cujus & malignus mos, & fuſcus color, & pertinacia, ſaepenumero obſervantur. Itaque vides in coagmentanda Paecilocace (ſic enim appellare nunc licet) nullum excludi vitioſum humorem, ſed omnes aut plurimos confluere; ſed & multa parte ichores ſingulorum humorum etiam ſubſunt; quod ſane ſuadetur eo argumento, quod polypodio curari conſuevit hic affectus: quod ſi & geniſtae medicamento corripitur a noſtris inhaerens humor; id fit propterea, quod admiſtum ſanguini non nihil eſt viſcidae pituitae, quo fit, ut curentur ſaepe non aliter, ac ſtrumae.

## QUAESTIO. XIII.

### *De Cauſſis ſpeciatim, & exactius.*

SUnt evidentiores hujus morbi cauſſae aeres, aquae, loci; maxime ſicut opinor, cum ad frigidam & humidam exſuperantiam exorbitant. Ita pleriſque populis eſt endemius hic affectus, potiſſimum vero Neapoli frequens eſt; in qua urbe propter celſitudinem aedificiorum, quae ſe proxime, id eſt, pauca loci intercapedine ſpectant, minimus eſt ſolis luciſque colluſtratus, & in qua etiam pluvioſa nimium eſt anni pars, & ſaepe auſtrina conſtitutio: quibus cauſſis accedit & victitatio ex carne bubula & ſuilla, & ex omni braſſicae genere, capitato praeſertim; & ex ſalſis piſcibus uſitatiſſima. Eſt ex hoc genere multorum uſus ferculorum, a quo morbos ubertim excitari, ex omni antiquitate, *in Nepentes* opere demonſtravit Petrus La Seine, vir multiſcius, ut docta ejus edita commentaria ſatis teſtantur. Additur & cauſſa, labor; qui prope nullus agnoſcitur pueris, & puellis; quem utrumque ordinem privatim obnoxios ſibi morbus tenet: inde enim ſunt eruditates, obſtructiones, cacochymiae, cachexiae, quarum vi pollet, excitatur, fovetur, ejus vitii cacoethia.

Taceo, quod poſteaquam Venerea lues exſtitit, ab illa corrupta eſt plurima parte ſanitas, integritaſque, corporum, quae progignunt; unde melancholica potiſſimum, & prava malorum ſementis, eſt hodie in hac terra. Porro tam multum abeſt, ut παρθένων ὄπωπὴ ſit Parthenope, vera vocabuli fide, ut cum puberem, ſeu dicam potius, cum vix compotem Veneris ſe ſenſerit homo, continuo cum ſcorticulis commiſceri, ac provolutari, conſueſcat.

Eſt, & praeter haec, ſuppreſſio ſuperfluorum cauſſa mali praecipua: unde foeminis ſolennis morbus, quanquam pueris, ac puellis impuberibus, puberibus, qui prima generationis expurgamenta non abjecere, vel pluſquam puritati conveniat, retinuere; paedarthrocace nil operata, hoc affine vitium ſuccedit. Sed & foemellis menſes deſiderantibus frequentiſſimus hic affectus eſt; qualium unam, inter caeteras, novi, filiam, Obſtetricis in Divi Gregorii angiportu: cognoſces autem facile ſuperfluorum hanc ſuppreſſionem, quod gens haec erit languoroſa, defaedati coloris, & oculis impuris omnes: quanquam non propterea ſit, ut, meliore colore praeditis, non adveniat hocce malum: ſic modo memorata filia Obſtetricis

utro-

utroque crure languebat, etiam belle colorata: ſed hoc unum exemplum mihi vidiſſe contigit; neque mirum quidem eſt, nam nihil in Medicina perpetuum, affirmavit Cornelius Celſus, *in operis prooemio*.

Aliud adhuc explicandum poſces; & quid huic affectioni ſint obnoxii juniores, vel accedentes ad hos annos alii, non ſeniores & aetatis grandiuſculae homines, hoc mali genere infeſtentur? Nimirum, inquam, quod aetatis primae mutatio, cum calore vegeto conjuncta, vitium intro conceptum non poteſt mature non expromere, diducereque in exteriorem corporis habitum, ut in aliis quoque ſuperfluitatibus fieri noſti. Itaque non reſtat haec effuſio in grandioribus facienda; quod ſi reſtat, tamen magno quopiam impedimento, ſive ad expultricem facultatem, ſive ad humoris craſſitiem, ſive ad vias ſpectante certus eris id eveniſſe: vel dic juniores huic vitio ſubditos & opportunos fortaſſe propterea, quod his primis aetatibus ſuperfluitates ſanguinis multa redundant, quas vegetus & in incremento, & in aetatis mutationibus, verſans calor nativus in rara corporum textura ſecernit, ac purgat: quod non ita facile, nec ſaepe, evenit ſenioribus propterea, quod ſunt exſucciores, minuſque vegeti.

## QUAESTIO. XIV.

*De modo Generationis.*

PUſtularum in aperto corporis generationem aperiit Galenus, *in comm. 2. ad lib. 6. epidem. text.* 30. per haec: *Egerminant puſtulae, natura corporis altiores ſedes repurgante, ut nonnunquam per excretionem, ita & per depoſitionem ad cutaneas partes, ſubtiliores ſiquidem, dilutioreſque, ſuccos extenuans natura diſcutit; craſſioribus autem cuti, ſed potius pelliculae, quae epidermis vocatur, utpote denſiori inhaereſcentibus puſtulae exoriuntur: idque magis incidit, his, qui denſiore ac duriore cute ſunt; difficilis eſt enim per ipſam pinguiorum, tenaciorumque, ſuccorum tranſitus.* Haec ille.

Refertur autem excretio, quoquo pacto, ad operam naturae criticam, ac melioris, valetudinis gratia inſtitutam: neque enim prius, quam expultrix vis polleat, fieri ſolita eſt. Jam enim, quando natura viderit ſuperfluitates iſtas & ichores, menſtrui ſanguinis reliquias in corpore congeſtas, quae principiis graviter incommodent, & officiant, protinus; ut ariſtocratiae convenit, lectiſſima corporis parte vindicata, quae cerebrum, cor, & hepar, ſunt; ad abjectiſſimas i. e. ad extremos artus inquinamentum amandat. Quo videas haud mirum eſſe, quod prope praecordia aut viſceribus incumbens, nuſquam viſa ſit *Roſea mali facies.*

Quoniam autem, ex internis venarum conceptaculis, prodit malum; poſt majora vaſa, quae ſarcina levantur, ſunt rami deſcendentes iliaci, a quibus, continuo facto pulſu, jam ad crurales deveniunt minores; per quorum minimos ſurculos eructata materia per tibias, antica, poſtica, & omni facie perſperſa, viſitur. Jam vero cum & per brachia, quod rarius aliquanto fit, ſeſe proferunt ejuſmodi maculae, veriſimile fit, humoris tenuitate, aut tranſmeatu bilis, id evenire.

## QUAESTIO. XV.

*Notae diſcretrices a conſimilibus noxis.*

QUoniam autem, cum pleriſque vitiis extimi corporis conveniunt *Roſeolae*, notas iſtarum diſcretivas exponam: caetera enim indicia, quae ad materiam, formam, figuram, colorem, dolorem, ac reliquas noxas, & ſymptomata,

pertinent; jam credo me ſatis in prioribus hujus libri diſputationibus explicuiſſe. Similis hic affectus eſt aliis multis, i. e. terminthis, latis exanthematis, efferis, *benat noctis*, glandulis; a quibus quantum diſtent, & per quae, jam audiſti.

Reſtant Syphilia *Tubercula inflammatoria*, *noctuque perdolentia*, quae manus, pedeſque, & eminentes omnes partes, corripere conſueverunt; ad has accedunt maxime *Roſeolae*, accedit & arthritidos quaedam ſors, quae memoratas *Roſeolas*, per exſuſcitatos manibus pedibuſque nodulos, rubeolos & adflictantes, aemulatur. Sunt hi quidem utrique tumores, ac dolores, nonnulla parte ſimiles: verum, ut ne tibi imponant, adverte cauſſas, quae in morbo quidem Venereo per alia ſymptomata ſe produnt; in morbo vero articulari junctūrae oſſium & articuli privatim tentantur, non artus medii, ſicut in *Roſeolis* conſueverunt.

Adde, quod *Roſea morbi ſpecies* peculiaribus & propriis ſuis definitur ſignis, quae ſupra jam expoſui; praeter quae nunc deſcribam & alia, quae ſpectant partim ad tempus ſui acceſſus, & ad aetatem hominum, qui hoc malo tentantur; partim ad corporis ſtatum. Porro nos obſervavimus affectum hunc potiſſimum advenire pueris, ſed multo maxime puellis, ac foeminis junioribus, & omnino ad florentis aetatis annos; nimirum propterea, quod impuriores ſunt ſemper mulieres, praeſertim quibus ſtati ſui menſes minus rite, rectēque, prodeunt; ſi grandioribus id tale eveniat, apparente quidem imagine *Roſeolarum*, non tamen erunt verae *Roſeolae*; plurimum enim Syphilidos eſt hoc germen; verrucoſam ſimul & impetiginoſam vitii formam referens, ut dixi: quam ex deleteria ſua cauſſa ſedulus inquiſitor facile deprehendet.

Hujus ejuſdem vitii ſtabilis ortus ad hyberna tempora, ſicut equidem obſervo, ſolet eſſe; quanquam Cornelius Celſus, *in libri V. loco alias citato*, generatim ait; *puſtulae maxime hybernis temporibus oriuntur; nec injuria quidem ad hyemem eſt earum acceſſus, quo tempore calor ad excernendum valentiſſimus eſt, atque humor alioqui craſſiuſculus difflari per compactam cutem facile non poteſt.*

Ad haec, longa obſervatione comperimus, qui hocce malo tentantur, his omnibus eſſe plurimum in ſanguine impuritatis ac ſuperfluitatis, cacochymiam Graeci dicunt: qua cauſſa fit, ut longus & pertinax ſit hic affectus, ob quam eamdem ſanguinis impuritatem non injuria quoque fit, ut mulieres, quibus expurgatio menſtrua non eſt, etiam grandes & bene habitae, vitium hoc incurrant, ac tamdiu detineantur ab illo, quamdiu morantur, & non effluunt iidem menſes.

## QUAESTIO XVI.

### *De re prognoſtica.*

FUturorum obſervationes in hoc morbo factae mihi ſunt hae: Neminem ad interitus pericula perduci. Sic Hippocr. 1. *epid. ſect.* 3. *nocturna non admodum lethalis, verum longa*. Sed tamen in arthritin, & membrorum languorem, ſaepe finiiſſe viſa eſt curata perperam affectio; neque me Hercules injuria: ſiquidem vigens & diu conſiſtens humoris pravitas, ut ulterius procedat, tempore obtinet; proceſſus autem a mediis artubus ad ipſos articulos, invaleſcente morbo, facilis eſt, quibus locis haeret firmius & hoſpitatur imperioſius: in ulcus autem transmigrat ſaepe lata puſtula, fomentis acribus & ſalſis, fota, niſi tamen id, quod gravatum erat corpus, ope medica, mundatum ſit: ſunt autem morbi morae cum obſeſſo corpore ſemper longae; propterea, quod humores plurima parte frigidi, craſſi, multique, dominantur.

Via

Via ſalutis eſt, natura quidem concoquente, ac diffiante, ſuperfluitates, in quibus nimirum corporibus ipſa praepotens eſt ; verumtamen admodum raro viſum eſt , ut ſponte naturae ſine medicamentorum auxilio , diſcuſſus fuerit vitiorum gravidus hic affectus ; quae facit omnia contumax & refractaria humoris , qui morbum fovet, natura. Ars igitur accedat oportet , quae & craſſos humores attenuet, obtuſoſque incidat, meatus expediat & ampliet , & in ſumma concoquat aut diſcutiat ; tum per interna, tum per externa, medicamenta, atque alias medendi rationes, quas brevi tradere jam inſtituo.

## QUAESTIO XVII.

*Indicationes curandi, ac therapeutica ratio generalis, & particularis.*

POſtrema nunc cura ſupereſt recte medendi , atque omnibus, quae praeter naturam ſunt, occurrendi ; ſic rite nobis agenda proponemus haec . *Primum* enim ſtudium erit, ne qui moleſtat, affectus , in dies augeatur . *Secundum* , ut , qui coacervati jam ſunt humores, naturae praegravantes, ac vitium foventes, extrudantur; & haec quidem adverſus cauſſam proviſio eſt. *Tertium* , quoniam nos admonuit magnus Hippocrates, 2. *epid. ſect.* 2. Abſceſſus veluti glandularum ſignum quidem eorum, quae germina habent; ob id, & quia ſignificatur inde malignus morbus, ut Valleſius indicavit ; propterea partes interiores , ac tota viſcera, medicari diutius oportet, ut tum eximantur, cum caſtigentur . *Quartum*, diſcutiendum quodcumque circa particulam incubuit alienum incrementum . *Poſtremum* circa partem dolore levandam, roborandam, & in ſuo ſtatu naturali conſervandam, eſt occupatio.

Jam igitur, ut generales has praeſcriptas medendi formulas ſingulatim , & ad amuſſim exſequamur ; principio cibi parcitas amplectenda ; quorum ciborum eſt & qualitas eligenda, ſic, ut hi non ſalſi , aromatici , acuti , non atrum ſuccum gignentes, non frixi, non exuſti, capiantur: itemque non legumina ; non carnes vetulorum pecudum, non cetaceorum, aut aliorum piſcium, non ſuilla ; non pinguia & oleoſa, non acria, non acida , neque acetum uſitetur ; ſed homo contentus eſto carnibus juniorum , quae mactantur, avium montanarum , gallinacei generis, potius elixorum , quam aſſorum ; ovis dudum partis ; recentibus caſeolis , & coacto lacte ; ex oleribus eſitetur in primis bugloſſum , vulgo borrago ; poſt haec endivia, cichorium , atriplex, chondrilla, beta, lactuca, memoratis carnium juribus decoctae ; vinum aut olygophorum eſto , aut paulo vividius aqua dilutum, a grandi & nigro abſtinendum ; ut quod exhibet fomentum atro ſucco , fervorique ejuſdem: cui remittendo atque attemperando refrigerante victus ratione utendum admonuit Joannes Huccherius, *l. de diaeta, ac therapia puerorum c. de Puſtulis*. Cum alimentorum obſervatione conjungitur & aeris uſura, ſiccioris quidem , quod ad patibiles qualitates ; ſed temperatioris, quod ſpectat ad activas.

Accedit ſecundus ſcopus, qui bifariam expletur corporis purgatione , qui delinquentem humorum qualitatem expugnat ; & ſanguinis detractione , quae plenitudinem exhaurit, ſi ipſa ſit. Sed vulgarem medentium opinionem, ac moremi, non omittam referre ; qui minime patiuntur, ut vena pungatur , aut quae arthritidis detrimenta , aut quotidiana moleſtiarum incrementa ſolet immittere ; quam quidem idiotarum opinionem , me judice, contemnere non oportet ; ſed reputandum eſt animo, vitium hoc haerere ſuccis , quae potiſſima parte diſſiti ſunt a natura ſanguinis, i. e. pituita & melancholia: unde fit , ut & polychronius affectus ſit ,

qua-

quales omnes affectus venae sectione non tractarunt majores nostri, caventes, ne sanguinem amplius refrigerarent. Adde, quod venae sectio suapte natura mobiliorem & expeditiorem in vasis reddit humorem; qua causa fit saepe, ut podagra vel chiragra advocetur; quam ob causam credo factum, ut apricatum ac fomentum prohibuerint Graeci; quamquam balneum probavit Cornelius, quod pleniorem & calidiorem hic auctor statuerit affectum. Sed neque modico dissident intervallo, medicamentum universale, ac particulare; hoc quidem fomentum, illud balneum est omnibus autem modis expertae nostrates vetulae, & obstetrices, *roseolarum* medicae, timent a sanguinis detractione; detrimenta fortassis expertae. Quibus quidem suis experimentis, & quibus nuper expositis rationibus, manus dare non oportet: verum si gracilis homo sit, qui malo vexatur, abstinendum est phlebotomo, quod si plenior corporatura sit & confarctior, hanc utique semel inanire multitudinem non alienum est; ne scilicet illa facultati stimulus sit expellendi. Quod 13. *methodi therapeuticae*, ne semel quidem adnotavit Galenus. Sed & absolute phlebotomo curandas *Epinyctidas* docuit Joannes Huccherius, *in l. de diaeta, ac therapia pueror. c. de pustulis, alias citato*. Atque sic brevi controversia composita est, evacuandi locus e brachio, vel ex manu, si mas sit; e pede vero, si foemina; sunt & qui utriusque sanguinem e venis sedis eximendum velint, quae tamen vacuatio secunda sit aliis phlebotomis, oportet.

Sed, ut tertio scopo satisfacias, *Cathartica* non sunt alia deligenda, quam *Phlegmagoga & Melanagoga*: ex his autem praecipua sunt *mel rosatum solutivum*, & *Serapium de Polypodio*, sive apud nostros *D. Augustini*, & *Confectio catholica Arnaldi*, *& Regis Hamech*; quae pro virium, habitus, aetatis, & regionis, modo plus minus commiscueris & obtuleris: Serapiis praeparantibus ad haec ordinatis *e cortice citrei; & e succo fumariae, cum aqua melissae vel buglossi*. Jam autem, ut quod maximum & praecipuum est, viscera restituas, & malam his habitudinem eruderes, non una quidem ratio est. Nostri curatores omnes, e vulgo, consueverunt offerre *Genistae flores saccharo conditos*; sunt autem & qui *decoctum lenticulae cum melle* dicant satis bene feciſſe. Plurima vero pars *Polypodium* praedicant optime facere; quod Mesueus, *lib. de simplicibus cap.* 5. calidum fecit ordine tertio; siccum secundo; quod humores crassos, lentosque, terget, digerit, siccat; bilem atram & pituitam vel crassam, vel lentam, purgat etiam a juncturis: affectibus ob haec melancholicis prodest, ut quartanis praesertim cum *mulsa*, *epithymo*, *sale Indo*. Verum nos, ut *polypodium* probemus, tamen *exoticam sennam* minoris non facimus. Tertium vero, sed in attemperandi facultate, primum asserimus *Centaurium majus*, a divino Chirone, primo quidem Chirurgiae, at non secundo Pharmaciae magistro, inventum. Ad haec, non omittenda *smilax* est *aspera*, quam pro *sparto parili ipso Indico* exacte restituit Marius Schipanus, singularum Medicinae partium, & Botanicae, excellenter peritus; neque quod nodosa sit *smilax*, propterea de hac re dubitaveris. Quippe id, in quo aequiparantur nostra haec *smilax* & *rubus Indorum viticulosus*, fibrae sunt enodes ac longae, quae sunt utrisque cum lignosa interna portione pariles ac perpetuae. Sed de his apud Prosperum Alpinum, *l. de plantis Ægyptiorum* late: nos interim revertimur ad institutum.

Quibus medicamentis compositum unum *decoctum saccharo*, vel *melle conditum* offeres, ad multas, tres minimum, aut duas hebdomadas hauriendum, selibrae pondo: *Centaurium ad uncias* iij. *Polyp. ad unc.* 1½ *Senna ad unc.* j. in *aq. fontanae sex lib.* decoquantur; primum *rhaponticum*, mox *polypodium*, extremum *senna*. Huic dispar admodum non est *Serapium* dictum *majus e fumaria* cujus binas uncias

cias tum *polypodii*, *ſennae*, *rhapontici*, *decocto* ad duplum addito ; languens hauriat ad longum etiam dierum numerum, quorum jam praeſcripſi.

Sed omnes compoſitiones ſuperaverit ea , quam mox exponam . Sunt , ut *in Paedarthrocace* docui, *Angues* , quos a calore *Cervinos* dicunt , ad contumacium graviſſimorumque morborum curationem mirum in modum accommodati ; qui ſuperfluitates corporis exſiccantes eluunt, & naturae lapſus omnes , nativa quadam virium proprietate , caſtigant : itaque, & ad luem Veneream efficaciter expugnandam, hoc praecipue medicamentum voluit utendum Ludovicus Mercatus , inter Hiſpanos omnes Medicos experientiſſimus. Quod ego *Serapium* ſic parare conſuevi.

*Anguem cervinum*, vulgo Cervonum, *aetate media* , *ac bene habito corpore* , *in arcula ligneola*, *quae furfures ac ſalem receperit*, *aliquamdiu concluſum* , *capite* , *& cauda podice tenus*, *exſectis* , *excoriatum & exenteratum in multas partes concide* , *& coque in aqua fontana*, *quanta ſuffecerit*, *cum his ſimplicibus medicamentis*, *i. e.*

℞. *Radicis Centaurii majoris*, vulgo *Rhapontici ſuccoſi* , *in taleolas praeſecti*, *unc.* iij.
*Radicum Smilacis aſperae*, *contuſarum*, *unc.* ij.
*Polypodii quercini unc.* j ℈
*Radicum Bugloſſi*,
---- *Endiviae*,
---- *Cichorii* ,
---- *Graminis*,
---- *Aſparagorum*,
---- *Adianthi*,
---- *Aſplenii*, *ſingulorum manip.* j.
---- *Glycyrrhizae*, *drachm.* iij.
*Eupatorii*,
*Chamaedryos*,
*Scabioſae*,
*Pimpinellae*.
*Coronopi*,
*Phyllitidos* ,
*Hepaticae*,
*Meliſſae*, *ſingulorum manip.* j.
*Betonicae*
*Plantaginis manip.* ij.
*Hordei*. *pug.* ij.
*Uvarum paſſarum*, *exacinatarum*, *unc.* ℈
*Foliorum Sennae Orientalis*, *unc.* j.

Ferveant omnia ſimul, ordine competenti , & ſucci colatura cum *ſaccharo albo* condiatur modo , & conſiſtentia , Syrupi , qui conclareſcat ovi albumine deſpumato ſ. a.

*Doſis ab unc.* iiij. *ad unc.* vj.

Quod ſi partito atque multoties Decoctum confici certiore conſervandarum medicamenti virium, & palati commodo libuerit; conſultum huic rei fuerit, ut ante abraſas e ſpina carnes *Angues* ad clibani torrorem , exempto pane, paſtillorum forma paululum exſiccaveris , ſeu mox *ſacchari & mellis pauci* conditura obductos, eoſdem conſervaveris ; ſic ad uſum eam materiam in decoctum pro ratione ſumpſeris & admiſcueris.

Poſt haec , ad puſtuloſam partem remedia referet ; quorum pars Medicamenta,

pars

pars Chirurgia est. Medicamenta quidem, ut indicavit Oribasius, exsiccantia quidem sunt, sed sine mordicatione; qualia *l. 7. Synops. c.* 37. dixit *Silphii succum aqua solutum, aut Cicutam tritam; cujus ejusdem libri c.* 42. scripta reliquit haec; *Ad epinyctidas valet Apium cum Polenta tritum & illitum: brassicae folia trita imposita: Alterci folia ex Melle trita applicita. Solanum per se, & cum Cicuta viridi, aut Olivae foliis cum aqua coctis utitor: uvas passas, ademptis acinis, tritas admisceto, easque splenio illitas imponito: Adianthum quoquè ex Melle tritum facit.* His Paulus, *l.* 4. *c.* 9. comprobatis omnibus, & integre traductis, addidit Adianthum ex melle, &, *capite sequenti*, argenti spumam & sulphur, ignem non expertum, pari portione cum aceto applicitum: item *Myrtus*, ait, *in laevorem redacta, sordium illitione cum oleo & vino benefacit &c.*

Sed Cornelius Celsus haec tradidit; *Epinyctis post lenticulam, recte herba quoque sanguinali vel viridi coriandro curatur: ulcera, ex pustulis facta; tollit spuma argenti cum semine foenigraeci mista; sic ut his invicem rosae, atque intybi, succus adjiciatur, donec mellis crassitudo fiat.* Haec ad *Epinyctidas* Antiqui. E Junioribus vero Joannes Huccherius, *in l. jam pridem citato*, medicamentis partim refrigerantibus ad ardorem leniendum, partim digerentibus propositis, tradidit adponendum cataplasma, ex hyoscyami foliis contusis, cum melle mistis, atque ex brassica, apio, & hordei farina concorporatis; vel ex coriandro viridi cum cymis oleae coctis. Nostri ad *Roseolas*, ut ipsi dicunt, *fel porcinum aut bovinum adhibent, hordei farina, vel crassiore item aliqua materia, quae consentiat, exceptum;* interim ad novem dies oblato *plantaginis succo.*

Sed omnia Medicamenta superat longe Chirurgicum experimentum, quod est *Scarificatio*, tum ad ipsas *Roseolas*, tum ad tibiarum anteriorem faciem, semel aut amplius, phlebotomo facta; non alia ferme ratione, quam quae a Prospero Alpino, 3. *de medicina Aegyptiorum*, & a Jacobo Manno, *lib. de scarificatione*, vulgata est; a Barbaris plerisque nationibus, & Asiaticis, hodierna die feliciter exercita; & a me etiam fere quotidie, in sacro Incurabilium Nosocomio, nunquam sine fructu administrata. Hanc autem, in hoc eodem vitio curando, sentii mire proficuam, in utraque memorata virgine Parthenophylacii, & in obstetricis filia; qua, miro quodam & incredibili modo, visus est dolor sopiri, ut ne talis quidem, alias confectis rite corporis expurgationibus, persentiretur; qua vacuationis exacta opera, vix aliud erit necesse, si fuerint satis intime perpurgata. Atque hactenus de *Roseolis.*

FINIS.

*LIBRI*

# DE PERNIONIBUS.

## PRAEFATIO,

### *De Tractationis Dignitate.*

*Pernionem* non levem affectum per id oſtendit Hippocrates, quod non ſemel, ſed 5. *epidem.* & 7. de eodem recte curando praecepto tradidit, quae paulo poſterius exponemus. Satis autem id oſtenditur definitione, referente vitii naturam, quae eſt ambuſtiora, ac tantum non corruptoria membro χειμεθλοπαθη ad extremum ſaepe modum intemperato ac propemodum extincto; adeoque non inſcite, neque hyperbolicos interpretatus poteſt videri Macer, qui diſticho cecinit.

*Eſſe pedum dicunt vitium, cui Pernio nomen:*
*Eſt a pernicie membri patientis id ipſum.*

Nec injuria perniciem pedis *Pernionem* vocavit, quando & tumores amplivagos, & dolores acres, & torpores aduſque negatos membrorum uſus, ducat *Pernio*. Experimentis autem conſtat noſtris, qui ſacro Valetudinario ſingulis brumis inopes homines undique confluentes, conſueti ſumus curare, etiam gangraenas, ac necroſes hujus affectus, ſaevitia perpeſſos, quod maxime evenit anno 1624. cujus algores, inter omnes quas noſtra memoria recolit, incomparabiles fuere: minimum autem eſt, ſi dixerim hos plerumque in ulcera faceſſere prava ſic, ut oſſa nudent; ſic teſſeram calcanei, carne abroſa, patentem a ſe viſam perhibet Julius Caeſar Arantius; mihi vero ſe obtulit filia Marii de Majo, Bibliopolae in taberna libraria Joſephi Peluſii, cui digiti manus, abſumpto perioſtio, fuerant ulcerati; atque item in Valetudinario noſtro alii: ergo jure, maligna *chimethla* dixit Ariſtoteles referente Mercuriali, quamquam haud tales ſunt *Perniones* ſua natura, ſed ex accidenti; id eſt, vel quia non fuerunt homines principio recte curati, vel quia in cacochyma vel cachectica, ac δυσκλχῃ corpora inciderunt: quibus cauſſis fit, ut ſub rigoribus hybernis, ad aeſtivos ardores ſe ſervent, atque etiam ulterius alteros hyemis circuitus viſant, atque hoc tempore fomenta nova recipiant. Sed haec, ut dixi, labes interna corporis facit. Quae cauſae profecto levi quidem; aut vulgari, cura non ſunt ſpectandae, ut feliciter his occurrere poſſis & contumaciam mali ſuperare. Auget autem incommodi gravitatem, quod hunc affectum, quotannis ſtabiliter accidentem, pauci ſunt, qui intelligant; plurimi autem minime comprehendunt, ſed ſic in eo veſtigando hallucinantur, ut cum *Roſeolis* malignioris naturae, contrariiſque cauſſis producto vitio, confundant, evidenti ſane periculo; ne auctus a fovente medela morbus infinite ſaeviat, atque hominem ferme mutilet. Jam igitur, ut hic tam multi momenti error eluatur, ſuaque languentibus medicina reddatur, neceſſarius profecto labor nobis, dignuſque, viſus eſt, qui ſedulo ſuſciperetur. Itaque cum aliis Abſceſſibus, ac Tumoribus, hunc etiam enarrare gravati non ſumus, ac ſic complexi, ut in eo pleraque illuſtraſſe certo credamus. Reliquum eſt, ut haec tibi, lector, eo ſint uſu atque commodo, qualia nos, ut eſſent, collaboravimus.

## CAP. I.

### *De Notione.*

PRincipio nomen interpretantibus admodum incerta res est, quo referri debeat origo: an enim dicti *Perniones* per syncopen figuram, quasi *Pterniones* a Graeco nomine *pterna*, quod est *calx*, vitii scilicet propria sedes, unde πτερνιστὴς calcar, & πτερνοκοπεῖν calcaneis strepitum movere, supplodereve; an vero per eandem figuram appellati *Perniones*, quasi *Peroniones*? enim vero, velut defixae in lignum peronae, & clavi capitulo quodam prominentes, apparent; qua etymo servata fieri potuit etiam, ut nuncupati fuerint *Peroniones* propterea, quod ad *Perones*, id est, fibulae vocati offis alterius de tibia fines, oriantur; quo loco tendo maximus implantatur.

Praeter has omnes, alia fuit etymologia Macri, herbariae rei scriptoris, qui, *capite de colubrina*, magno uno vitii spectato symptomate, quae necrosis est; *Pernionem* a pernicia dictum suasit carminibus, quae dudum recitavi.

Habes jam Latinam notionem: si vero Graecos adeas, hi nominavere χίμεθλον, seu potius κείμεθλον; quod hyeme producti visantur, auctore Joanne Gorraeo, *in defin. med. suo loco*; & hoc subinde comprobantibus Gabriele Fallopio, *lib. de tumor. particularib. cap.* 36. ac Johanne Huccherio Monspelienfi Professore, *libro de diaeta, ac therapia puerorum*, illo ipso titulo.

## CAP. II.

### *De Genere morbi.*

HOC jam nomine vulgatus morbus, ad quodnam generum, a Medicis constitutorum, referri debeat, haud plane discretum est; indefinita adhuc re, num *tumor*, num *ulcus* habendum sit. Porro Galeno auctore, *in l. de tumor. praeternatur*. & communi omnium consensu, *Tumor est incrementum particulae cujuspiam in longum, latum, & profundum*; atqui ejusmodi est *Pernio*. Quapropter a Gabriele Fallopio, a Philippo Ingrassia, & Julio Caesare Arantio, cum Tumorum familia censitus ac tractatus est. Verum tamen Hieronymus Mercurialis; *in sua definitione*, nuncupavit ulcus, nulla Tumoris habita ratione; propterea, quod quatenus Tumor est, eatenus nullam inferat noxam: quam rem ab eo viro creditam non admirari non possum, qui noverim a solo isto tumore, pedes aggresso, compluribus ademptum saepe, plurimum autem impeditum, incessum; manibus vero conflictis comprehensionis usum, & alias suas enchirises quasi praecisas. Caeterum ignarus non sum, ab antiquis, i. e. Oribasio, Aetio, Paulo, dicta ulcera: sed, ut in *Epinyctide* monstravi, minus exacte, neque ad amussim; appellatione nimirum accommodata tuberculis, & fortasse non exulceratis: nam nemo diffitebitur, ad Tumorem, atque ad ulcus, promiscue se habere affectionem: verum aliqui spectavere vitium in ulcus transgressum; aliqui citra id tempus, in cujus tamen latitudine non inficior ulcerosum apparatum subesse, praesertim si diutius inhaeserit vitium. Est itaque liberum hoc, aut illud, opinari; modo distinxeris tempora, i: e. vel manentem adhuc primam suam speciem, vel in ulcus mutatam: verius autem & simplicis tumoris illi ratio debetur, quando jam tum exorsus, paululumque provectus, humoris accessus, primum nanciscatur tumoris nomen; cum vero post haec ulceratus est, jam in aliam speciem transgressus apparet.

CAP.

## CAP. III.

### *De Sede affectus.*

SED neque ſedes affectus ab omnibus una refertur : qui nominis etymon ſunt ſequuti, pedum hoc vitium fecere privatum ; ſed non rejecerunt ab hoc ordine manus alli, qui communem ſpectarunt binorum membrorum ſortem, quae communis multorum opinio eſt. Fallopius aures addidit, ac nares, at non ita quidem arbitratus videtur Mercurialis, qui excluſit ſupremas corporis partes, propterea, quod influentis calidi multa colluſtratione participant : ſed haec certe aſſertio falſi convincitur experimento ; ſiquidem nivali tempore nemo eſt, qui non videat multum auricularum *chimethlis* affectarum. Praeter quae membra nos, ſi comprobatis & noſtris, & amicorum obſervationibus adhaeremus, non dubitabimus, & alias pleraſque partes plane debiliſſimas, & quae Celſi vox fuit ) eminentes huic languori ſubjicere : nam quomodo ab extremi frigoris vi ſe tueantur eaedem ? Atque inde fit, ut *Roſeolas ſaltantes* cum *Roſeolis* ſimpliciter dictis, qui *perniones* ſunt, confundant hodierna die nonnulli Medici nobiles Neapolitani ; quorum unum non multis ab hinc diebus cum Joanne Maria de Potentia, Lucano Medico, audivimus, huic opinioni ſic haerentem, ut ab ea non poſſet plane diſcedere, ſignificantibus nobis contra noſtram demonſtrationem. Quae quidem eo retuli non, ut alios taxarem, ſed ut operae noſtrae, qui haec animadvertenda ſuſcepimus, utilitatem ac neceſſitatem oſtenderemus.

Verum ad priorem ſermonem redeuntibus jam nobis, quid placeat in hac re, audi. Oſſa membrorum omnium intima, & horum proxima cartilagines, ſunt contectae carnium & muſculorum offarctu ; qua vero iſtorum expertes, cute duntaxat ſubjectis membranis obducuntur. Poſteriores has partes omnium eſſe debiliſſimas nemo non videt: imbecillitatem autem hanc adverſus aeris injurias, praeterquam ad externos ictus nullo tempore abjiciunt ; ergo ejuſmodi partes omnes, praeſertim, quae in extremo ſunt ambitu corporis apparent, quae *chimethla* patiantur, atque adeo narravit aliquando Franciſcus Romanus, Medicus amicus noſter, cum brumali tempore Ciſalpinam Galliam forte fortuna peragraret, *Perniones* circa cubitos & carpos, naſum & labia, partim ſe, partim comites ſuos pleroſque, graviter expertos. Sed neque taceri velim ſexcentorum ejuſmodi hominum obſervatione rariſſimum illud, extremorum digitorum tum manuum, tum pedum carnoſa ( cacumina & acinos appellavit Ruffus Epheſius ) interdum etiam vellicari *Pernionibus*, quas quidem manuum partes eo malo lividulas ac torpeſcentes ; hoc anno, cujus nulla bruma fuit, primus oſtendit Joannes Ruardus Gallus, Bibliopola non ineruditus ; pedum autem illas particulas in aliis Valetudinarii noſtri decumbentibus vidi ſic aliquando vitiatas, ut etiam oſſicula metacondylorum abſceſſerint. Ut intelligas jam eminentibus & extremis nullis corporis partibus, parcere genus hoc ulcuſculorum.

## CAP. IV.

### *De Pernionum cauſſis, & ortu, Doctorum hominum ſententiae.*

DE *Pernionum* cauſſis & procreatione nonnullae fuerunt ſcribentium opiniones. Franciſcus quidem Valleſius, *in* 5. *epidem.* 52. Hieronymus Mercurialis, *in l.* 1. *de morb. pueror. F.* &, poſt hos, Julius Caeſar Arantius, *in l. de tumor. praet. natur. tit. hujus ejuſdem rei proprio*, cenſuerunt *Perniones* advenire,

conſtipatis hyberno frigore pedum manuumque particulis, qua conſtipatione productus fervor, atque aeſtus, pruriginem acrem ac perdolentem inflammatoriumque tumorem parit. Verum enim vero, ut equidem non inficiar, cutis addenſationem hoc vitii capere, tamen haec cauſſa non ſatis ad illud omne procreandum videtur, at neque ut tumorem excitet effatu dignum, & phlegmones concremento parem; conjunctum praeterea ſymptomatis ſic ſaepe pravis, ut oſſa nudet, ac ſideratum oſſis inducat; verum, ut tantummodo pruriginem moveat, vix autem, ut phlegmonem etiam tumore ſolutam producat, valere pororum conſtipationem affirmo; atqui Tumor, quem Pernio ducit, etiam principio dignus eſt effatu, confertuſque mox ulteriore gradu provectus, & magnitudine non modica eſt, & vi graviore ſaevit, quam ut compacta corporis extimi textura poſtulet.

Sic apparet impar *Pernionum* cauſſa denſatio. Mirum autem, quod energia frigoris prima relicta, qualitatem ſecundam, aut quid potius hujus ambages, quam principii rectam efficientiam amplexi fuerint hi: aut quid ab exili cohibita tranſpiratione detrimenta potius, quam ulla conſtrictionis commoda ſpectarint; quippe mihi tam parum denſatione fieri vitium videtur, ut haec etiam appareat uſui ſummo futura, ne quid in locum obrepſerit mali: ſic enim unice praecluditur via frigoris inſolentiae, cujus ipſius vi propria, non eventu poſt ipſum alio, fit affectio. Denſitatem, inquam, adverſus *Perniones* fore propugnaculo declarat, quod piſcatores, qui perpetuo in aqua maris obſtruente verſantur, *Perniones* incurrere minime videris; atque etiam ſi quis multo ante tempore, quam adveniant hyberni rigores, vel igne, vel alia ratione denſaret partes *Pernionibus* obnoxias, hae certiſſime defenderentur & praeſervarentur a noxa; quae ipſa proviſio, conſiliumque curandi, fuit Dioſcoridis, qui picem illivit; Theodori vero Priſciani, qui gluten & ceram appinxit. Ut non adſtruere jam poſſis amplius ex ſuperfluitatum coarctatione labem aliquam: nam, amabo te, quae haec, aut qualia in tam exigua comprehenſione particulae? aut quomodo non aliis etiam corporis partibus, frigore denſatis, accidant illa mala? Cum enim apparatum humoris praetexes, protinus erit cutis denſatio vitii cauſſa leviſſima.

Quod ſi eſt, tua quidem opinione *Pernionum* cauſſa denſatio, fit inde, ut hanc quaſi fovere, conſervareque, cum morbo voluerint antiqui Medicinae magiſtri, qui plurimum adſtringentibus curavere. Porro Dioſcorides alumen aqua inſperſum, lentes, roſas ſiccas, malicorium, cydonium malum, myrtum, acaciam, adhibenda praecepit; nulla vero laxantia, ut producenda ad calcem tabula apparebit. Poſt hunc, Oribaſius alumen, & farinam, paribus portionibus, in vino terit, & illinit *l. 7. Synops. c.* 45. Sed Aetius alumen liquidum & ſciſſum, & rotundum acetum, ſuccum acerbae uvae, malicorium, myrteum, omphacinum oleum, rhus coriarium, atramentum ſutorium, flores mali punici, medicamentis admiſcet. Paulus vero lenticulam cum vino; alumen, malicorium incoctum vino; oleum lentiſcinum. Sed e Graecis ultimus, Actuarius Emplaſtrum e calcitide Galeni probatum ad Perniones ait *l. 6. meth. med. c.* 8. E Latinis vero, primus Cornelius Celſus imponi jubet alumen aequa portione cum ture contritum, cum vino adjecto, aut malicorium in aqua coctum deinde contritum. Marcellus item, *l. de Medicam. cap.* 34. ſcripſit haec: *alumine ex aceto perunctis Perniones ſanantur*. Ad hos vero Theodorus Priſcianus *perniones* vino ſtyptico calido fovet, ac decocto betarum, quibus alumen ſciſſum infuſum fuerit; & cataplaſma ex aluminis pulvere, cum hordei farina & vino compoſitum, adhibet; aut gallas cum aceto contritas, aut caduca mali granati in calidis cineribus tepefacta ac trita. Denique Plinio auctore, *l. 23. nat. hiſt. c. 6. Perniones* ſanantur cortice mali punici ex vi-

no

no decocti & impositi & *l.* 31. *c.* 9. salis impositu, & *l.* 33. *c.* 6. lithargyro, myrtho, & cera. & *l.* 35. *c.* 19. liquido alumine. Sed & Plinius Valerianus, *l.* 2. 51. styptiriam coquit in vino, & ex hoc fovet pedes. Satius igitur, quam hi omnes opinatus est Gabriel Fallopius, qui dixit, tumorem hunc excitari percussu multo aeris algentis & borealis venti, quo plurimum allidente ac veluti flagris membra caedente, sanguis & spiritus eo locorum accurat, ac multus inibi consistens tumorem exaggeret & coacervet.

Verum de Fallopii opinione paulo posterius: nam referenda mihi mox est sententia Joannis Huccherii Bellovaci; in cujus viri doctrina Monspeliensis magisterii dignitas non obscure deprehenditur. Hic, *in lib. de diaeta ac therapia puerorum c. de hac ipsa re*, professus est, nasci *perniones* ex sanguine, in superficiem partis frigidae, doloris vi, a frigore externo vehementi allecto & perfrigerato, tandemque putrefacto [neque enim ait, extincto calore suo sanguis suppurationem habeat] ut acrimonia sua obsessam partem, cutemque, erodat atque exulceret. Apud quem ipsum auctorem curationis scopi sunt, densatae a frigore partis laxatio; concretique sanguinis attenuatio, detersio, resolutio, sive ichorum effusorum exsiccatio. Voluit autem & plurima, ut adustis, adhibenda.

Quae docti Viri opinio, ut omnium ingeniosissima est, & elegantissima, tamen comprehensu difficilia nonnulla comprehendit; primum, ut extinctum sanguinis calorem curet refrigerantibus, & his, quae ambustis occurrant? Secundum, quando vitium est a densatione vehementis frigoris, in parte item frigida, quo pacto tam doloris vis attrahere potis sit, ut non magis obsistat, praevaleatque frigus, quod dolorem praevenit? Crescit autem haesitatio magis; quod sanguinis attractio actio adusque superficiem adstruitur. Praeterquam enim, quod repugnat & sanguinis natura inter omnes humores crassissimi, & qui fusus extra venas est, continuo refrigeratur, & concrescit; quam refrigerationem, & quod concrementum, & ipse opinionis auctor testatus est. Tertium, quod laxatio potius haec cutis, in ultima superficie admittantis fusum e venis sanguinem, quam densatio censenda est; contra quam ipse in scoporum enarratione proposuit. Quartum, haud compertum est, ut frigus computrefaciat, potius enim, quae putrescere parata sunt, vindicat a putredine; quam alioqui putredinem si quando parit alia quidem & per circuitum via est, & ratio, quam non declarat hic vir, sed putrescentiam istam frigori per se, ut certe simpliciter, attribuit.

Haec igitur omnia capita nonnullam offensam inurunt opinioni praenarratae, quae optarem equidem nulla, ut scitum illud placitum sequi possem. Quapropter alia tenenda via est, ut intelligentiae satis faciamus; nitar autem quantum in me est, maxime probabilem aliquam de caussis & generatione sententiam in medium proferre, si tantummodo praesit Minerva.

## CAP. V.

### *De Pernionum caussis, & de morbi procreatione, Opinio nostra.*

ANtequam autem aliquam demonstrationem ordiamur, proponenda sunt quaedam, tum ad effectricem caussam, tum ad materiam spectantia: incipiam ab effectrice, quod omnium consensu frigus est, & bruma. Frigidum Hippocratis doctrina, *lib.* 5. *aphor.* 20. & 22. partibus exsanguibus exitio est; quae res fit, scilicet, quod πολέμιον, atque e diametro adversans est calori partium nativo, quod amicum est & judicans, ut ipse ait. Jam igitur, ut praevaleat inimicum fri-

frigus, ſic calorem obteret aut extinguet. Praeter hanc, altera frigidi vis eſt tanta, ut ad uredinem accedat; quam uſtionem videre licet hyeme in plantis & herbis glacie, niveque, obductis, ventorumque rigore percuſſis: itaque vulgatum eſt apud olitores & agricolas, arbores frigido exareſcere, id eſt, humore nativo exhauriri atque flacceſcere. Tertia frigidi proprietas, eſt penetratio in altum ubicumque corpus ita, ut intima viſcera contremiſcant, convellanturque, frigore: quas tres omnes frigidi qualitates mirus uno verſu comprehendit Virgilius, qui ait;

*Acrior, aut boreae penetrabile frigus adurit.*

Sed & malorum experti referunt, inter cauſſas *Pernionum*, hanc non poſtremam; ſi quis hyberno frigore poſt ſummum partium extremarum perfrigeratum, ac madidatum, ad immodicos ignis adhaeſus ſe referat; aut contra ab ignis adhaeſu ad crudum frigus, qui duorum extremorum, ſubinde ſuccedentium ſibi ipſis, uſus naturam non torquere non poteſt.

Hactenus de efficiente; nunc enarranda tumoris eſt materia, quam Fallopius, *in tract. de ulceribus cap. de ulc. nomode*, & *l. de tumoribus c. 39.* dicit ſanguinem purum; quod hercle ſi nos admittimus, ſimul etiam admiſſuri ſumus, quod eſſet haec phlegmone; atque adeo apoſtema aliquando ſuppurabile; nunquam autem ſuppuratos aliquos, ut vero turgidos ſemper aut exulceratos vidimus *perniones* cum autem exulcerati ſunt, adeo pus non reddunt, ut ſint perpetuo ſicci; quod advertit item Hieronymus Mercurialis.

Sed noſtram nos opinionem exponamus. Per habitum omnem illius partis, quam obnoxiam malo nominatim oſtendimus, ſunt perpetui quidam affuſi, perſperſique, rores ſanguinis, i. e. flores ejusdem, & vividiſſima portio; hos rores aura glacialis adhaeſu plane triſtifico corruptos, primum exhaurit atque abſumit; qua confecta re, qui novus accurrit ſanguis, & hujus ejuſdem ros, ut particulae conglutinentur, huc perlatus, tum a contrectatu malo partis affectae, tum ab appulſu corruptivi frigoris labefactatur; quod cum fit in dies, praeterquam quod doloris vis non poteſt ſuccos praeſertim calidos non attrahere, exaggeratur idem tumor; excocta veluti per ambuſtionem, parte, quo factum eſt, ut ambuſta haec Latine reddiderit Theodorus Gaza, apud Ariſtotelem illud Problematis interpretatus. Qui ſucci, quaeve ſuperfluitates, huc omnes advecti male dominati a natura tranſmigrant in ulteriorem intemperantiam, ac putredine jam concepta pariunt ulcus; inde fit, ut utiles ac puri liquores, qui primum occurrunt, prima ſint morbi materia poſt, hos autem interiores ac viliores alii.

Habes jam noſtram de vitii cauſſis & generatione ſententiam; quam ſi cum Fallopiana contuleris, profecto videris illa probabiliorem atque exactiorem. Primum enim quid naturae conſentientius, quam partes ſanguinis efflureſcentis ſubſtantia tenuiores, & exteriores, primum diſſipari, mox reliquum craſſamentum in parte relictum computreſcere? computreſcit, inquam, ſanguis, ſubinde vivida rorium portione tabeſcente atque corrupta, qua ipſa incolumi perſiſtere, tota integra ſubſtantia, & cum inimico frigore depugnaret invicta; veluti vinum, quod dum ſpiritus ſuos incolumes ſervat, non corrumpitur, ſed poſtquam iſti deſiere, ſic aceſcit aut vapeſcit. Ad haec, potior expoſitio noſtra, quae rationem rei totam aperit ac enucleat; potior eſt altera, quae laxius expoſitis cauſſis, accidentia magis, quam rem ipſam perſequitur. Sed & firmam noſtram opinionem volens nolens approbavit Fallopius, qui non inchoatos adhuc, neque exiſtentes, *perniones* voluit medicamentis roborantibus antevertendos atque cavendos, reprehenſis acriter iis, qui jam confirmatos curant inutiliter & infrugifere. Enim vero procurantur, in-

quam

quam, partes obnoxiae principio, priusquam vitium aliquod obrepserit; singulari ac evidenti, quam indicavi, ratione atque consilio tuendorum rorium sanguinis; qui postquam labefactati frigore fuerint difficillimam curationem recipiunt: Quid quod inexcussi saepe medicamentis *Perniones*, vere propinante, sponte delentur? scilicet instauratis iisdem roribus, ac tepore nativo, partis integre restituto. Tertium indicium illud est, quod sanguinea suppurabilis alioqui substantia non suppuratur, quod fit nimirum, quia sanguinis calor extinctus est, ac vigor excussus.

Verum enim vero, quid dicamus ad Julium Pollucem? cui *Onomastici l. 4. c. penult.* dictae sunt ἐλκόδεις φλεγμοναί inflammationes ulcerosae? sed ab hac quidem viri sententia non discrepat nostra traditio; qua statuuntur tubercula inflammatoriam & ulcerosam affectionem, referentia. Verum, quo pacto cum inflammatione conjuncta sit extinctio caloris in sanguine, hoc explicandum fortasse fuerit nobis; qui non profitemur emortuum sanguinem; ut in gangraenis & omni necrosi: verum, ut in morticinis pedum clavis, spiritus vividiores & plusculos absumptos afferimus exemplo sit carnosae particulae contusio sive contritio, cui maxime similis *pernionum* est natura; ab hac quidem excussa plurima pars est spirituum & vigoris a sanguinis flore venientis: unde languens ac stupens pars collisa restat, verum non sic, ut vitae detrimentum extremum experta sit, haec enim absoluta gangraenae, ac interitus, effet calamitas, a qua natura contusionis est longe, si quatenus ipsa est, concipiatur. Similes igitur contusis, quae ad semiexanimem naturam accedunt, sunt *perniones*, quantum ad hoc caput spectat; si tamen adjunxeris inflammatoriam affectionem & ustionem, quam in carnibus, frigore percussis, nemo non videt.

Sed hujus utriusque effectus causam & rationem audire si requisieris, hanc ego tradiderim. Est frigus extremum, communi philosophantium consensu, adversus omnia qu dem corpora, sed animantium potissime, contractivum ac densativum sic, ut partes, quoquo pacto dissitas nimium, attrahendo pervellat ac mordeat; unde mordentia frigora dixit naturae scientissimus Virgilius, seu quicumque fuit is auctor, *in Rosa*; hoc igitur immodico raptu partes adducendo, & harum poros adstringit hiantes, & earumdem calorem conculcat in se ipsum coactum, qui propter hoc nihil exhalans, atque repressus, acervat substantiam, fervet ac aestuat, praeter suum naturae modum accensus; quo fit, ut carnes a quibus hospitatur, ipsas reflexus discoquat, ac veluti flamma quadam exurat. Aliud etiam, quod observavi, referam; sic extenuari, rareque fieri, percoquendo partes ab hujusmodi calore, ut prope diaphanae reddantur, si ruborem tamen non excluseris. Ita post multos suorum effectorum circuitus, crudum & immite frigus objectos mortalium artus inflammat atque exurit, per antiperistasin nimirum, ut dicunt; calorem exaggerando, quae res, praeter nostros physicos, neque Servium grammaticum latuit; qui *secundo Georgico. super memorato Virgilii loco*, dixit; & frigus esse caloris initium, & summum calorem frigoris esse principium, unde quasi unus effectus est frigoris atque caloris. Quibus omnibus ad summum contractis apparet, ut inflammati, non inflammati vero; corrupti non corrupti; extincto sanguinis calore, non extincto, sint genus hoc difforme tumorum & ulcerum, quos *pernio-nes* appellamus; non consueta scilicet & calida interiorum affluxionum causa, neque in totum ignavo, & inerte, frigore productos.

CAP.

## CAP. VI.

*Pernionum Definitio, & de quorumdam affectuum discretione.*

HAEC quidem omnia, si placet, ad Definitionis formam redigere sic possis; *Perniones sunt tubercula in pedibus, manibusque, inflammatoriam & ulcerosam affectionem referentia;* quae fit abolitis primum in his particulis ab hyberno frigore roribus sanguinis, mox a vi doloris attracto conculcatoque sanguine semicorrupto. Hac porro descriptione multos a *Pernionibus* affectus discreveris; videlicet intertriginem, paronychium, tophos podagricos, clavos, callos; de *bugantiis* autem vulgo dictis non adeo certus sum, nam hae licet quidem apud Cisalpinos, atque alias Italas nationes, hodierna die sunt iidem, qui *Perniones* tamen Gulielmo de Saliceto, veteri Chirurgo, sunt calli, duraque pedum tubercula, qui excisione tolluntur; quamobrem ipse acu per bugantiam transmisso, & per filum, quod acu ducitur, multoties comprehenso, perque manum sublato; quidquid acui subjicitur, scalpro rescindit; quae curatio longe videtur alia, quam quae *pernioni*; congruat aut accomodari possit. Quae te nosse volui tum, ut nomina rerum; tum, ut res ipsas sine errore discernas, & scripta prudentum secundum ipsum animi sui sensum accipias.

## CAP. VII.

*Qui, qualesve, sint ad hoc vitium suscipiendum parati; simul & in hoc Problemata discussa plura.*

OPportuna huic vitio partes excarnes, & eminentes, in disputatione de sede affectus ostendimus; cujus rei caussa non est ad summam alia, quam extrema debilitas: sic adolescens quidam Consentinus, rei Medicae studiosus, qui per vulnus inferiore carpo senserat jam manus atrophiam, expertus est hac hyeme alioquin tepida, *Roseolas* in digito minimo privatim; quae pars inter omnes maxime sustinuerat ictum, aut, ut accommodatius in rem loquar, ab hoc ipso noxam, quae stupor & aliquando sensus private fuit. Parata quoque inter omnes est aetas puerilis, quam rem & Cornelius, *in l. 5. c. 26.* testatus est. Deinde patet hisce molestiis adolescentia propterea, quod laxiores ac molliores istorum hominum particulas nullo negotio penetrat, exsuperatque, vis insolens brumae.

Neque vero memoraveris etiamnum contra, calidum istorum maxime vegetum & uberrimum, siquidem obtruserim eo tempore totum intro conversum, praeterquam quod molliusculum est illud, & uti copiosum, non item robustum ac statum; contra virorum firmius est, velut antiquum vinum, etsi copia minus est: puerorum vero calor, quale mustum est, halituosum atque commistum. Haec mihi sane ratio videtur, qua pueri maxime in hunc affectum incurrant. Ut nequaquam sit audiendus Mercurialis, qui propterea pueros huic vitio fecit obnoxios, quod omnium minime se tueantur a frigoris injuriis, sed his prope se subjiciant ultro ipsi. Ad quam puerorum naturam accedit & ea, quae foeminarum est; praeter quas impuberum ac puberum aetates, & alia paulo superior exors ejus mali non est, si corporis habitus ac temperamentum ad utrorumque modum accesserint. Hic naturalium ordo est; quod vero ad non naturales alteras pertinet, climata Septemtrionalium regionum, ut quae hyemi plurimum respondent, cum primis obnoxia sunt huic noxae: quapropter epidemicos & vulgares istarum gentium

tium *perniones* retulit Olaus magnus, *in hiſtoria de hiſce populis*; dum tamen adverteris & graviorem *pernionum* vim ac furorem adverſus has nationes, eoſdem magis, quam noſtros Italos, affectioni reſiſtere; nimirum propterea, quod his incommodis aſſueti ac magis obfirmato ſunt corpore adverſus eadem.

Poſt haec, quod equidem obſervavi; referam, graviter expendendum: etiamſi communem ex aequae potente cauſſa, quod frigus eſt exſuperans, *pernionum* affectionem conſtituerimus, tamen obliviſcenda aut contemnenda non eſt corporaturae proprietas; qua ſunt aliqui ad promptius ſuſcipiendum accommodati ſic, ut nullo non anno *perniones* quicquam omni ſtudio vitaverint, licet non aſperrima interdum, ſed mitior bruma contigerit; alii vero reſiſtunt cauſſis, neque meminerunt quidquam incommodi ſe expertos, qui maximis ſe rigoribus expoſuere. Itaque ſpectat non parum ad cooperaturas hominum, atque ad partium temperaturas his cauſſis obſiſtere vel prompte cedere.

Quarum rerum explicationem, ex me tradente, dum accipis, revoca primum in memoriam eum, qui ſpectat ad primam partium compoſitionem, primarum, ſecundarumque, qualitatum complexum. Deinde conſidera texturam cutis aliquos adſciviſſe fibroſam ac duram, viros inquam potiſſimum, aſſiduis laboribus exercitos; aliis eamdem eſſe minime fibroſam compactamque, ſed laxam & mollem; veluti ſi languor aliquis attigerit, talis foeminis & pueris, ac male habitis hominibus viſitur. Jam igitur, quam non ſatis calido, ſed frigidiori atque humidiori, qualitatum complexui conjuncta laxitas atque mollities, itemque cutis ſolutior & ceſſilis eſt, haec partium habitudo lubricam ſe exhibet, ut promptus in ea *pernionum* ſit lapſus.

Aliud etiam quibuſdam adverti peculiare, quod frigoris extremi ſenſu fuſceſcunt, ac tantum non liveſcunt, manus; quibuſdam illud autem fit, ut facile intelligis, ut caloris inſiti parcitate, ut melancholiae naturalis exſuperantia. Hos autem homines molliore carnis habitu videris omnes, ac ſubfrigido & ſubhumido, tum hyeme, tum aeſtate, manuum contactu ſemper. Contra vero, qui calidiori, ſicciorique, temperamento donatas partes, ac fibroſas firmaſque tum natura, tum uſu, nacti ſunt, maxime repulerint, ac minime ſenſerint, hanc eamdem noxam. Haec, a nobis ſaepe comprobata, tute tua obſervatione veriſſima comperies.

Haec ad aegrotandum partium habitudo eſt, ad ſolidam ſuam ſubſtantiam ſpectans. Similis, ut minima noxa frigoris praevaleat, ſpiſſitas requiri ſanguinis ſeu portionis humidae: contra vero, ut vis frigoris χαμαιδλ ὀφορο῾ inſinuetur, ſpiſſitudinis defectus faciet. Voco autem ſpiſſitudinem, in parte quidem ſolida, texturam compactam; in humido vero genere, coactam hujus ſubſtantiam, cogitur autem & conſpiſſatur humor ab interno congenitoque opifice, qui calor eſt ſeu coctionem praeparantium, ſeu perficientium viſcerum naturalium; hic quippe, quo valentius vi propria ſubjectum humorem exercebit, atque pulſabit, eo preſſior & craſſior hic evaſurus eſt, & minus dilutus ſolutuſve; quemadmodum exemplo muſtum, quod quanto majorem ac diuturniorem ſuſtinuerit ignis verſuram eo conſiſtentius tenaciuſque reddetur.

Dices autem, & quo pacto ſtatuimus percoctum, firmumque, ſanguinem obſiſtentiorem futurum *pernionum* cauſſis; dilutum vero atque ſolutum eisdem magis obnoxium; nimirum, inquam, propterea, quod illo concocto, & per calorem elaborato, qualitates activae terminant paſſivas, & dominantur paſſivae vero terminatae ſunt ac dominatae. Quemadmodum Ariſtoteles docuit, *in l. 6. meteor.* initio, atque alibi. Signum autem, quod concocta & modificata omnia magis reſiſtant alienis injuriis, monſtrat inductio in pleriſque ſuccis, ſero, lacte, atque

aliis ejuſmodi fluidis corporibus, quae ignem experta ſe diutius incorrupta conſervant, ac vero non percocta minus ſe vindicant a putredine: ſic igitur & de ſanguine cogita, ſive cui calor validus incubuerit, ſive quem imbecillior coctionis agitatio crudiorem reliquerit: porro, cum ab exterioribus humor inalteratur, facile crudior proditur; cum vero perſtat integer, & ſtatu ſuo nativo inexcuſſus, per hoc perfectus & commoderatus declarari videtur. Itaque cum adverſus offenſas frigoris incolumem ſe tuetur, probatae ſubſtantiae modum habebit; cum vero prompte labefactabitur ab eodem, vitioſa protinus ſe oſtendet ſyſtaſi, quod ad hunc affectum pertinet; atque adeo non conſtantes ad detrimenta ſanguinis hoſpitati ſpiritus, etiam ipſi langueſcent ac exſolventur. Quibus omnibus vides omnes ex triplici ſubſtantia portiones, ſolidam, humidam, ſpirituoſam perpeti ſub *pernionibus*, & quo ordine.

## CAP. VIII.

### *Notae Pernionum.*

PErnionum indicia primus, inter Latinos, expoſuit Cornelius Celſus verbis, quae certe immutare fas non ſit; ita brevi pleneque rem exprimunt, quae ſunt, ſcilicet. Rubor cum inflammatione mediocri eſt; interdum puſtulae oriuntur; deinde exulceratio; dolor autem modicus; prurigo major eſt; nonnunquam humor exit, ſed non multus, qui referre vel pus, vel ſaniem, videtur. Haec nos Celſi ſingula leviter exponemus, *ex Commentario quem in hunc auctorem conſcripſimus*, tradu&ta. Primum enim, quod rubor & inflammatio ſit tumori, qui frigore productus eſt, ne difficile quidem videtur; nimirum frigus eſt calidi, calidorumque cauſſa eſt per accidens, illud enim, cum crebro quaſi ictu feriat, continui facit ſolutionem, inde dolor, ab hoc fluxio & humorum illapſorum acervatio, poſt prohibita tranſpiratio, mox putredo & a putredine inflammatio. Rubor autem a confluxu ſanguinis eſt. De puſtulis majus eſt negotium; ſed hae poſſunt excitari fervore ichorum prodeuntium quidem extra poros, ſed ab habitu cutis compactiore concluſos, atque cohibitos. Equidem comperi plus ſemel hoc Anno 1624. in noſtro Noſocomio, cum *pernionibus* excitatas ampullas, phlyctaenaſve, quam maximas; ita ut comparari potuiſſet vitium ambuſtis ab igne; quod tamen ex una fervoris conditione proficiſci mihi viſum eſt conſentaneum. Sed de prurigine quid cenſeam? id ſcilicet, quia confarcti per poros ichores, nullo exſpiratu computreſcentes, & acriores redditi, fibras vellicant, & naturam ſentientem exſtimulant. Illud nunc reſtat unum, & quid cauſſae ſit, ut parum ſaniei, & haec portio neque etiam ſemper emittatur ab ulceratis *perniunculis*. Ad quam rem ajo, parcitatem hanc humoris reſpondere ſuae ſiccitati partium quae & exſangues ſunt, & a vi frigoris prope redditae retorridae, aut, ſicut loquutus eſt Ariſtoteles, aſperae.

## CAP. IX.

### *Pernionum proprietates ac mores.*

PRaeter autem frequentiſſimas, & communes, jam enarratas *Pernionum* conditiones, audi nunc & alias in hominibus pleriſque privatas, quas equidem fideli multorum laborantium enarratione collegi.

I. Ri-

I. Rigores aliquibus, ac febres plurimum, *Perniones* exacerbati movent, ac nonnullam quoque maciem atque pallorem certis personis invehunt, quas res credo fieri, cum acerbitatem aliquam graviorem adferunt; nam quibusdam etiam ungues quotannis excutiunt, novis inductis: sed & membranas ossibus circumpositas vitiant interdum, praeterquam quod phagedaenam, gangraenam, & necrosin, ut dixi, concitant saepe.

II. Videbis nunc in pedibus nasci vitium, quod non tentaverit manus; nunc manus infestare, quod pedes reliquerit incolumnes; atque hoc quidem frequentissimum est, ac exploratum a me perpetuo: qui tamen haud dubito, redundantis & varii succi materia posse superiores, inferioresque, partes aeque corripi.

III. Manuum *roseolae* noctu plurimum turgescere consueverunt, seu quod decubitus contectura, foventisque lanei strati

*Calor iste vias & caeca relaxat*
*Spiramenta, novus veniat qua succus in ulcus.*

Seu quod, ut aliis placet, hi, qui nocturno cutis addensatu prodituri fuerant, halitus repressi conferveant, carnemque laxent ac tollant.

IV. Alios usu manuum solvunt, aliis vero manus neque plurimum extumescentes ad operam impediunt; quamquam intertes maxime persequi difficultas haec motus videtur.

V. Pedes calceis laneis contectos plerisque non petunt: quod idem defendendi studium manus non juvit alios; de quibus unus est Octavius Beltranus, Thurius, conterraneus meus Typographus Neapolitanus, nulli secundus.

VI. Nonnullis grandioris aetatis accessu pepercerunt, alii vero saepe medicamentis deleti recurrerunt.

VII. Ad hunc quoque locum spectat, quod narravit mihi Tryphon Cytharella Amalphensis, ex oppido Majori, adolescens septemdecim annos natus, auditor meus apprime diligens & studiosus, se tres jam annos, quos Neapoli transegit, laborasse primum manuum *roseolis*, quas ante hac in patria nunquam fuerat expertus. Contra vero religiosus vir Theatinus Joannes Maria Scaranus retulit Neapoli, nativo solo, multis jam annis hyeme *pernionibus* infestatum; qui profectus ad Siculos quindecim annos per hyberna tempora nil mali sentiit; mox ad suos lares reversus hoc anno 1631. qui minime frigidus inter omnes fuit, haec mala rursus expertus est: sic aeres, aquae, loca, luculenter in has affectiones conferunt.

VIII. His eadem medicamenta conducunt, his non conducunt; nam quibus lixivium probefacit, quibus furfurum fomentum; aliis ex impuberis lotio cum aurantii mali medulla confricatio; aliis ex percalefacto porcino veretro, perfricatio fuit usui non poenitendo.

IX. Ad summam difformis admodum haec vitii species videtur, neque perpetuam in omnibus rationem laedendi servans; a causa nimirum externa, & incertis saepe corporum naturis, variata atque producta. Singula autem, quae accidunt, a Medico describi non possunt, auctore Hippocr. *in l. de articulis*, & *alibi*.

X. Frigidum humidum infestius plerisque quam frigidum siccum.

## CAP. X.

### *De curandi ratione.*

PErnionum methodica curandi ratio, per auctores omnes sic explicata non est ad hanc diem, ut scopos medendi certos dignoscas; adeo quidem, ut non satis exturbari contrariis appareant, aut si curentur, his utrisque gaudeant applicamentis: siquidem Aristoteles id suppositit, *lib.* 1. *problem.* 55. *&* 56. calidis hos aeque ac frigidis curari. Dixi jam Philosophi judicium in hac re. Sed e nostris Hippocrates, & aquae fomento, & igne, curari solitos, per Pythoclen contemporaneum Medicum, approbavit *l.* 5. *&* 7. *epidem.* qui ait; *Perniones pertundere opertet & calefacere ita, ut quam maxime excalefacias igne & aqua.*

Sed & Cornelius Celsus, optimus Hippocratis imitator, *Pernionibus* non adapertis, aes, quam maxime calidum quis pati potest, admovendum praecepit: quem ignis usum cum non approbat inter manus idiotarum Fallopius, videat quaeso quam id inique faciat, quamve immemor sit, qui sanatos sibi perniones calidis cineribus, praecepto matris admotis, testatus est.

Sic apparet contra quam instituerint Medici, censuisse problematum conditorem. Hic enim frigida, sicut & calida *Pernionibus* conducere; calida tantum nostri volunt. Quae Philosophi sententia tam difficilis est visa Mercuriali, ut cum Medicis sentiens ipse, qui maximus semper problematum Aristotelis fuit admirator & observator, tamen huic viri Stagiritae placito visus est nuncium remisisse. Verum enim vero, mea quidem opinione nil absurdi continet Aristotelea haec hypothesis: etenim eo constituto quod Petro Aponensi visum est, *Pernionibus* mederi frigidam, quod haec immodicum humorem ab extima parte repellat, & abigat nimirum ad interiora transpositum; haec quippe opera non improbatur a nostris Medicis, imo vero facienda praecipitur initio tumoris; quo scilicet tempore procedit ad membrum humoris affluxio: Quae transpositio conducibilis amplius esse potest, si sanguis influens sit purus ac probus, qualem constanter opinatus est Fallopius; ad hunc enim modum non peccat aliquid nisi nimietas quae rite recteque repellitur ab unoquoque frigido.

Jam vero cum Hippocrates & Celsus, & horum affectae Medici, calidam aquam, & ex igne petitas medelas, admovent, haec faciunt desita jam fluxione, collectaque tota materia tumoris, ut haec efficaci calidorum vi dissipetur & exhauriatur: constante vero fluxione, neque nostri parcunt refrigerantibus medicamentis, etiam quae adstringunt admistis: sic gallas cum aceto contritas, sic vini faecem imponi laudat Octavius Horatianus, sive, ut altero codice nominatur, Theodorus Priscianus *l.* 1. *ad Euporistum cap.* 28. Aetius vero succum admovet hyosciami; quem ab inflammatione ac doloribus vindicare prodidit Paulus. Sed e posterioribus Fallopius, & aquam rosatam frigidam, & ceratum quoddam impense frigidum, commendavit, quod

℞. *Succi Rosarum*,
*Solani*,
*Plantaginis*, *singulorum unciam* j.
*Cerussae*,
*Lithargyri*, *singulorum uncias* ij.
*Aceti acerrimi*,
*Olei Omphacini*, *uncias* iij.

Mi-

Mista in mortario plumbeo subigantur ad Linimenti consistentiam : *quo saepius usitato*, adfirmat auctor, *rem optime successisse*. Sic quidem ille.

Sed Joan. Huccherius velut ambusta *Perniones* curavit; neque aliter Arantius, *in operis de tumoribus, capite peculiari*. Sed isthaec omnia superat, quod Guido Cauliacus, vir sane consultissimus, frigidam aquam laudavit, *tractatu 6. doct. 2. cap. 8.* quod est inscriptum *de doloribus & mulis*; sunt autem *Mulae*, interpretibus Laurentio Jouberto, Joanne Huccherio, Joanne Manardo, & gallicis Lexicographis, *Perniones*. Postremo sunt, & qui nivem applicitam ferunt remedio fuisse. Has ob res omnes verum apparet, quod Problematographus enunciarat, calidis ac frigidis aeque *Perniones* deleri, si tantum distinguantur usus opportuni tempora.

Qua composita veterum auctorum contradictione, aliam, quae inter juniores est ambiguitas & perplexio, nunc enarremus. Mercurialis quidem nullo proposito certo scopo curationem *Pernionum*, ut intertriginis dicit instituendam, qualem tamen neque postmodum exsequutus est, verum apprime diversam. Jam autem aliorum omnium, qui vitii summam ad cutis unam constipationem retulere, pars laxationem & detersionem, ut Huccherius, pars calefactum atque discussum, ut Fallopius; pars utrumque censuit exsequendum, ut Arantius. Sed Franciscus Vallesius, *in comm. ad l. 5. epidemiorum* super ea sententia, quae de *Pernionibus* tradita est, ait; *Perniones quoniam cutis refrigeratione ac densatione fiunt, proinde calefactione ac laxatione curari; verum adhibenda haec alternatim, nam aqua sola nimium laxat ac mollit, at solus ignis exsiccatione vehementi constringit & cogit: jam vero cum sibi mutuo succedunt haec, igne calefaciente & aqua laxante, atque ustionem prohibente, dissolvetur materia, laxabitur cutis, ac temperabitur pars.*

Haec alii, nos horum opiniones ad examen, si licet, referamus: ergo quod inter omnes convenit, pro certoque habitum est; laxandam eam, quae malum sustinet, partem, non placet. Primo, quod non ad sententiam summi Hippocratis; imo multo diversa est enarratio: deinde, quod non ex legitima indicatione, sed nocua haec medicatio est: quod (ut inde incipiam) ostenditur hac ratione; neque etiam si concedatur: ideo sequitur, ut sit laxandum. Quippe si curatio est per contraria, contrarietas haec medicamentorum spectat ad morbum, qui curationem indicat; non ad causam, quae curationem vere non indicat. Sed praeservationem Galeno teste, *in 8. meth. med.* Quae si vera sunt, ut sunt plane verissima; laxatio, quae suadetur a Vallesio, praeter legem est Galenicam & nocua parti: nam tumor Chimethlodeis, si credimus Aristoteli, peculiari problemate jam indicato, laxatio quaedam est, nec non laxis hominum corporaturis advenire sueta, quod jam ostendimus; ergo laxantibus adaugenda sit potius, quam relevanda.

Jam igitur, quoniam, ut apparuit, *Perniones* quaedam sanguinis est affusio, sub cutem, de venarum osculis per vim frigoris expressi, mox semicorrupti; ob id exhauriendus est seu medicamentis, seu prompta & manifesta vacuatione: sic usum calidorum applicamentorum, & scalpri, praecepit Magnus Hippocrates; longe aliter nimirum, quam interpres Vallesius commentus est, qui legit sic Hippocratis enunciatum; *Perniones* dissolvere, tepefacere, pedes; hoc modo praecipue, calefacere igne & aqua; quae lectio, versioque, non convenit cum ulla multorum aliorum translatione, neque cum codicibus Graecis sive Basilienси, sive Aldino, qui ambo *l. quidem 7.* sic habent: χιμέθλων καταστᾶν, καταστᾶν, restituit Anutius Foesius, ἀλεάινειν Aldino, ἀλεῖνειν vero Basilienси τὰς πόδας ὧδε μάλιστα ἐκθερμαίνειν πυρὶ καὶ ὕδατι. Quae Janus vertit ad hunc modum; *Perniones per-*

*pertundere oportet, & calefacere ita, ut quam maxime excalefacias igne & aqua.* Sed Anutius Foeſius ſic; *Pernionum medela eſt ſcarificatio, tepefactio, ita ut pedes quam maxime igne, & aqua excalefacias.* Quibus utriſque prior, Fabius Calvus tranſtulit haec ita, *perniunculos pertundito, ſcalprove ſcarificato, pedes igne & calida aqua valde calefacito.* Quod ſi fortaſſe *codicem libri* 5. Graecum adeundum volueris, atque legendum, quem locum ipſe Valleſius explicabat; is quidem tum ex Aldina, tum ex Baſilienſi editione ad hunc modum habet, χιμίδλων κατασχὼν ἀλειφειν τὰς πόδας ὡς μάλιϛα ἐκθερμαίνειν πυρὶ, καὶ ὕδατι: quae vertens primus Calvus reddidit per haec; *Perniones mulgebat, vellebatque, pedes igne, & aqua, maxime calefaciendo.* Sed mox accedens Janus ait; *Perniones pertundendi, & calefaciendi ſunt pedes ſic, ut maxime excalefacias igne & aqua.* Poſt hos autem, tertius Anutius vertit hoc pacto; *Pernionibus medeberis ſcarificando, & pedes calefaciendo ſic, ut maxime igne & aqua excalefacias.*

Itaque ſi Graecos ipſos codices, ſi Latinos primos omnes interpretes, conſulueris, falſa & commentitia Valleſii translatio reperietur. Nec minus improbabilis videbitur ejuſdem enarratio, qui deduxit ex Hippocratica dictione alternum ignis & aquae uſum; quam aquam & ad laxandum propoſitam interpretatur, neutrum enim conſentaneum rationi videtur; nam neque ad laxandum aqua capi debuit, cujus uſus enucleate traditus eſt ad maxime calefaciendum: deinde vero ſimilius eſt, loquutum Hippocratem de aqua marina, quae uſu praecipuo ſemper, & maximo, fuiſſe conſtat ad *perniones*; priſcis, praeſertim Oribaſio, Aetio, Paulo, *locis citatis*, & Octavio Horatiano, ſive Theodoro Priſciano, *l. 1. ad Euporiſtum cap.* 28. nimirum ob multam exſiccandi vim, quam habet haec aqua, propter ſalſam exſuperantem portionem: qua de re piſcatores, qui nudis perpetuo pedibus exercentur juniores & grandiores, equidem adverti minime *chimethla* perpeſſos. Confirmat demum aquae marinae conjecturam, quod ſolenne fuit antiquis, ſcarificatis continuo membranis aquam ſalſam affundere, ut ne grumi ſanguinis protinus occluderent vulnuſcula; aut etiam, ut ne haec ſimpliciter coaleſcerent; diſtinet porro coalitum ſal inter omnia plurimum, ut *in commentariis noſtris de inermi Chirurgia*, monſtravimus. Quod ſi aquae potabilis omnino retinetur opinio, etiamnum apparet, non ad ignis alterne contemperandi uſum, quem opinatus eſt Valleſius; verum ad eliciendum, laxandumque, ſanguinis effluxum inſtitutam eamdem.

Jam autem, quod ad alternum illum binorum praeſidiorum uſum ſpectat, neque hic neceſſarius eſt; tum propter praedicta, tum, quod probabile fit, duo illa ſimplicia (ignis & aqua) propoſita in ſenſu compoſito, quaſi diceretur percalefacta igne & aqua, aut ſi disjuncta volueris utraque capienda; dicam Hippocratem ea ſententia comprehendiſſe calidum in ſicco, & calidum in humido, quorum hoc infirmius alterum valentius ſit; ut ſtatuendum ſit denique, calefacientia ab Hippocrate probari praeſidia non laxantia, ſi conſideres plurimam partem ſemicorrupti, ac propemodum exſtincti, ſanguinis axhauriri per punctionem, efficacitate tanta, ut nihil ſit praeſtantius ad prompte demerendum de noſtris hiſce languentibus. Quam ego, duce Hippocrate, exſequutus in pleriſque egenis mire frugiferam comperi; quippe quae cauſſam ipſam, mali fomitem, in promptu detrahit, & naturam partis diu gravatura ſarcina cito levat; ſic in Joanne Dominico Fuſco; ſic in Tryphone Cytharella meis auditoribus, quos curatos viderunt admodum R. P. Marcus Antonius Ruffus e Societate Jeſu, Medicus ſcientiſſimus; & Franciſcus Sparanus, Medicus e Collegio Neapolitano conſultiſſimus: ſic in Reverendo quodam Cappuccino; ſic in Clerico Theatino; ſic in aliis Valetudinarii

rii noſtri decumbentibus, qui fuere propemodum innumeri : exiit autem ſemper ex vulnuſculis ſanguis primo tenuior, deinde ater & craſſior; mirum autem quod aſſervato, refrigeratoque jam, eidem cruori ſerum ullum non exſtitit.

Dixi jam de ſimplicibus ; reſtant *compoſita Medicamenta* referenda. Quorum duplex eſt ſeries ; nimirum altera praeſervantium, altera vere curantium. *A pernionibus*, inquit Aetius, *l.* 4. *ſerm.* 2. *c.* 73. *praeſervat ſal cum melle tritum, manibus ac pedibus aſſidue inde perfrictis*. Aliud non modo praeſervans, ſed productos etiam *perniones* curans, *citriorum magnorum internam partem acidam, rejectis ſeminibus, diligenter terito, & cum adipe ſuillo vetuſto ad Cerati compagem redigito ; & ad hyemis initium quotidie illinens ex eo digitos, utitor*. Aliud Oribaſii; ſulphur vivum cum melle cocto imponito.

Aliud *Perniones* imminentes arcens ;

℞. *Atramenti ſutorii*,
*Florum mali Punici ſativi, ſingulorum drach.* iiij.
*Alum. ſciſſi unc.* iiij.
*Myrrhae, Turis, ſingulorum unc.* ij.
*Cerae unc.* iiij.
*Adipis ſuilli unc.* viij.
*Olei Myrtei quantum ſatis eſt*. Haec ex Amideno auctore.

Poſt quae referuntur & *perniones* curantia jam eductos; ex his alia fluida, alia ſolidiora. Ex fluidis primum eſt apud Celſum ex multa calida aqua fomentum, in qua rapae decoctae ſint: aut ſi ea non ſunt, aliquae verbenae ex reprimentibus decoctum, vel lenticulae, vel erui, vel haſtulae regiae radicis probavit Paulus; ſed rapae ſummum perhibuit Aetius. Ex fluidis epithematis decoctum betarum, quibus alumen ſciſſum infuſum eſt, propoſuit Octavius Horatianus ; poſt quod fomentum cera liquata linire convenit, idem ait ; qui addidit cerae & picis reſolutae ſolam unctionem curationi valuiſſe, & gluten ſolutum in aqua liniendo profuiſſe ; quod glutinis & cerae linimentum uſui praeſervandi potiſſime conducibile probarim equidem. Sed ex Paulo ſunt haec; in rapae ſativae radicem excavatam conjicitur cerae ſextans, olei lentiſcini quantum ſufficit ; cocta in duplici vaſe ex marina aqua, aut muria, aut lupinorum decocto, hoc quidem ſuperfundito; ceratum vero in rapa liquefactum frigidum imponito. At in exulceratis *pernionibus, thuris, aluminis ſciſſi, minii, reſinae, terebinthinae, ſingulorum par modus; adipe ſuillo diluta inducuntur*. Verum ſi inflammatio exulceratos *perniones* male habeat, medicamento utendum hexapharmaco, quod recipit *olei uncias novem, adipis, fellis taurini, & ſingulorum libram, argenti ſpumae uncias ſex ; colophoniae uncias quatuor; mellis uncias ſex.*

Haec iſti ; ante quos omnes Dioſcoridi comprehenſa ſunt haec;

*Thus cum ſuillo adipe, aut anſerino impoſitum.*
*Pix liquida inuncta; Acacia illita.*
*Myrthi ſeminis decoctum fotu adhibitum.*
*Ficus crematae cum cerato impoſitae.*
*Cancrorum fluviatilium cinis cum decocto melle illitus.*
*Pulmo Marinus recens conciſus, & impoſitus.*
*Aſininae ungulae cinis, oleo maceratus, illitus.*
*Urſinus adeps inunctus.*
*Umbilici Veneris ſuccus impoſitus.*
*Lentes cum meliloto, ſiccis roſis, malicorio, cydonio malo, & roſaceo, adhibitae.*
*Orobi decoctum fotu impoſitum.*
*Raporum decoctum fomenti modo.*

Be-

*Betae decoctum appositum.*
*Dracunculi majoris folia, ex vino decocta & imposita.*
*Oleum ex incavata Asphodeli radice decoctum, illitum.*
*Cyclaminis decoctum fotu adhibitum; quin etiam oleum cum pauca cera in ejus excavata radice fervefactum, illitum.*
*Scilla cremata imposita.*
*Ranunculi decoctum adhibitum,*
*Arction ex vino additum.*
*Alumen aqua adspersum.*

Hactenus ex Anazarbaeo Viro multa, post quae referam experta mihi medicamenta: quae sunt ad *non ulceratos* quidem *Pernione*s, suffitus *ex cinnabare contrito, & in ignitos carbones conjecto, mane, vesperique, ad multos dies, sub tensis panniculis accomodate recipiendus:* mox *ex decocto cylcaminis lotura*. Tertio *ex liquore destillato cerae, vel ex hoc simul, & pomata, inunctio cum confricatu*. Ad exulceratos vero, *ex eodem oleo cerae, succo cyclaminis, adipe taurino, & pinus resina, vel pice, colophonia, Ceratum, secundum artem, confectum*. De tota *Pernionum* inquisitione & curatione sint haec jam satis.

*De Glandulis vulgo Thureis appendicula.*

MEdicina, sicut Cornelius Celsus ait, *in operis sui primordio, nusquam non est. Siquidem etiam imperitissime gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum, morborumque, noverunt*. Itaque foeminae, tum quia peculiari quodam naturae munere humanitatis, & hospitalitatis, officiis maxime sunt comparatae, tum quia minus curarum habent, atque otio abundant, pleraque observare possunt, ad commentandum alioqui non ineptae. Quam Medicinae speciem rudem, scilicet, & ineruditis suis sensibus congruentem, aut ipsae sibi confinxerunt, aut perperam ab eruditis comprehensam reservaverunt, obstetrices maxime, & hae vetulae, quae solertiam aliquam aut aetate, aut Medicorum consuetudine, compararunt: quarum rerum exemplis mediocrem numerum exsuperantibus enarrandis, ne nimius sim, supersedeo; si memorare non omittam non esse rem istius gentis omnino contemnendam; quando Plinius a Lai, Elephanti, Salpe, obstetricibus, pleraque describere medicamenta, dedignatus non est, *l.* 28. *c.* 7. & Marcellus, Imperatoris Theodosii Medicus, etiam ab agrestibus, & plebejis, accepta remedia fortuita atque simplicia, quae experimentis probaverant, operi, quod edidit *de Medicamentis*, inserere non erubuit quid, quod audiendos vulgi medentes monuit Hippocrates alicubi technicorum operum, gynaeciaque plurima ex foeminis accepit.

Itaque istae matronae morbum invexerunt *Tule*, tersius *Tole*, appellatum, Latine *Tolles;* propterea, quod tollantur ac tumeant, cujus diminutivum *tonsillae*, *prayssthmia*, quae sunt in homine, sicut *glandulae* in lue, cum tumor fauces occupat; quae verba sunt Ambrosii Bergomatis *in lexico*. Sed alii pronunciant *Thurea* fortasse, quod ad thuris grana, figurae, magnitudinisque, similitudo accedit. Scire autem licet, oboriri vitiosas istas *glandulas*, & ementitos adenas, in artubus, ac praesertim in brachiis, parte supina, quae supra carpum est, in devarication*i*nibus tendinum lacertorum. Materies autem est lenta pituita, quae, laxato ac rarefacto prius per calorem corpore, mox succedente frigore cogitur & conglobatur in eam, quam dicunt glandularum, aut granulorum, formam. Has istae sic curant, ut obverso pollice duriter comprimant, sic crebro affrictu finiuntur tum

ipsae,

ipſae, tum aliae, quae ſubſtant paryſthmiis glandulae, fortaſſe communicato concalefactu: ob diverſionem vero fieri credidit Gulielmus Rondeletius, *in l. 2. ſuae noſotherapiae cap. 4.* quo loco & ipſe morem hunc vulgarem curandarum *tonſillarum* retulit. Similis tuberculi meminit Avicenna, *lib. 4. fen. 3. tr. 2. cap. 6.* cum ait; *generatur in quibuſdam membris apoſtema glanduloſum, ſicut avellana nux, & minus eis; & eſt in principio taliter, quod cum ſuper ipſum fit compreſſio, ſuperatur, deinde redit multoties & multiplicatur, &c.* Quod *tuberculi genus* ab Avicenna memoratum crediderunt aliqui, Joanne Coſtaeo relatore, *Ganglium*: quod tamen notas ganglii vere non habet, ut probat idem Coſtaeus; verum mea quidem opinione ſunt notatae *glandulae*, quas ad ſententiam foeminarum vulgarium enarravi; quod confirmatur communitate curationis: etenim, quod attritus auxilium praecipit Avicenna *glandulis;* idem Medicae noſtrae factitant, tum quidem *tonſillas*, tum *tolles* excutiendo: *tonſillas* quidem rumpunt collo patientis, mira celeritate, per utraſque manus circumrotato, brachii vero glandulas, ante deſcriptas, obverſo pollice vehementer proterunt, ut jam expoſui. Quae de *Thureis glandulis* pauca, libentius equidem, in hunc locum retuli, quod complicati folii vacuitati complendae ſum anſam nactus.

*Peroratio, ac de Abſceſſus nomine per nos uſurpato Comprobatio.*

HAec ego de exquiſitis *Abſceſſuum* generibus Neapoli meditabar, ad uſum, & meliorem frugem, rei Medicae Candidatorum in noſtra ſchola, dum univerſam addiſcentium, profitentiumque, rem ſumma cum prudentia, parique vigilantia, regit & adminiſtrat Perilluſtris & Reverendiſſimus D. Joannes Salamanca, Regentis quondam integerrimi Salamancae, ſpectabili pariter virtute, filius: cujus cum auſpicatiſſimo nomine ſuam denique coronidem noſtrum opus habeto. Anno Chriſti trigeſimo primo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, quo conflagrantem Veſuvium vidimus, ac vicina plurima tum rura, tum oppida, vi ignis ac terrae motus everſa.

Caeterum, nemo me reprehendat oportet, quod *Abſceſſus* nomine donarim pleraque vitia, quos *tumores* appellare vulgus Medicorum hoc tempore conſuevit. Porro, non inſuetum Hippocrati fuit, tum *Abſceſſus*, tum *Ulceris*, nomenclaturam late extendere; quam rem ſi nos hoc extremo loco explicaverimus, & rite ſe aſſenſum, & non ſine fructu, cognoſcet lector: audiat autem velim priorem *de Ulcere* demonſtrationem. Scriptum eſt, *commentario 3. de fracturis, particula 34. Niſi quis dicat alios quoque morbos eſſe Ulcera, quod quodammodo probabile eſt.* Hic loquendi modus nulla non ambiguitate plenus eſt, tum quia novus & inſolens, tum quia paradoxus; praeſertim quidem apud Hippocratem, qui rata, & hominum opinioni conſentanea, cuncta propoſuit; ſed enim nobis perſuadere non poſſumus, ſine magna ratione, proditum hoc a Divino Viro fuiſſe.

Galenus igitur, duobus in locis, hujus rei meminit, & *libro de inaequali intemperie c. 6.* & *particula lib. de fracturis* ante citata. In quorum priore quaſi durum, id eſt, perſuaſu difficile nominavit Hippocratis enunciatum: in altero vero probabile ſolum, & non niſi cum moderatione intelligendum dixit, quod ſint in eo, quae rationi non omnino conſentiant. Verum tamen & (*quodammodo probabile eſt*) voces duas maxime modificantes interpoſuit Senex, praeterquam quod non ex ſua ipſius opinione, ſed aliorum certe ſenſu, videtur haec attigiſſe. Omnibus autem modis veram hanc doctrinam Galenus probavit, illa primum propoſita morborum diviſione. Morbi alii dolorem adferunt, alii ſecus: ſi dolore ſociati

sunt, hi admodum probabiliter *Ulceribus* adnumerari possunt : dolor enim & ab evidenti solutione, cum aliqua pars secatur, extenditur, contunditur ; & ab intemperie simul est, cum caloris, aut frigoris, excessus eamdem capit. Et qua quidem parte a solutione continui dolor est, liquido confirmatur, morbum omnem doloroſum esse de genere *Ulceris* ; siquidem omnis solutio continui corporis est *Ulcus*, & omnis morbus doloroſus est solutio continui. Qua vero parte proficiscitur ab intemperie dolor, similiter & de *Ulceris* est genere : quandoquidem omnis intemperies, sive calida, sive frigida, solvit continuum etiam : quippe constat, calidum substantiam solidam penetrare, erodere, incidere, colliquare, mollire, extenuare, ut 21. & 22. *lib.* 5. *aphor.* ; frigidum vero tum constipando, tum introrsum impellendo, nunc quidem exprimere, nunc comprimere potens est : ut 20. *aphorism. libri quinti*.

Hactenus si perdolentes morbi sint, monstratum fuit, hos esse *Ulcera*, si vero sint indolentes, cum intemperaturam involvant, similiter haec habet solvere continuum. Quamvis enim manifestam continui solutionem haec non adferat, tamen ratione contemplabilem sine dubio recondit. Neque in exposita utraque hypothesi subest alia diversitas, praeterquam latentem hic, evidentem ibi, patitur homo solutionem. Effectum enim intemperamenti semper adsit oportet, sicut intemperamentum ipsum adest ; quas ob res sint, non sint, morbi doloriferi, protinus erunt de *ulcerum* genere.

Aliter etiam, quod ad intemperiem pertinet, confirmari potest eam quaecumque sit, *Ulcus* esse propterea, quod scriptum est ab eodem Hippocr. *libri de hominis natura*, *contextu* nisi fallor *octavo*, suscitari morbos omnes per *Abscessionem* non consentientis in unitatem & symmetriam humoris : disgregationem interpretatur Prosper Martianus, *in adnotationibus ad l. de humoribus*.

Ad hunc modum jam vides, Hippocrati longe latissima significatione fuisse *Ulcus*. Similiter & *Abscessus* enarratore Galeno, *l.* 1. *de officina Medici particula* 25. atque *abscedere* dicta sunt, quaecumque corpore integro cum aliis quidem partibus conjungebantur ; mox adversa valetudine suam unitatem & contactum amisere : atqui unitas abest omnibus fracturis, *ulceribus*, fissis ; contusis ; contactus vero *Abscessibus*, sinubus, inflationibus, *Tumoribus*. Taceo, quod *Abscessus*, apud Hippocratem ; *est omnis emigratio, seu separatio rei cujuspiam ante consistentis* : veluti qualitatum, affectuum, spirituum, humoris, carnis, ossis, & alius cujusque particulae : quemadmodum explicavit Joannes Marinellus *in commentario*. Sed neque novum est, *Tumores* ab Hippocrate vocatos *Abscessus*, qui *l.* 6. *de morb. popul.* 2. *sect. sub init.* notata reliquit haec ; *Abscessus*, veluti glandularum tumores, signum quidem sunt earum partium, unde germina habent, sed & aliarum, maxime vero circa viscera. Sed & Arabes, Barbarique, scriptores *exituras*, id est, *Abscessus* dixerunt omnes eruptiones, quae formis omnibus extimo corpore apparent ; & contra, legitimos *Abscessus* appellavere communi modo *Tumores*, & sicut ipsi loquuntur, *apostemata*. Quare confusa & promiscua, si recte perspicis, *Tumoris* & *Abscessus* interdum est appellatio.

At neque offendi debebis aequivoco, multiplicique, nomine ; quando legeris apud ipsum Galenum, *lib. de tumor. praeternat. Tumoris* nomen fuisse ad significandos *Abscessus*, empyemata, sinus, fistulas, herpetes, nigrores, phagedaenas, achores, hernias & peritonaei rupturas. Itemque Cornelius Celsus, *lib.* 5. *rei medicae*, pleraque de *tumorum* genere miscuit cum *ulceribus* : neque aliter factitarunt Gabriel Fallopius, in libris *de tumoribus & ulceribus* : & multo maxime Philippus Ingrassias, & novissime Julius Caesar Arantius, *in opere de Tumoribus*

*prae-*

*praeter naturam*. Ex qua una re, credo equidem, orta est tam magna perplexitas & ambiguitas de finienda, deligendaque, forma Tumoris apud Hieronymum Fabricium, *initio libri de Tumoribus*. Quid, quod spectando maxime consilio, neque nostris sermonibus, accommodatum Tumoris erat nomen, quod solum extrinsecus apparentem ac materialem, ut ita dicam, prae se fert conditionem affectus. Atqui rem nobis supra communem, & vulgatum scriptorum nostrorum, morem gravissime instituentibus, recondita *Abscessus* forma fuerat exprimenda.

Quo loco subit non aliena quaestio, & quid aliquem nobis de *tumoribus* commentarium non reliquerit Hippocrates? qui & de vuln. & ulcer. & luxatis, & fractis legaverat. Et statuendum est, duplices omnes a summo Praeceptore factos *Abscessus*; alios a simplici affluxu, alios a transmutatione; ita fere Galenus, *com. 2. lib. 1. prorrhet. text. 21.* Judicium autem & mens Hippocratis ea videtur fuisse, quod *Abscessus* ab affluxu minoris sunt momenti, quam ut suo calamo tractari debuerint; quapropter hos sprevit, alteros vero, qui sunt metastasis vi, perpetuo cum antecedente morbo complexos magnifecit, ac per omnes suos aegrotos expendit.

*Primo*, quia sunt hi vel ad salutis finem vel ad mortem, utpote decretorii, & magno cum naturae molimine tentari soliti.

*Secundo*, ad haec insignis est his magnitudinis accessus; magni autem sint oportet, ad hos vi & causa morbi tota propemodum abeunte.

*Tertio*, sunt ad cavitates partium nobilium, & ad intercapedines musculorum; plurimum autem occupare consueverunt articulos; quippe qui laxi, cavi, debiles, & ad repellendum invalidi sunt.

*Quarto*, non raro revertuntur, velut in Ancilla Polemarchi, apud eumdem Hippocratem, 2. *epid. sect. 2. constit. 3. Fine.*

*Quinto*, quod succedant ad alios morbos, sic Avicenna, *l. 4. f. 3. tract. 3. c. 3.* docuit, Ulcera successu aliarum aegritudinum esse mala; quoniam, inquit, natura expellit ad ea residuum corruptionis superfluitatum.

*Sexto*, quod Abscessibus plerumque cruditas comes est: quare doctos nos voluit idem Hippocrates, *lib. 6. epidem. sect. 1. sent. 13.* tubercula foras extumescentia, & acuminata, in turbinemque gracilescentia, aequaliter matureścentia, non circumdura, declivia, & non bifida, meliora; contraria vero mala; & si quae plurimum contraria, pessima.

Aliam etiam ad curationis incommoda rationem addere licet; quod plurimum obscuri tum visu, tum tactu, deprehenduntur *Abscessus*; nimirum cum & alte se condat sanies, & multa carnis incumbat crassitudo, monente Hippocrate, *libr. 6. aphor. 41.* quamquam, ut verum non dissimuletur, exercitato scientique Medico difficultas haec nulla est, ut sermone *de frigidis Abscessibus* monstravi.

Atque has mihi rationes omnes, aut plurimas, spectanti visum est praestabile; ut omnis haec nostra tractatio nomen adscisceret *Abscessus*, quo velut emphasi quadam significatur motus materiae necessarius, ad transmissum de loco ad locum, impellentibus causis. Quanto autem evidentius vim, impetumque, humoris ad extima erumpentis *Abscessus*, quam Tumor, exponit. Sic mihi quidem libuit, ac jure licuit, saepe *Tumoris* abjecto nomine, altero *Abscessus* uti. Quae te scire, Lector, ad extremam operis clausulam volui, ut nostra de *Abscessibus* inscriptio nulla ex parte culpabilis videretur. Quibus jam omnibus exactis, vale; ac si quem ex universis hisce libris fructum cepisti, debita mecum auctori Deo Paeana concinnas quaeso.

FINIS.

# ΠΑΙΔΑΓΧΟΝΗ ΛΟΙΜΩΔΗΣ

*Seu*

DE

# PESTILENTE, AC PRAEFOCANTE PUEROS, ABSCESSU,

## DIATRIBA SINGULARIS,

*Quae ſecundae huic Editioni noviſſime acceſſit, formatque, hujus de ſelectis Abſceſſibus Operis, Librum Octavum;*

## EODEM SEVERINO AUCTORE.

### *Ad ingenuum Lectorem Praefatio.*

INter omnes animantes, quae a Deo Opt. Max. Conditore primo, prodiere, nulla fuit homine vel dignitate celſior, vel amplitudine major, vel formae decore probatior, vel ornamentis omnibus cumulatior. Argumento eſt, quod in humani opificii creationem, & conformationem, ſummus ille Architectator in conſilium, operiſque ſocietatem, Sacroſanctam Trinitatem adhibuerit. Declarat autem & praeſtantiam procreationis ordo: quippe fuit editus in lucem homo poſt cuncta; ac ſi maximum quidpiam & ſupremum, plenis praerogativae numeris, efficiendum fuiſſet. Docet & exemplar, ad cujus ideam efformatus fuit idem: quandoquidem eſt microcoſmus hic fictus ad archetypum macrocoſmi, in quo coeleſtia, terrena, & media, velut in parva picturae mappa, inexplicabili prope compendio, continerentur omnia: quo factum eſt, ut ſummae cujuſdam rei, divinique miraculi loco ſapientes omnes habuerint hominem; qui ſolus immortalem Dei portionem obtinuit; qui rationem, orationem, verſatilem ingenii dexteritatem, futurorum providentiam, ſocietatem civilem hoſpitalitatem, pietatem, ſanctitatem, fidem, & quas non virtutes, exercet & colit? qui principatum in omnia mundi viventia & non viventia, quive imperium pro libitu voluntatis in omnia concreta corpora, divinitus exercet.

Cuinam enim motu perpetuo cientur coeli? cui Luna noctu lucent & aſtra? cui Sol modo accedit, modo recedit, ab Oriente latus ad Occaſum? a polo arctico ad antarcticum, a capricorno ad arietem, a cancro ad libram? nimirum invecturus temporum viciſſitudinem, aeſtus & frigoris, & horum medias ſtationes, lucem & tenebras, pulchram formarum productionem, & neceſſariam rerum corruptionem. Ad haec, cui tenuis aeris ſubſtantia fluit refluitque? cui pelagus & flumina piſces alunt? cui vegetantium tot ſpecies, metallorum varietates, beſtiarum & jumentorum ordines, ſerviunt? Finiam denique ſermonem, ſi dixerim Opificem mundi ſapientiſſimum, ab omni naturae fabrica tum demum manum ſummoviſſe,

ac

ac vacuiſſe, cum in medium productus eſt homo ; perinde ac complementum, abſolutio, & ſumma rerum omnium, eveniſſet. Verum, en felicitatis humanae levitatem ! divino huic Mundi miraculo, rerum omnium ornamento finique ſubito ſuo uno praevaricatu multi ſubinde ſuſcitati ſunt hoſtes, & nulla ex omnibus fuit creatura, quae velut livore percita, adverſus unum hominem non exſurgat ac pugnet. Enimvero noſti malignorum ſiderum adſpectus, influxus eorumdem noſti ; poſt quos obſtant, coinquinatus cometis aer ; noxii terrarum halitus ; elementorum tranſcurſus ; peſtilentiarum excurſus ; ſtirpium venena ; foſſilium miſcelis infectae aquae ; ferarum morſus ; terrae motus ; infeſti venti ; pluviarum madores ; ſub ſyrio ſqualores ; brumae rigores ; variae denique coeli permutationes, nedum indies, ſed interdum in horas, quarum omnium vi & inevitabili inſolentia langueſcat, & aegroteſcat, diſcrimen ſubeat & oppetat, homo. Quod exitium, & quae mala, ubi humorum quaternio non invexerit, diſſidentium aſſidue ſub venis praeter haec extra ſtagnantes alii, velut in lernaea palude, multiplices & horrendas eruptiones, & monſtra, producunt, quibus exoſam perpetuo vitam miſer tranſigat homo.

Sed innumerabiles alias hominis calamitates quis memoret ſatis ? Unam ex tot omnibus commemorabo potiſſimam, quae dicta nobis eſt aut ἀγχόνη λοιμώδης, *Tonſillae peſtilentes ;* ab aliis vero noſtris aut *ſtrangulatorius faucium Affectus*, aut *Carbunculus peſtilens*, aut *Laqueus gutturis ;* à pleriſque *Paſſio anginoſa* Barbare & inſcite : quibuſdam aut *Ulcus Syriacum* Aretaeo, aut *Tonſillae Peſtilentes*, Aetio Amideno. Poſſet vero, ſiquidem inſolentiam & diritatem hujus vitii ſpectes, nominari Dei vindicis ira, flagellum augeſcentis e merito mortalitatis, ſacra lues, dirum ſupplicium, furiale venenum, perſephones gladius, charontis vectura, limbus exſaturatus, & aliis ejuſmodi notis notari : Enim vero, ex hujus unius peſtis vi, plus millium perceptos de matruum gremiis, de parentum complexibus querimur, quam fuerint in bello Trojano furore gladii jugulati, Porro Deus Opt. Max. antiquitus indignatus humanae gentis criminibus, hanc aquarum illuvionibus, & igni, dederat perdendam : noſtro vero aevo, me hercules, execrando teterrimae huic peſtilentiae laxas dedit, habenas, ut non facinoroſos & perditos, verum innocentiſſimos hominum & malefaciendi neſcios, & ſceleris puros, pueros, commutatis quaſi vicibus, & inverſis, imperſcrutabili certe fato, cunctos abſumeret & averruncaret. Quod ſane malum, durior ſit cautibus, ſaevior hyrcanis tygribus, homo, qui ſerio non lugeat, ac totis animi ſenſibus non commiſeretur. Theodatus vero, qui commiſeratus humanitati, miſeris tempeſtive ſuccurrat & opituletur. Utinam igitur liceat quandoque nobis quampiam comminiſci rationem, quae futura ſit uſui ; profectam videlicet ab eo fonte, unde & morbum modo dixi profectum. Porro vel apud Ethnicos exſtat, bina Jovi pro pedibus eſſe dolia, alterum boni condum, alterum mali. Quoniam igitur, ab Jove arbitro rerum expectare maturam opem, haud in noſtra facultate reponere, debemus, anne ſubſidium ab ipſo deſides & ignavi maneamus ? Verum huc nos monuit alicubi Maro,

*Alitur vitium, vivitque tegendo.*
*Dum medicas adhibere manus ad vulnera Paſtor*
*Abnegat, aut meliora Deos ſedet omina poſcens.*

Quamobrem allaboremus, & vires noſtras omnes intendamus. Nam facientes adjuvat Deus, auctore Varrone, Latinorum omnium doctiſſimo. Sic fortaſſe futurum eſt, ut noſtris humanitatis miſerae promerendae ſtudiis adeſſe velit dignitatum Numen. Age igitur ad rem cominus accedamus : primum autem de praeſcripta nobis lege, ac competenti demonſtrationis modo dicamus.

Aggreſſurus ad diſputationem mihi primum ipſe praeſcribo modum, nec non ra-

rationem philoſophandi conſtituo, qua fines medicos non exorbitem inveſtigando, ſed intra quos laxitatem omnem inquirendi contineam; ne quando aliter agens, quam ex munere debeam, minime ſpectantis ad rem officii reprehendar. Quippe ex unaquaque facultate, in qua eſt quaeſtio, non aliunde ducenda ſunt argumenta; atque adeo de rebus medicis medice, deque phyſicis phyſice diſputandum eſt, quantum rei ſubjectae natura petit, ut haec indagetur, ſumendo, ſcilicet, non probando. Quid autem ax aliis facultatibus, quae genere non communicant, neque principia habent ſyngenea, petantur argumenta? Porro, magnus Hippocrat. *in l. de principiis* ſcripta reliquit haec initio. *Ego ad hunc uſque ſermonem communibus ſententiis utor, tum aliorum, qui me praeceſſerunt, tum etiam eis. Neceſſe enim eſt commune principium ſententiis ſupponere eum, qui velit hanc de arte medica tractationem componere. Verum de rebus ſublimibus, in aere ac coelo, neque opus habeo dicere &c.*

Qui idem Vir, & *libri de natura humana principio*, praefatus eſt: *quicunque de natura humana amplius diſſerentes audire conſuevit, quam ejus ad* Medicinam *pertinet, huic commodum non eſt hunc meum ſermonem audire*. Tertio etiam, *in l. de veteri medicina*, monuit, *oportere arte tradere vulgo nota*, γνωσὰ λέγειν τοῖσιν δημόταιζιν: quod & alibi ſolenne, ac frequens, ſummi Dictatoris praeceptum ego ſpectans in hac mea, *de peſtilente ac ſtrangulante pueros Abſceſſu*, diſputatione ſervabo. Itaque abſtinendum judico Aſtronomicis, Metaphiſicis, Divinis, & hoc omni genere alieno. Quamquam obtrudes fortaſſe, quod idem Hippocr. *in l. de aere, aquis, & locis* diſertis verbis dixit, *ſane non minimam partem conferre in re medica conſultam Aſtronomiam*. Verumtamen quid ipſe ſenſerit Aſtronomiae vocabulo, declaravit protinus, cum ait; *quum una cum temporibus & ventriculi in hominibus commutentur*. Nimirum Aſtronomia eſt Hippocrati, certa ratio mutandarum tempeſtatum, a ſiderum ortu & occaſu, & a commotis ventis, & aere inalterato, naſcens; non ab aſtrorum, ut dicunt, adſpectibus & configurationibus, quae damnata ſemper, ut Seneca prodidit *in apocolocynthide*. Huc quidem cauſſarum inveſtigatione gaudeant, utanturque, quicumque velint; nos medica tantummodo lance pendemus omnia, quae incidant in rem iſtam.

Aliud quoque praeſcriptum ſapientiſſimus idem, ſeu contemplandi, ſeu ſcribendi, Dictator impoſuit, *libro de carnibus* ante citato, dicens; ſe theſin aliquam oſtenſurum aliorum ſententiis in hypotheſin uti ſuetum: quem vulgarem ego morem, ut ſervem, neceſſe eſt, niſi actum agere debeam. Quare cum ſcriptores praeſtantiſſimi de hac eadem re pleraque comprehenderint, a conjunctis jam recepta & vulgata haec, ut recipiam, ſupponens, & non inculcem, jure fiet, quae ſunt haec. *Primum* hiſtoria mali cum circumſtantiis omnibus accurate deſcripta, qua monſtratur, & ab Anno 1618. erupiſſe inſuetum inter noſtras gentes affectum, qui homines potiſſime pueros, extincto vel praecluſo ſpiritu, noviſſime interimeret. *Deinde* velim apud iſtos eoſdem auctores legi, quae praeceſſerint conſtitutiones, ſive auſtrinae atque humidae; ſive ut aliis placuit, ſqualidae & ſiccae, propter cometas. Video autem plures, & prudentiores, auctores in priorem acceſſiſſe ſententiam, quam & ego ſequor.

*Tertio* non inſumam anxium laborem in declinanda ſede affectus, aut vitio ipſo, cum univerſa deſcriptione interni, externique, characteris, cumque infinitis plane modis & accidentibus ejuſdem; quae res & nulli non compertae ſunt, & ad ſtomachum uſque expoſitae, per omnes quos dixi. Verum contentus ego ſola diagraphe veterum auctorum, quae communis ad unguem eſt vitio, quod in praeſenti viſitur. Hypotypoſis autem morbi noſtra eſto haec.

PARS.

## PARS. II.

### *Descriptoria & Semiotica.*

MOrbo huic τὸ θεῖον, quod Hippocrates primus adstruxit, nos divinum dicere consuevimus, esse nemo dubitavit ad hanc diem sive quod Dei provisoris vindiciis immissus, ut initio praefati fuimus, sive quod aere communicetur, sive quod occultae sit naturae: quae tres effatus divini sunt interpretationes Medicorum communes. Nimirum hunc, An. Christi supra MDCXIIX. in nostram gentem ingressum, antecessit boum annua lues; qua mirum in modum strangulati concidebant. Cum enim primum homines incessit iniqua lues, demirati satis non sunt tam Medici, quam naturae interpretes omnes, immanem tum afficiendi, tum conficiendi, modum. Exstant de hac re propria & peculiaria Araetei Cappadocis monumenta; quae, quoniam brevia, compendiosa, luculenta, accommodata, rata, & gravitatem & majestatem Hippocratis referunt omnia, praestiterit semel integra, quam concisa saepius ac disjecta produci: tum ut antiqua morbi idea, quantum hodierna coeat, perspici possit; tum ut suo quasi πρωτοτύπῳ, & exemplari norma ad exercitationem hanc omnem parato, nobis liceat uti. Interim autem audieris summum Virum quasi vices nostras loquentem, *c. 9. l. 1. de caussis & signis morborum*, in hunc modum versione Junii Pauli Crassi; *Ulcera tonsillis fiunt aliqua mitia, familiaria, non laedentia: aliqua aliena, pestifera, necantia. Mitia quidem sunt munda exigua, non alto descendentia, non inflammata, dolorem non excitantia. Pestifera sunt lata, cava, pinguia, quodam concreto humore albo, aut livido, aut nigro, sordentia. Id genus ulcera Aphthae nuncupantur. Quod si concreta illa sordes altius descenderit, affectus ille Eschara est, atque ita Graece vocatur, Latine crusta. Crustam vero circumveniunt rubor excellens, & inflammatio & venarum dolor, quemadmodum in carbunculo & exiguae raraeque pustulae, quas Graeci Exanthemata vocant, orientes, hisque aliae supervenientes, in unum coalescunt: atque inde latum ulcus efficitur. Id si interius in os depascendo serpit, ad columellam usque pervenit, ipsamque exedit, & linguam etiam occupat, & gingivas & frena; id est, dentium alveolos; denteque inde labefactantur, & denigrescunt. In collum etiam phlegmone erumpit; atque isti, haud ita multis diebus post, phlegmone, febribus, foetore, inediaque, consumpti intereunt. At si in pectus per arteriam id malum invadat, illo eodem die strangulat. Pulmo enim & cor neque talem odoris foeditatem, neque ulcera, neque sanioso humores, sustinent, sed tussis spirandique difficultas enascitur. Caussa maleficii tonsillarum est frigidorum, asperorum, calidorum, acidorum, adstringentiumque, devoratio: quandoquidem hae partes pectori ad vocem, spiritumque, edendum inserviunt, & ventri ad alimenti transmissionem, & gulae ad ejusdem devorationem, obsequio sunt. Internis vero partibus si quod contingat incommodum, ventri videlicet, gulae, & pectori, ad isthmum & tonsillas, & loca ibi posita, mali consensus & eructationes perveniunt. Quapropter pueri usque ad pubertatem maxime hoc morbo tentantur: praecipue namque pueri multum frigidum aerem inspirant; quoniam in his plurimum caloris inest, & ad cibos intemperantes sunt, & varia concupiscunt, & frigidam potant, & excandescentes, ac ludentes, altius vociferantur. Puellis quoque usque ad menstruae purgationis tempora haec vitia usitata sunt. Regio Aegypti horum affectuum plane foecunda est; aer enim spirando siccus adducitur varios praeterea cibos suggerit. Radices enim, herbae, atque olera, ibi large proveniunt, & acria semina, & potio crassa, utpote Nili aqua. Sibi vero Aegypti ex hordeo & ex floribus, scilicet vinaceis, potiones acres conficiunt. Syria*

quo-

*quoque maxime illa, quae Coele. i. e. cava nominatur, hujuſmodi morbos procreat, unde Aegyptia, & Syriaca, ulcera id genus appellant. Modus vero mortis quàm miſerrimus accidit; dolor quidem acer & calidus, qualis in carbunculo; ſpiritus vitiatus, exhalant enim maximae putredinis odorem, eumdemque vehementer in pectus ſpirando adducunt. Immundi adeo ſunt, ut neque ſuum ipſorum odorem ferre queant. Pallida his, ſeu livida, facies, febres acutae, ſitis, ut igne accenſi videantur: Potum, veriti dolores, non admittunt: triſtantur enim, cum tonſillae comprimuntur, aut potius in nares reſilit. Cumque decumbunt, ſurgunt, ut ſedeant, decubitum non ferentes; quod ſi ſedent, quiete carentes iterum decumbere coguntur. Plerumque autem recti ſtantes obambulant, nam quieſcere nequeunt; ſolitudinem fugiunt, dolorem tollere dolore tentantes. Inſpiratio magna eſt, frigidum enim aerem ad refrigerationem deſiderant; exſpiratio vero parva. Nam veluti igne exuſta ulcera cum ſint, a calido praeterea ſpiritu incenduntur, raucitas adeſt, vox nihil ſignificat. Atque haec in pejus ruunt, cum ſubito in terram collapſos anima deficit.* Haec Aretaeus: quae nos quidem, quantum tractatuli brevis anguſtia permittit, enarrare primi experiamur. Exorditur Auctor κατα τὴν διαιρετικὴν τιθεσιν μέθοδον, a diſcriminibus tonſillarum, ſumma, ſcilicet, & prima tractandi omnium hypotheſi; ſine qua luce, aut duce, neutiquam bene proceſſiſſet ὁ Ἀρέτοι& quaſi ὁς ἀλλόθοι& ἀνὴρ: *Aliqua aliena peſtifera necantia alterum membrum.* Finita autem ſi recte dicta percipimus, utraque non laedentis lethaliter uno, & necantis altero, termino. Mitia igitur non laedens genus rite ſequitur, utque minime crudum, ſed coctionis particeps eſt, a fructibus & pomis ducta ſimilitudine, & vocabulo. Proprie enim, quod coctum & dulce eſt guſtabili cuiquam, id mite eſt pomis, ſi quando dictum eſt Poetae, *Sunt nobis mitia poma.*

Vide autem, quae de miti vocula differuit Ludovicus Duretus.

Jam vero mitium claſſem & comitatum infra accenſebit Auctor. Interim, amice, advertis his tractari, proponive, tonſillas eatenus, quatenus ulceroſae vel ulcera ſunt, haud vero, uti tubercula; quippe poſt unam inflammationem in haec non conſiſtentes pergere conſueverunt in ulteriorem Abſceſſum: quinimo, ut *in c. 9. lib. 1. de morb. acut. curatione* ait; Illitiones acrium medicamentorum faciendae ſunt, neque enim ulcera quieſcunt, neque cruſtae in ſuperficie fiunt, q. d. ſed intimis glandulis familiaria. Sunt quippe *tonſillae* pleriſque inquilina & conſuetudinaria, ut puellae cuidam e Caracciolis, & Marchioni Mirabelle, quod fit, ſcilicet, propria & privata capitis & cerebri craſi & conformatione. Quemadmodum enim externo collo luunt ſtrumas; qui compreſſis utrimque temporibus, latis genis, & maxillis, ſunt homines Harnoldo Villanovano; ita & interno gutture, ſub male conſtructo capite, debent incurrere *tonſillas*: alii fortaſſis autem, quod familiare eſt Aretaeo, illud eſt, quod ſpectavit Aetius, dicens, aliquando fieri *tonſillas* conſuetis inflammationibus, familiaribus autem tonſillis ἀντισρέφοντα reſpondentia ſunt, quae mox ſubdidit auctor *aliena*.

(*Peſtifera necantia.*) Latinis hominibus eadem fere ſunt haec utraque laxius ſcilicet uſurpato peſtiferi nomine. Verum non ita quidem apud Phyſicos & Medicos, qui peſtiferi vocem volunt preſſius eſſe, id quod eſt a Peſte: haec vero, quoniam non perpetuo necat cunctos, verum hanc plerique ſeu natura, ſeu arte praeterfugiunt: ideo ſubditum aliud, (*necantia,*) Noto autem gradatim haec propoſita: aut potius diſpoſita: quandoquidem ab alieno gradu ad Peſtem itur, ab hac vero ad interitum. Pergit autem κατα τῷ σφοτέρω σαφηνίαν noſter auctor, exponitque mitium ordinem, quae ſunt (*Munda*) id eſt, pauca & exſortia ſordis, de qua non longinque dicturus eſt. Attinet autem hoc ad habitum & qualitatem. Caeterum

rum quod ad τὴν ποσότητα ἢ τὸ ποζὸν attinet adſcribit & exigua: porro exilitas ſi quo in vitio laudabilis eſt, in *tonſillis*, & locis alioquin iſthmi μικροκοζμώδεις laudabilis eſt cum maxime; praeterquam, quod exilitas tumoris una prae ſe fert vitii mendicitatem ſua natura; quamquam haud ignoro ſaepiſſime fieri, ut ſub puſillulo tuberculo, & vitii cicerculo, latitaverit, & concluſa fuerit, vis veneni magna: quam equidem ad creperis miculam, ferocie diſſonantiam, oſtendi luculenter in perdolentibus impreſſuris condi. *l.* 4. *de recond. Abſceſs. nat.* recte hoc, inquam, fieri. Verum exilitatem probari per Aretaeum, quae accedat ad puritatem etiam, & ad τὴν ἐπιπολὴν καὶ τὴν ἐπιφανίαν; ubi videlicet ulcera non ſunt alte deſcendentia; adde, neque inflammatione, neque dolore ſeptas; quibus utriſque affectibus expertia non ſunt tubercula, quae ambitu minimo ingentem complectuntur malitiam, & quibus utriſque affectibus tonſillae, vel quae mites fuerant, efferantur.

Peſtifera poſt haec deſcribit a latitudine atque altitudine, excavata, quaſi dicat per omnes ſpatii dimenſus extenſa putredinis infrenis depaſtu, quae *nome* dicitur Graece, ab auctore noſtro paulo poſterius exponenda; eo quidem futura deterior quo ſe in exſangues & ſpermaticas particulas, id eſt in nervos ſolidos & in membranas, ne dicam in offa deſcenderit.

(*Pinguia*) non natura me hercules, ſed putredine, quae in offa defixa haec etiam pinguia reddit, auctore Cornelio *l.* 8. *cap.* 3. Eſt autem pinguitudo iſta reſoluta ſubſtantia per vim caloris extranei. Poſtquam enim calidum ἔμφυτον eliſit atque exterminavit, vinculo, quod partes exhauſti corporis colligabat, abacto, ſecedunt eaedem & nullo praeſidio fotae ſecedunt in limoſam quamdam ſubſtantiam, quae pinguedinem refert; & refert quidem potiſſime pinguedinem colore ſubpallido, vel inter pallorem & alborem medio: ſic notat hanc Auctor.

(*Concreto quodam humore albo*) Quamquam & albo colore, qui minus inviſus eſt, praetergreſſo, in lividum primum, mox in nigrum abit haec ſordes, quam malo depinxi; peſſima ſcilicet ulceris ſorte, quemadmodum Hipp. *l.* 2. *prorrh. nota* 17. nos docuit.

(*Id genus ulcerum Aphthae nuncupantur*] Elicit ex dictis *aphthae naturam*, quaſi definierit *aphtham ulcus latum, cavum, pingue*, ex concremento quodam humoris albi, aut livido, aut nigro, ſordeſcens. Cui definitioni refragari videtur auctor definitionum medicarum, cui *aphtha* eſt ἕλκασις ἐπιπωλαίου ἐν σώματι γιγνομένη. ἐπιπολάζει δὲ αὕτη ἢ ἕλκωσις μάλιστα παιδίοις. Quae Latinae ſunt; *Aphtha eſt exulceratio ſuperficiaria in ore puerorum*. Accidit autem haec ſecundum ſuperficiem ulceratio maxime pueris. Refragantur, , inquam, ei quod dixit (*cava*) haec, quae Graece ſunt ἐπιπόλαιος καὶ ἐπιπολάζει. Verumtamen ut hunc nodum diſſolvas, meminiſſe te oportet, quod ſermo eſt Aretaeo de *aphthis* peſtilentibus & malignis: alteri vero definitori obverſatae ſunt animo *aphthae* leviſſimae, & nulla cum putreſcentia vel proſerpentia conjunctae. Advertis autem, quod Aretaeo genus aphtharum ulcus fuit; definitori vero ſecundo exulceratio: diſtant autem intervallo non modico τὸ ἕλκος, καὶ ἕλκωσις. Nempe exulceratio minime perfectum ulcus arguit, neque numeris omnibus abſolutum; quamquam contra eſt Aetius, qui *l.* 8. *c.* 39. dicens; *porro ſi in putredinem aphtha vertatur non convenit amplius aphtham eam affectionem appellare*. Verum huc ego, inquam, ecquis nominum imponendorum inhibeat, praeſcribatque, rationem? praeſertim cum, anxiam nominum curam ſapienti viro abundat Galenus quam ſaepiſſime.

(*Quod ſi concreta illa ſordes altius deſcenderit, affectus ille eſchara eſt, &c. uſque ad exanth. verbum*:) Quoniam quidem hanc cruſtam carbunculo comparat Aretaeus, delineatam hanc accipe ex uno Cornelio, qui *l.* 5. *rei medicae cap.* 28.

quod eſt *de carbunculo*, ſcripſit haec. *Circaque quaſi cruſta eſt; eaque inflammatione cingitur. Neque in eo loco levari cutis poteſt, ſed inferiori carni quaſi adfixa eſt. Idque vitium, ſubteractis quaſi quibuſdam radicibus, ſerpit, interdum celerius, interdum tardius. Supra quoque procedens inalbeſcit, deinde lividum fit; circumque exiguae puſtulae oriuntur. Et ſi circa ſtomachum fauceſve incidit, ſubito ſpiritum ſaepe elidit.* Haec quidem Celſus quorum enarrationem ſi capis, hanc in noſtro ſuper hunc auctorem commentario habebis.

(*Orientes hiſque aliae ſupervenientes in unum coaleſcunt, atque inde latum ulcus efficitur.*) Calore ad putredinem primum agente, concurrentes puſtulae complures in unum diſſolvuntur; deinde nomen, id eſt depaſtum moliente latum ulcus redditur.

(*Id ſi interius in os depaſcendo ſerpit ad columellam &c.*) Nomae ferinae vi nimirum; quam & *l.* 1. *de curandis acutis morbis c. IX. F.* deſcribit etiam per haec: *quibuſdam & columella uſque ad palati os exeſa eſt, quin etiam tonſillae ad baſin uſque & epiglottidae, ac propter cicatricem devorare neque ſolidum quidquam neque liquidum poterant, ſed & ipſum, quod bibebat, interdum repercuſſum hominem fame necavit.*

(*At ſi in pectus per arteriam id malum evadat illo eodem die ſtrangulat.*) Pulmo enim & cor neque talem odoris foeditatem, nequae ulcera, neque ſanioſos humores ſuſtinent. Haec ab Aretaeo reddita cauſſa mortiferae deſtillationis. Cui tamen adverſantur experimenta, quod pulmo quidem vomicas & tubercula diuturna, & uſque etiam ulcera ſuſtineat, perſtante vita hominis ad decades annorum etiam una plures. Cor vero, ut oſtendimus *hoc eodem opere*, vitia pleraque, hoc eſt, tubercula, ſcliromata, ulcera, concrementa multigena & horrenda, patitur; quamquam autem ejus facti multiplicis plenam & ſatisfacientem ibidem expoſuerimus rationem; nihilominus placet magis ea ratio, quam idemmet protulit auctor *in l. de curatione acutorum, cap.* 9. per haec; *Verum ſi ab his, tonſillarum ulceribus puta, ſanies ad interiora deſtillet, celeriter partes etiam, ſi integrae ſint, ulcerantur, celerrimaque ulcera interius depaſcendo ſerpunt, atque hominem perdunt.*

(*Cauſſa maleficii tonſillarum eſt frigidorum, aſperorum, calidorum, acidorum adſtringentiumque devoratio*) Aretaeus quidem cauſſam maleficii demonſtrare volens, pravam victus rationem compluribus adſtruit argumentis. Cujus univerſae argumentationis capita, & propoſitiones cum non ſint declaratae ſatis, neque explicate praeſertim ſecundum noſtram inſcientiae exigentiam, pace graviſſimi Viri, difficile fit attendentibus, aut deprehendere primum, ſententiam ipſius, aut vim rationis, atque univerſam demonſtrationem comprehendere. Itaque ne tanti Viri ſcriptis uſi fuerimus gratis: ejus uſuram dare conabimur cum fructu ſic ut aliquando operae pretium feciſſe videamur. Igitur, ut intelligatur Aretaei diſſertatio, proponendum eſt ante nobis, ejus propoſitum primum, & univerſus progreſſus gradatim animo percurrendus. Primum peſtilentium tonſillarum vitioſus victus eſt cauſſa demonſtranda; ſtatueris pariſthmia fauceſque complexim ſumptas pro alibilibus, ſimul & ſpiritualibus, viis, januam eſſe pleriſque ſubeuntibus in corpus, tum egredientibus, ſubſtantiis, quae nihil quidem exaſperando, nil pariter etiam laedunt tranſitu partes, cum vero exaſperant & labefactant, in promptu concitatum tonſillae ſenſerint malum. Atque pleraque ſunt, quae exaſperant, tum quidem per ſe particulam, tum internis partibus incommodando; quae tum poſtmodum incommoda refundunt in eamdem partem, viciſſitudine quadam facta. Exaſperant, inquam, alimenta praetereuntia, dum ſubeunt in ventriculum, frigida nimirum, aſpera, acria, quae vocat calida, acida, adſtriugentiaque. Quo facit illud Archigenis, apud Aetium

hoc

hoc ſermone, *c.* 47. occultae anginae cauſſam eſſe in quibuſdam nervos, qui ad ſtomachum feruntur, dum male afficiuntur, & poſt inferioribus membris, pulmoni; inquam, & cordi reſpirandi principium inflammant; arteriis vero, quas carotidas appellant, itemque aliis adjacentibus inde inflammationem traſmittant. Cum hoc autem in omnibus aetatibus promiſcue fiat, potiſſimum in pueris fit ſaepiſſimae, quibus inſpirandi frigidiſſimi aeris uſus multus eſt, ut qui calore multo exaeſtuent. Deinde ſua ipſorum vivendi intemperantia & ciborum varietate labefactantur, & corrumpuntur ſucci, qui acceſſu ſuo partes pariter labefactant atque corrumpunt. Tertio quia frigidam potant, quarto, excandeſcentes, & ludentes, altius vociferantur.

Dixit hoc genus vitio pueros & puellas impuberes obnoxios: mox dicit & Regionem Aegyptiam; & Syriam valloſam, eidem malo comparatam eſſe propterea, quod incolis aer ſpirando ſiccus adducitur. Deinde varietate ciborum, olerum multorum, item variorum ſeminum, id eſt, leguminum, quibus & Alexandrinis pravos gigni ſuccos obſervaverat Galenus. Item aquae Niloticae potione craſſa; nec non ex hordeo, & vinaceis, confectis potionibus acribus, bilioſus creatur ſanguis, qui ad tonſillas nempe laxas & imbecilles, delatus, has inficit & conterit facile. His ſic per nos diſpoſitis & enucleatis, vides jam, Lector, *tonſillarum peſtilentium* binas in univerſum cauſſas, ſive pueris, ſive certae genti, perpetuas eſſe; aut exaſperatis, inquam, aut alimenti vitio varie corruptis, partibus. Itaque cauſſa primum redditur univerſalis, mox puerilis aetatis & regionum peculiaris.

(*Modus vero mortis quam miſerrimus accidit.*) Suſpendio nimirum ſimilis, & quod non aliter, quam laqueus praefocans interficiat: nam Graeci *anchones* ſuſpendia vocaverunt; quae ferme verba ſunt Aureliani *lib.* 3. *acut. cap.* 1. quod eſt de cynanche: exoſa, inquam, moriendi ſors, adeo hoc moriendi pavore conſternati fuerunt magnanimi Heroes; apud Homerum, Laodamus; apud Virgilium, Aeneas, de quo cecinit Poeta:

*Extemplo Aeneae ſolvuntur frigore membra,*
*Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas,*
*Talia voce refert: o terque quaterque beati,*
*Quis ante ora patrum Trojae ſub moenibus altis,*
*Contigit oppetere.*

*Dolor quidem acer & calidus*) Incenſivus Avicennae more, *l.* 1. *doct.* 1. *ſum.* 1. *c.* 1. rectius autem incendioſus; late undique exſpirante igneo fervore, qui inſeparabilis eſt aphthis, quas exulcerationes, habentes in ſe quiddam igneae caliditatis dixit Aetius *l.* 8. *c.* 39.

(*Spiritus vitiatus*) Dixiſſem equidem potius halitus, *haleine* Gallice. Exhalant enim maxime putredinis odorem; id quod fit quidem certe peſtifera corruptione; verum is foetor uberrime nanciſcitur cauſſam ex conditione partium affectarum, quae ſunt adenes, carnes, puta, humidiſſimae & flaviſſimae; in anguloſo praeterea loco concluſae; quae inter omnes minime poſſunt reſpirare.

(*Eumdemque vehementer in pectus ſpirando adducunt.*) Ut gaudet porro ſpiritalis, vitaliſque, praecordiorum natura, puro limpidoque aeris attractu: Sic contra tetro & coinquinato triſtatur. Jam audi diligentiam & emphaſin Aretaeam; namque addidit quaſi cogi naturam, ut abunde attractum aerem foedum cogatur attrahere; attrahit autem abunde in tanto aeſtu, in quanto ſunt anginoſi, praecipue pueri, natura calidiſſimi, ut praemonuerat dudum.

(*Immundi a. ſ.*) Exaggerat immunditiem, quae eſt tanta, ut neque ipſi ſuarummet carnium foetorem ferre poſſint, q. d. quando igitur gravius ferant ad propinquantes.

(*Pallida seu livida facies*) Vitio praecordiis incumbente, a pulmone praesertim, qui de proxima vicinia, qualis ipse est, tales & genis refundit colores.

(*Febres acutae, sitis, ut igne accensi videantur.*) Facta compressione, & putredine inita, partium respirationi dicatarum & saepe etiam praecordiorum ipsorum. Id equidem per initia fieri vidi, rarior autem caussos febres nostro tempore: quin ut vere dicam, videntur tepetiores, atque ut capite septimo vocat hic idem auctor; ignavae, molles nihil proficientes.

(*Potum.*) Et hic emphasis etiam est; quippe quod maxime avent per sitim, idem per alia incommoda refugiunt & exhorrent: adeo praeponderant haec incommoda frigidi, humidique, appetentiae. Sunt autem incommoda duo gravissima, & potu tonsillas comprimente, & eodem per nares a faucibus refluente.

(*Cumque decumbunt.*) Pergit Emphasis, quod, quum maxime adpetant, & consulturum sibi credunt componendum corporis modum, hunc experti continuo renuunt; atque uno eodemque tempore decubitum cum sessu commutato; mox sessum cum decubitu commutant; & rursus, neutrum experti commodum, recti deambulant domo, quietem odentes, quae ambulatio offensa inquies est continuo. Adeo nullus corporis continendi commodus usus est.

(*Solitudinem fugiunt.*) Consuetudines hominum consequuntur, in qua cum doloris pars sit, se solos cernere gravatos, nihilominus hoc dolore priorem dolorem repellere tentant, sed sine fructu.

(*Inspiratio*) Magna est frigidi aeris usu & inopia; sed nihilominus ample inspirati, non tanta identidem est respiratio, q. d. (ἐμφατικὸς γραφὴς est) ingressus & egressus ratio par, monstrante Gal. *in l. de respir.* at ne respondet tamen regressus ingressui proptera, quod plus attrahunt refrigerandi aestus studio, quam reddere possint, non reddant autem mali cujusdam fuga & concepta omnino cautela, ne retorrida ulcera retorreant insuper efflatu fervido.

(*Raucitas.*) Est alluvione humoris

(*Vox.*) Nihil significat, corruptis & perversis eloquii particulis effectricibus plerisque, quae sunt gargarion.

[*Atque haec in pejus ruunt.*] Sic cum status languentis semper in pejus ruat, neque nocentis luis ullus modus sit, pessumdatis & prostratis virtutibus, repente spiritus deficit miseros.

Cappadoci successit scriptor Amidenus, cujus & e re nostra fuerit, pleraque ordine imitata, huc transferri. Crustosa & pestilentia tonsillarum ulcera ut plurimum nullo praecedente tonsillarum fluxu incipiunt; aliquando a consuetis fieri inflammationibus maxime efferatis perficiuntur. Fiunt autem frequentissime pueris, atque etiam aetate jam perfectis, maxime his, qui vitiosis humoribus abundant, in his, quae vere contingere solent pestilentibus constitutionibus. In pueris vero, oris ulcere, quod aphtham vocant, praecedente omnino perficiuntur. Sunt autem partim alba, maculis similia, partim cinereo colore, aut similia crustis, quae ferro inuruntur. Accidit autem aegris siccitas in transglutiendo, & suffocatio coacervatim incidit; maxime quum rubor subeat mentum, aut ubi haec acrimonia praeterierit. Nome, quae depascitur, locos excipit, succeditque una putrefactio. Cui Graecanicae morbi figurae dispar haud est Italica nostra, nisi quod paulo auctior per simptomata capitis, quae minime recensita veteribus hisce scriptoribus visuntur, non infrequenter in nostris hominibus male affectis; praesertim viris, & foeminis natu jam grandibus. Equidem inter caeteros notavi duos, qui non sine comate, stupore, caribaria, atque aliis hoc genus occubuere. Neque enim saeva Pro-

serpi-

ſerpina pepercit capiti Medici, credo, quadragenario majoris, cui nomen Philippo Lucano; cujus & Medicorum ſuorum, ut complurium aliorum, inertiam non poſſum non accuſare. Altera fuit Laurentii Pharmacopoei conjux, quae delira per morbum ſaepe apparuit, morbo commortua. Excretiones e naribus conſuetae, putridae, pituitoſae ichorodis, aliquando cruori commiſtae, aliquando dumtaxat cruentae merae: Qua de re audi nobiles Hiſtorias.

Puella nubilis in Parthenophylacio Spiritus Sancti, eodem adfectu dire gravata cum exitum e ſtrangulatu exſpectaret, ex ſubita haemorrhagia profuſiore praeſentaneam opem ſenſit; poſtremo vero ex malo ori venefico ſervata, incertum, qua nova morbi vi fuit inopine ſublata. Verum ea fortaſſe cauſſa, quam ab Aetio traditam paulo poſterius exponemus. Interim ſcire licet, unum e tribus pueris, qui peſſime habuit inter caeteros, & nervorum languore relictum cruribus adprime imbecillum, atque oculo ſtrabum tranſvoratum, verum ſic impeditum a diu praeterito adfectu, ut vix emollitum humore panem dimittere valeret: quamquam duriuſculas panis offas, & ſolidas molles fabas, ingereret commodiuſcule. Quorum duorum paradoxorum ſymptomatum, problematumque, rationem, graviſſime declaravit Andreas Caeſalpinus *in l. 2. controverſ. med. c. 13.* Referentem hunc quia michi referre non vacat, adi. Qua eadem ſanguinis per nares excretione facta puero decenni Joan. Laurentii Bozavotrae filia ſalus perfecte reddita eſt: quamquam hic jugularis venae ſectione fuerat egregie levatus: obſervata haec Mutio Capalbo Medico, qui ad Galenicam medicinam, Hermeticam peritiam belle addidit. Indicant haec porro non obſcure ſuperiorem tonſillis loco adfectam ſedem, quae cerebrum eſt.

Cui noſtrae ſuaſioni favet Anatome complurium corporum vi morbi enectorum, in quorum capitibus exſectis reperti grumi ſanguinis lato ſchemate diffuſi, ſub maximos ſinus membranae craſſioris.

Obſervationes. *Paedanchmone*, in cadavere ſeptennis pueri Valetudinarii incurabilium diſſecto, obſervata 1642. menſe Novembri. Sterno reſoluto & coſtis utriſque diſſectis, exſtitit pulmo latis maculis praelividus & prope niger; auricula cordis dextra grumis ſanguinis plena, venae omnes pulmonis & cordis diſtentae, vena cava inſectu ſuo adaperta ſanguinem atrum & grumos reddidit, ſic & ventriculi abunde ſaturi ſanguine; in capite una cum facie praetumido facta diſſectione, reperta inter cutem & muſculos temporarios pituita mucoſa citrina, longo ad malos uſque diſcurſu. Oſſis teſta recluſa, venae membranae tenuis diſtentae undique ſanguine, ſic item & omnes ſinus craſſae membranae, ſic & rete mirabile; vaſa ad ſummum omnia gravida ſanguine, quae cerebri baſin emenſa medullam nutrire fuerant parata. Perveſtigata larynx cruſtacea quadam pituita, facie exteriore contecta, citra ulceris ſpeciem.

Mortuus eſt puer octennis, ſeptimo poſt die, anhelus & anxius, recto plurimum capite cubans: mihi quidem angina illa ſicca viſa eſt Hippocrate deſcripta *l. prognoſt. com. 13. part. 16.* & ab Areteo *l. acutorum*; de quo ſupra.

Accedit & quod in duobus filiis Jacobi equitatoris, extra portam Regalem, pueris provectioribus; & in Dioniſio Severino, quinquenni puero, dira lues nares utraſque compleverit putridis & praealtis aphthis, quae viru putidiſſimo manabant. Quid? quod cum putrilaginem reddere viſae ſunt nares, ut cerebri ſubſtantiam retulerint, teſtante Joh. Baptiſta Ferrario, Medico noſtrate, ingenii ſingularis. Sed & illud ſilentio non involvendum, quod etſi *Tonſillas peſtilentes*, & *Ulcus Syriacum*, hocce vitii vocitemus; nihilominus obſervatum eſt ſaepe ſupra ſtrangulatum, & puris jam ulceribus ſublatos pueros morbo, qui liberi fuerant repu-

reputati. Quinimo post triginta dies, & quadraginta, jam praerepti morbi furoribus, praeter omnium opinionem, ex improviso sunt exstincti. Adeo, scilicet, latitans & recondita veneni vis est.

Sed cum his etiam morem morbi venemur praecipuum; est enim & aliud discrimen nobis observatum apertis formis, quarum altera est acuta & ferme furiosa; altera prope sedata & lenta: quas utrasque fortasse determinat temperatura corporis, humor praevalens, habitus, sensus, mos; & haec quidem in eadem urbe, oppido, pago: caeterum in longinquis & dissitis locis. Binos hos duos morbi mores definiverunt, quoque constitutio & tempus anni, aer, aqua loci, victus, & caeterae quaedam occasiones, aut causae. Acutus quidem morbi mos, & ferventioribus symptomatis, & febre ipsa, septus est, acriori: contra vero, lentus & serotinus mos sedatioribus, & est motionibus, transcursibus, ad tempora. Reliquum vero, quod concitatior inflammatione & acrimonia non sit, nihilominus neque sua deficit nocendi vi & virulentia, si quis sit, qui sagaciter & oculate dijudicare vitium, per leves suas conversiones & immutationes, norit. Porro dolor altius nutrit, & tacitam improvidae naturae perniciem struit. Ita fit plerumque, ut, puris apparentibus locis ulcerum, & crustarum, opinionem boni faciens, tamen exsugit vivificum genio nectar, & ceu falsus Dux vitam in praeceps deducit: quem in multis ludificatum superiore nos sermone retulimus. Quamquam & in hoc saepe transcursu innocens, & infraudulentus, idem morbus: quam sinceritatem etiamnum agnoscere, ac deprehendere, debet is, qui dextre curat; ne, suspicione malorum adductus, pleraque faciat, quae fuerant minime facienda; tam quidem adversus creditam vitii vim pugnans chirurgia & medicamentis gravissimis, tum ne natura competenti victu fovens & laxans, ubi licet. Verum haec ad medendi providentiam, & ad cautiones, pertinent, de quibus suo loco. His adde per nostros omnes scriptores observatum, nostra magis quam interdiu gravare decumbentes: horum plerosque recta cervice respiratum capere, cum patore, ut Scribonius loquitur, majore narium & diductione. Praeterea collum, & glandulas, & per se fotum extumescere, quin & ad superiorem thoracem excurrere latum oedema. Quae autem in sporade Angina indicium erat boni, extumescentia, hoc pestilentis argumentum est certissimum, saniem, & cruore confusas pustulas nigras, hoc illo loco, parvas; ectymata & pustulae pulicum morsus referentes; lumbricos, vomitus, febrem; postque omnia servatus homo restat languidus, stupens, & in multum tempus imbecillis.

## PARTICULA III.

### *Disquisitoria causarum seu aetiologica.*

JAm vero majore labore dire depopulantis affectus naturam, ac τὸ τί ἐι, pervestigemus, de qua re nostri omnes certant, & adhuc sub judice lis est. Constitutum est apud universos ab aevo Philosophos, ubi rei cujuspiam est abdita natura, hanc a suo proprio, & inseparabiliter assidente conditione, venandam & cognoscendam esse: hanc unam & singularem in obscuris investigandam viam esse. Atque si propositi mali vel vere proprias, vel proprii locum obtinentes conditiones, acri, mentis indagine perscrutemur, facile deprehendemus, & contagiosum, & pestilentem, affectum hunc esse. Quod autem ad contagium attinet, hoc tum communi omnium consensu, atque experimento, evincitur, tum etiam comprobatur ratione triplici, a priori nimirum & a posteriori. Ratio quidem a priori paulo

lo posterius exponetur interim contenti simus a posteriori illa, qua docetur, insigni & tetra putredine, septos morbos omnes contagiosos esse. De quorum numero sunt expendendae conditiones, quae doctis omnibus, & Hieronymo Fracastorio, recensentibus numero sunt tres. *Prima* est, quod contagium nititur, & sese promovet seminariis, quae calida sunt, & humidae particulae putres divaporantes a subjecto corpore: neque autem, inconsulto, binae istae ad infectjonem qualitates conjugari ponuntur. Humidum enim partes ejus corporis, in quo est, emollit & laxat, ad facilem harum separationem quasi praeparando; calidum vero sursum attollendo separat eamdem: quas ob res crassos totius, seu mistionis, resolutio sequitur calido innato, innatoque humido, effluentibus. Sic certa jam est seminariorum, duarumque qualitatum in his coeuntium, necessitas. Praeter qualitates autem has primas sunt & aliae, tum secundae, tum tertiae, seminariis. Porro compactam admodum mistionem habent, cum qua lentor quidam glutinosus conjunctus est, & tum lentor tenuis, acrisque vis putredinis unius ministerio profecta. Qua quidem acrimonia ac tenuitate substantiae fit, ut isthaec seminaria facile penetrare, propagarique, possint in aliena corporis. Penetrationis autem modi sunt tres. Unus per vim analogiae; secundus per attractionem aeris, sive inspirationem; tertius per arteriarum & venarum dilatationem, quem dicunt transpiratum.

*Secunda* seminariorum proprietas est, quod in constituta, certaque, subjecta, nutum quemdam & propensionem habent, quae dicta Graecis analogia est. Haec autem est multiplex, & secundum superiora genera, mediasque species, & secundum infimas etiam; nimirum nunc ad arbores & ad sata, nunc ad certas animantium species, & ad hominem spectat; & ex humana specie partim ad sexus, partim ad aetates, partim ad certos humores, & ad certa membra occupanda, naturaliter cumparata est.

*Tertia* seminariorum proprietas est, quod sordidam, concluſamque, putredinem habent. Sordidam intellige, in qua non superficialis, sed profunda, & secundum totum, fit putrefactio evaporatioque corporis putrescentis. Concluſam autem dico, non abeuntibus a corpore, quae evaporant, sed sese agitantibus & ferveſcentibus intime. Cujus quidem rei causa est lentor & tenacitas materiae putrescentis, qui lentor adhaesu firmo non sinit quidpiam extra mitti.

Hactenus de *contagii* complexu & propriis conditionibus; nunc ad pestilentem morbi conditionem, brevibus enarrandam, accedo. Atque haec etiam plana est per definitionem a probatissimis auctoribus traditam, & sub tribus, ut vocant, additamentis comprehensam; quorum prima est epidemiae mentio; secunda, putrescentis aeris ambientis; tertia, funesti exitus a malignitate. Haec, inquam, omnia subsunt in proposito malo, quare jam *pestilens* idem sit oportet.

Quibus jam constantibus, accedo propius ad rei caput, & primum ad morbi procreationem; & quoniam, inquam, monstratum est, luem per analogiam ad aetatem, ad certas partes, certosque humores, spiritu attractos, insinuari; dico labis istius analogiam spectare ad puerorum naturam, ad sanguinem crudum, & ad cerebri domicilia. Haec singula accommodata & propria pestilenti malo nostro esse videntur.

Analogia quidem ad puerorum naturam longa observatione certa est; ratio vero incerta. An enim fortasse fit, ut sic comparati pueri sint, propter excedens calidum & humidum; temperaturam, nimirum, ad putredinem & ad pestem concipiendam, ut Mercurialis notavit, quam maxime accommodatam. An vero huic affectioni sunt obnoxii pueri propter naturalem impotentiam, obsistendi causis istis morbificis? praediti scilicet, imbecillo, tenero, laxo, spongioso, corpore, & multo

to maxime cerebro. An ſit inordinati victus & vitae cauſſa? qua ſubinde ſanguis redundat crudus, atque adeo coinquinatus hic & impurus ſit paratior ad putredinem, & exinde ad luem recipiandam. Quo loco dicam tempeſtive de analogia, quam lues haec habet ad eumdem, crudum, coinquinatumque, ſanguinem, Analogia, inquam, non aloga, id eſt, irrationalis, ſed certe conſentanea: quandoquidem in habentia ſymbolum facilis eſt tranſitus. Atqui habent haec ſymbolum, ſeminaria ſcilicet calida & humida, in ſanguinem item calidum & humidum, & impura in impurum.

Reſtat exponenda analogia, peculiarem ſibi vindicans partem, neceſſaria quadam lege praeſcriptam, ut diſertiſſime demonſtravit G. Fallopius, *l. de morbo gallico c.* 36. quae, mea quidem opinione, cerebrum eſt his argumentis. Nam eo primum ſuppoſito, quod probatiſſimorum omnium auctorum conſenſus docuit, contagium ed diſtans, atque omnem peſtilentiam, communicari per aerem coinquinatum: porro aer Hippoc. *l. de morbo ſacro*, primum admittitur a cerebro, relinquens in ipſo ſuum ipſius vigorem: ſi enim, inquit, in corpus primo adveniret, & poſterius in cerebrum, dignatione aut judicio in carnibus & venis relicta; ad cerebrum calidior jam exiſtens perveniret, & non ſincerus ac purus, ſed admixto humore a carnibus & ſanguine. Haec ille: quibus accedit, quod cerebrum ad patiendum, & ad ſuſcipiendum, maxime imbecillum & minime obſiſtens, molle, ſcilicet laxum, ac praeſertim humidum, glutinoſum, eſt; quod unice facit ad concipiendam labem humidam & glutinoſam. Ad haec cerebrum eſt glandulae conſimilis, niſi nos fallat Hippoc. *l. de glandulis n.* 7. atque glandulas apprime corripit peſtilentia: nimirum parotidas, alas, inguina, quod experimento quotidiano docemur.

Poſtremo conſtat ſanguinem foedum, putridum, putidemque, manare ſub iſta lue de naribus, & vocem rancidam ex his prodire: quod partim humorem, ut dixi, crudum, partim affectam ſedem, oſtendit. Atque haec de generatione ſint ſatis. Quae cum demonſtrare voluerim, naturalibus adductis cauſſis manifeſtariis, non eſt tamen, quod occultae morbi formae fuerit oblitus.

Generationis nunc modus tractandus ſequitur, qui ſic habet. Deductus aer putris per canales priorum ſinuum cerebri, pervenit ad retiformem plexum arteriarum & venarum. Ibi primum corrupto ſanguine mox ſecedit, & penetrat corpus cerebri: quod corruptum reſtat a poſtremo contagio, quo tempore conſummatur ſtatus & forma, ſive idea, morbi. Haec enim, inquam, ſphaceliſmus eſt, & corruptio cerebri, ex qua deinde ſequuntur affectus alii, ac ſymptomata omnia. Quod corruptio autem ſic cerebri, ne quid te moveat, audi Hippocratem, qui *l.* 2. *de morbis n.* 1. *Corrumpitur*, ait, *cerebrum, cum aut nimium caleſactum, aut perfrigeratum, biliosum, aut pituitosum, plus ſolito factum fuerit.* Et *de coacis pag.* 177. *col.* 1. *cerebro corrupto alii in tribus diebus, alii in ſeptem moriuntur; hos vero ſi effugerint, ſervantur.* Cujus eſt ſimilis ſententia, *in aph.* 51. *l.* 7. quo loco Galenus corruptionem non accipit vulgari modo; ſed ut docet Marinellus, nativi calotis oxſolutionem a materia praevalente. Ad quam quidem opinionem accedimus, non mirabile fiet, quod morbi quidam & laeſiones cerebri non conſequuntur perpetuo, ut apoplexia, catalepſis, & caeterae paſſiones; quae obveniunt ſecundum nervos, & ſinus ductuſque cerebri. Haec alioquin paſſio fit ſecundum cerebri ſubſtantiam aequaliter; quemadmodmodum autem ab hectica febre non agnoſcitur dolor, aut alteratio aliqua praecellens: & ſine his etiam ad mortem itur ſic, & in re noſtra non eſt cerebro praecellens officialis aliqua laeſio, praeſertim exordio, ſed concluſa illa & profunda labes, cujus memoriam ante

te

te fecimus; tacito quodam exitio perdit omnem ejuſdem craſin, quae dum fiunt, communicatur & ſubjectis partibus vitium, id eſt, vicinae tracheae, pulmonibus, ac ſubinde cordi. Poſtremo, quibus omnibus ordine propoſitis, facile patet natura affectus univerſa; faciliſque etiam fit inventio definitionis; quae fuerit, ſi placet, haec. *Morbus hic*, quocumque tandem nomine indicetur, nominandus autem facile a promptiore ſymptomate *Tonſillae cruſtoſae*, *eſt ſideratio cerebri peſtilens*, *contagioſa*, a ſeminariis impenſe putridis, delatis cum aere per ventos praeſertim auſtrales, ad glanduloſas puerorum partes analogia. Ex qua definitione ſeu mavis deſcriptione, & ex qua priore noſtra enarratione, ſubinde comprehenſae ſunt & cauſſae omnes, praeter unam finalem, quae medica in contemplatione non exſtat. Formalis, inquam, cauſſa eſt ſideratio peſtilens, contagioſa. Efficiens vero ſeminaria impenſe putrida, delata cum aere per ventos auſtrales. Materia vero ſiderationis ſunt humores ſeu ſucci pendentes, ut Aretaeus vocat, intra corpus ſubjectum puerorum; & ſanguis eorum crudus, peſti maxime obnoxius & accommodatus; propter eam, quae commemorata jam fuit. Poſſunt & facile per haec enodari problemata quam plurima ad ſingulas omnes cauſſas, & ad generationem, generationiſque modum, attinentia; quae problemata, propoſiti noſtri non eſt, hoc tempore explicare. Interim tamen non obliti caeterarum diſputationum, quae cum hac epidemia coire ſolent; harum quaedam intra nos ſaepe, aliae & longe plurimae ſunt extra nos poſitae, quae potiſſimum etiam a noſtris omnibus ſunt commemoratae. Illarum, quae intra nos exſtant, aliae permanentes, aliae mobiles. Harum exempla apud Aretaeum *l.* 1. *de acutis affectionibus cap.* 9. fuerit fortaſſe, quod puellis, uſque ad menſtruae purgationis tempora, haec vitia uſitata ſunt. Earum vero, quae in nobis ſunt permanentium, exemplo ſunt, endemicae tonſillae; quae, Aetio auctore, in *Tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *c.* 45. frequentiſſime inflammationem incurrunt; calidi & humidi cum ſint earum loci. Item quod hac affectione corripiuntur ſic maxime, qui plurimo abundant ſanguine, ac pueri, utpote craſin teneram habentes. Tertio, quod a conſuetis fieri inflammationibus, maxime efferatis, producuntur peſtilentes tonſillae. Ita quidem, hi bini ſcriptores, quibus non addimus aliam a nullo notatam, ſed a natura ipſa clare docente dictatam: quae cauſſa eſt prava capitis conſtitutio. Nimirum cum exiſtente magna capitis prominentia poſtica, deeſt antica, cum compreſſis tempore lateribus ac ſyncipite: quibus meatibus coarctatis, cum non habeat effluxum humor per tranſitus & emiſſaria anteriora, recurrere cogitur in poſteriora, & ad glandulam pituitariam, unde vitium in fauces traducitur demum. Ad haec eſt debilitas capitis nativa, his praeſertim pueris, quibus diu manſerunt inconſultae futurae, & incommiſſae commiſſurae. Inſuper eſt impuritas corporis & adhaeſus ſuperfluitatum pinnarum, à parentibus relictarum; quae ſuperfluitates educuntur maxime per exanthemata variolarum & morbillorum. Horum igitur inexpurgatae materiae, & adhuc fotae corpore, nonnihil adjuvant hoc morbi genus, de qua in noſtra Paedarthrocace fuſe traditum eſt. Adjuvat & cachexia, ſive ſemine parentum, ſive lacte nutricis, inducta: cum hac autem deprehenſa velim & corpora languidis viſceribus inſtructa, quae dicta ſunt Hippoc. 2. *prorrh.* κακόσπλαγχνα. Adjuvat & cacochymia. Ad ſummam, debilitas ſive imbecillitas; praeſertim quae fit propterea, quod ex vetulis parentibus geniti fuerunt apoplecticis, epilepticis, rheumaticis, podagricis, cachecticis, &c. Quas interne latentes cauſſas, ſi quis inſpicere norit, mire diſcreverit profecto difficillime ſervandos a facilius evaſuris. Equidem, quod ad me attinet, maximum iſtorum diſcriminum & hujus phyſiognomiae uſum in dies medendo nactus ſum. His adde ſtrumoſos & tineoſos, & quibus vitiata pars eſt tonſillarum, ab alio vitio fuit:

ut aphthia, ulcere columellae, carie Syphilia &c. Succedunt extra nos cauſſae, e quibus una ſuum eſt ſidus coeleſte, quod aſtronomi taurum ſtatuunt, dominans huic parti peculiariter, infenſum pro tempore. Secunda cauſſa eſt regio calida & humida, meridionalis, ventis perflata auſtralibus & calidioribus. Quod miris confirmatur experimentis. Nimirum Hiſpania, primum adnotantibus ſuae gentis ſcriptoribus, primo & doctiſſimo Johan. Alfonſo Fonſeca, mox etiam Andrea Tamajo, *in tractatu de Garotillo, q. d. de ſtrangulante funiculo per vecten intorto*, prima fuit quae mali vim hujus acerbe ſentiit: poſthaec Melita, Sicilia, Sardinia, Hydruntum, Apulia, Calabria, Latium tota denique ditio Neapolitana, cui poſt annos viginti duos, mordicus ſic adhaeret, ut plerique credant, poſt longa etiam ſecula non abſceſſuram luem. Quod autem ad ventos attinet meridionales; quia lues haec per intervalla, perque ſtata tempora, inſurgit, obſervatum a nobis eſt ſub auſtrinis conſtitutionibus ejus maxime ſaevitiam praevalere. Ad has, cauſſae aliae ſunt, ut Araeteo placuit, refrigerationes magis, exuſtiones minus, plagae frigidae, potus, ebrietates, ſaturitates, & mala a reſpiratione prodeuntia. Ab Aetio vero nominantur, & tempeſtas frigida, rigidaque, fervidae & aeſtuoſae ſuccedens. Ita quidem ille, quibus equidem addo, venatus matutini, pernoctatio ſub dio, praeſertim ſub Lunae radiis; ventoſa & frigida, aquoſa paluſtris, hoſpitatio; fungorum abliguritio. Poſt haec victus ratio eſt; de qua ſicut jam legimus, Aretaeus: Addunt & Spagyrici, e quorum numero primus Theophraſtus eſt, *l. 2. Chirurg. Magn. cap. 1. ſub F.* ex majore mundo in minorem deductam *prunellae* cauſſam ſuo ipſorum ſermone vulgatam, quae eſt *arſenicum & realgar reſolutam*; de qua re lege *Chirurg. Spag. S. 1. cap. 9.* Johan. Petr. Fabri, Doct. ipſi Medici, Philochymici praeclari.

Caeterum ſunt aliae cauſſae a principibus noſtris ſcriptoribus aſſignatae, maligna inquam & epidemica deſtillatio; quam nitroſam voluiſſe Hippocratem, certa ſuadet conjectura, de cujus uſu & atrocia vide *l. 1. epidem ſect. 7.* & enarratorem Galenum. Videtur & alia cauſſa producta a Theophraſto, qui cum conſtituerit *tres* Peſtis ideas, *unam a reſoluto ſale arſenicali*, a quo eſt *Peſtis* communiter dicta; *aliam a ſale ogertino, i. e. auripigmento*, cujus vitio fit *Pleuritis peſtifera; tertiam a ſale vitriolato*, per quam eſt *Prunella*, ſic iſtam definivit, *quod ſit paſſio principalis cum paroxyſmo proprio, exiſtens in caloribus, ducens originem ex ſalibus vitriolatis.* Ad hanc autem *Prunellam* cum maxime analoga ſit noſtra *paedanchone*, haec ſimiliter ut *prunella* cauſſam agnoſcet ſal vitriolatum, extra regionem, propter ſubtilitatem de ſua teſta, alias ab Iliado reſolutam, ut *in fragmentis c. proprio p. 306.* quae fragmenta fac videas compendii, noſtri gratia, Lector

## PARTICULA IV.

### *Praeſagitoria.*

SED jam tempus, ut cautiones aliquot & judicia lectiora proponamus. Quia in re mutuabor, quae tradiderit Cappadox oraculum primum *l. 1. acutorum cap. 7.* Tumor, foras in ſublime elatus, a pulmonis inflammatione liberat: intus vero abditus, anginam patientibus pernicioſum malum eſt. Quamquam autem id de conſuetudinaria non peſtilenti angina prolatum ſit; nihilominus ad peſtilentem transferri quid vetat? Quidve etiam vetat, ut illud, quod capitis principio propoſuit, huc transferamus? Anginae, quae, compreſſis & ſubmiſſis pariſthmio adjacentibus partibus, id eſt, lingua, gurgulione, palato, ſed interius compreſſione majore, in-

inflammatione, & ſtrangulatu, fit, quam celerrime ſuccurrendum; quod hac aegrotantes celerrime rapiantur. Audi vero Coelium Aurelianum, *acut. morb. l. 3. c. 2.* ſi pejus increverit, linguae ultra dentes ad exteriora prolapſio; ariditas ſive ſiccitas faucium; articulorum gelidus torpor; pulſus celer, denſus; jacendi difficultas, & magis in ſupino ſchemate, vel in latere; frequens etiam ſedendi cupiditas, item loquutio non articulata, ſed confuſa, atque cum dolore. At ſi in exitium paſſio coeperit ferri, livor vultus, vocis amputatio, gutturis atque pectoris ſtridor, & recurſio ſive recurſus poti liquoris, pulſus defectio, quam Graeci ἀσφυξίαν vocant, & quibuſdam caninus vocis ſonitus, quibuſdam oris ſpumatio: tunc etiam neceſſario mortis effectus. Nunc autem ex Aetio judicia & cautiones audi, dicente, *c. 466. p.* 482. Sunt quibus etiam corroduntur gurguliones, atque ubi diutius perſtiterunt, ulcerationes & in profundum proſerpſerint, cicatrice jam inducta adſtrictiorem vocem edunt, reflectiturque ipſis potus in ipſas nares. Nam & ego puellam novi, quae poſt quadrageſimum tandem diem conſumpta eſt, cum ſe jam a morbo recolligeret. Verum ad ſeptimum uſque diem plurimi periclitantur. Concordat Aretaeus *l. 1. de cur. acut. morb. c. 9. p.* 80. Jam autem quae antehac propoſuerat idem Aetius, referre non gravabor: ſunt autem haec. Febrium quoque curam habere convenit; vehementes enim incidere ſolent, atque in repurgandis, explanandiſque ulceribus, maxime ſollicitum eſſe. Convulſionem enim infantes plurimi paſſi ſunt in ulcerum repurgatione: aliqui vero, via transglutiendi exſiccata, ſunt ſtrangulati. Admonuit autem & de metaſtaſi advertenda funeſta idem auctor, *c. 47. F.* quae eſt haec. Valde autem magna ſollicitudine & contentione opus eſt, etiam tum, cum malum remittere videtur. Etenim ea, quae jam ex profundo corpore circa fauces attracta ſunt, ex improviſo in pulmonem transferuntur, ſi negligantur, atque ita repente mors aegro infertur. Verum eadem ulcera cum modo memoratis, aut cum compluribus ipſorum, mala; & praeterea, ſi cum inſigni putredine, putore, nigrore, peſſima: facile paſſio haec ex occaſione parva recurrit. Aurel. *l. 111. c. 111.* Recidiva autem inflammatio ſub hoc modo malum, quod ſe prodit tum experimento. Verum tum teſtimonio Avicennae, qui *l. 4. fen. 2. tr. 1. c. 20. Pejor*, ait, *eſt recidiva ſua radice*; cujus rei rationem reddit, *c. 25.* dicens, *quod recidivæ ſua virtute debili*. Contra vero tonſillarum ulcera citra puſtulam albam, nigram putredinem, putorem, febrem, diſpnoeam, oedema, ſalutaria.

Hunc & uſque etiam ad taedium, & diſſidentiam, durare probatiſſimis medicamentis tractatam, & ſedulo proviſam, foedam & tetram eſcharam, malum; cito & quibuſque leniſſimis medicamentis, gargariſmis & contractibus diſſolvi cruſtulam optabilius eſt, & melioribus aegri rebus: praeſertim, ſi non recurrat eadem. Reſpiratum homini extenuari remitti, naribus elatis trahi, per has vero recurrere ſorbile vel potabile, ad ſtrangulatum opprimi, gargariſatu deſtitui, ingeſtum & appetitum alimenti prorſus abjici, tumorem ab altera ad alteram auriculam extendi, aeſtuare interne, frigeſcere externe, corde dolere, nulliſcumque modis concedere, medelae vitium vigorem omnem abſumi, funeſta ora atque etiam plerumque ſingula.

Praeter haec ſunt & alia, quae, ex antiquis: antecedente ſermone tradita, poſſunt huic praeſenſionum parti ſervire; quibus tuo ipſius judicio, Lector amice, uſus, dum ego neceſſaria proſequor, ſolum dextere utaris licet.

## PARS V.

*Indicationum inventoria.*

HAEC de externis interniſque cauſſis, de judiciis, deque univerſa affectus perveſtigatione ac dignotione, jam ad ſatis: quare jam ad ſolemnem atque expetitam uſu curationem aggrediamur. Quae noſtra medendi ratio, tametſi plurimum a vulgata diſſenſerit, nihilominus rationi atque experimento probatior, non dubito, apparebit. Cujus hæc ſunto fundamenta.

I. Morbus hic nos oppugnat pravitate, non plenitudinis exceſſu; ergo remediis pravitati obſiſtentibus abigendus. Alexipharmacis quippe, quae vitii vim ex adverſo frangunt.

Quoniam autem humores puerorum corporibus mali ſubſunt; hi propugnandi ſunt catarcticis; quorum, Auctore Galeno, *com.* 12. *lib.* 1. *aph.* proprium eſt, ſuccos malos a bonis ſecernere.

II. Verum, quia ſordes putreſcentium humorum denſa nimis, & alte haerens, eſt ſubſtantia; exegit haec catarcticorum vim valenter commoventem, & de partibus omnibus extrahentem, & tam, inquam, ex inferioribus, tam ex ſuperioribus.

III. Quoniam autem morbus cacoethes eſt, ne tranſcurrat malitia, nulla plane mora differendum eſt catarcticum; verum continenter exhibendum.

IV. At quia affluxus iſte ſanguinis in cerebri membranas, ex proprio & peculiari ſuo remedio tollitur, quae ſanguinis eſt detractio, haec etiam eſt adminiſtranda.

V. Verum quia affluxus hic properus eſt, fitque ad partem principem; haec confertim eſt providenda, levandaque, primordio, quae primordio ſanguinis hoc accurſu gravatur. Etenim indiget, Aurelianus ait, paſſio repentina ſanguinis detractione, ob celerrimum laxamentum.

VI. Quoniam autem mora diu tracta periculum eſt, ne continuo praegravetur eo confluxu; haud eſt e partibus longinquis avocandus ſanguis per venas pedum & manuum, ſed a parte viciniore, quae jugulum eſt; adeoque ex jugulari vena, quae cito, & abunde, & efficaciter, exhaurire ſanguinem profluentem valet, interceptione & avocatione quadam facta. Confirmatur & ea inſuper ratione phlebotome haec, tum propter antedictam adjuvandi vim, tum quia caeterae phlebotomae & viſae ſunt per vigennalia amplius ſpatia nil juvaſſe; ac praeterea nocent, quia calorem nativum & vires mollium alioquin puerorum diſſipant & evertunt. Satius ergo per unam & efficacem, quam per multas & inefficaces, imo nocentes, fieri evacuationem. Efficax, inquam, adeo eſt phlebotome jugularis, ut miraculo levaſſe tres pueros Laurentii Bozavotiae, carpentarii Neapolitani, pone forum charitatis, viſa fuerit noviſſime Mutio Capalbo, Medico probatiſſimo, Neapolitano.

Praeter autem experimenta, & rationes modo recenſitas ſunt & teſtimonio primorum rei medicae auctorum, qui, tum ad pernicioſos omnes pectoris & capitis morbos profligandos confidentiſſime deſcenderunt ad hujus venae ſectionem, tum etiam praeciſe medentes huic affectui praevocanti, tum Arabes & Arabiſtae, tum Latini, tum Graeci primi ordinis, ſecundi, tertii; uſque etiam Aegyptii noſtro aevo, noverunt hujus praeſidii praeſtantiam; deducto fortaſſe more ac diſciplina ex primo Hippocrate, quemadmodum opinatus eſt Proſper Alpinus, *in tomo primo de medic. Aegypt.* atque etiam ejus gentis eſſe fidem certiſſimam retulit mihi

Joan-

Joannes Veslingius, rei Botanicae & Anatomicae Patavii Praelector eximius, qui & ad ea loca diu peregrinatus est, & nationis linguam adeptus. Praeter hos autem favere sententiae nostrae videtur, & inopinato, Theophrastus, qui, *Chirurgiae minoris l. 3. c. 15.* quod est *de Alcola*, monuit haec: *Venarum ductus atque meatus deflectendi sunt per transversum secundum regionem, & postmodum hoc unguento fuerit inungendum, alias frustra curabitur.*

℞. *Realgaris praeparati*,
*Succi Chelidonii*, ℥ *q. s.*
*M. f.* Unguentum.

VII. Ad haec autem, quoniam excutienda, & effundenda, modis omnibus, est malignitas, humoribus, ichoribusve, putridis & corruptis, tum per pestilentia seminaria, tum per pravam vivendi rationem, inducta; & quoniam via nulla potior quam per halitum & per sudores: eapropter sudorifica, & per habitum corporis divaporantia, sunt administranda continuo, donec vis morbi finiatur. Quanto autem haec gratiora, praviora mole, tenuiora, vividiora, eo meliora. Talem, putes necesse est, *Aquam terrae Sanctae*, per Martinum Rulandum feliciter administratam, *in Cent. 4. Curat. 41.* item decoctum Cardui benedicti, *ad lib. dimid.*

VIII. Caeterum & ulcus privatis suis medicamentis tractandum & percurandum est. Et quia cacoethe est, cavendum est omni studio, ne proserpat, neve, ut auctores duo nos monuere, destillet in subjectas partes: quandoquidem inde gravissimum suffocandi periculum. Quoniam igitur tumores omnes malefici, scribentium omnium praecepto, scarificatu maxime castigantur; equidem scarificandae sunt & Tonsillae, cum Zaccuto *in prax. med.* & cum mercato in tonsillis, cum Carnevali, neotericorum doctissimo, dicerem & urendas, si vel puerilis importunitas, vel necessariorum protervia, concedat. Nam nil putredini repugnantius igne: quod autem Aretaeus refragatus videatur, declarat se inficiatum propter isthmum. *p.* 50.

## PARTICULA VI.

### *Curatoria.*

SIG eodem, quem ante produximus, ordine cuncta perficiemus. Primo quidem, quacumque se hora morbus prodiderit, aut sui suspicionem fecerit, non observabimus contra catarcticum. Suspicionem autem si principio fuerimus accersiti, per ea, quae consequuntur indicia, comprehendemus. Sequitur autem eos, qui passione tentantur, querela sine ulla ratione, atque difficilis motus collo & gutturis subdolens faucium sensus, cum asperitate sensibilis; item difficultas transvorandi liquoris soliti, salivarum more collecti; tum spirationis velut impedimentum, tumque obstantis crassioris humoris. Verba sunt Aureliani, prima cynanches initia demonstrantis, quae communia videri possunt, & prodeuntis jam jam anginae pestilentis. Haec igitur, ubi cognoveris, aut similia, continuo pares velim *Aquam benedictam Martini Rullandi*, Medici, me hercules, experientissimi, commemoratam ab eo *Centur. 2. Cur. 62.* cujus Aquae apparandae ratio, quamvis ab auctore isto diligenter omnes celata, nulli unquam revelata, & sibi soli servata, nihilominus DEO Opt. Max. qui bona omnia vult diffundi, rescita demum est certissimis conjecturis, & nobis etiam agnita, quae sit. *Stibium venale, pellucidum, contritum, cum pari nitri purgati modo conflagra-*

*gratum* , ( hepar antimonii vocant ) *in aquam puram* , *quantum digito lato ſuperet pulverem* , *conjectum & agitatum ſinitur* , *uſque dum inclareſcat aqua* . *Haec vaſe reclinato leniter abſtracta* , *aut per ſpongiolam abſorpta* , *& in alios uſus ſervata : pulvis reſiduus exſiccatus denuo in aquam cardui benedicti conjicitur* , *& toto die ſinitur* , *& inde clara accepta aqua* , *unciae triente vel quadrante datur* , *ſtomacho* , *cibis degravato* . Brevi corpus ἀνώθεν καὶ κατώθεν expurgabit moderate , nec cum aliqua naturae noxa . Aſſimilis eſt *calix Hermetice paratus* ex vino diluto infuſo , quem quanto cumfructu quotidie praebeam , Neapoli fama eſt jam vulgata : approbatum etiam a Rulando , *Cent.* 27. *Curat.* 628. Interim paratis ad rem gargariſmis refrigerantibus, & adſtringentibus, ſaepe fauces, quae revomitiones ſenſerint abluendae . Gargariſmata autem fuerint haec principio , quae

℞. *Aquae Plantaginis & aquae Nucum viridium extillatarum* , *ana lib.* ß.
*Acet. roſ. unc.* ß
*M.*

*Hoc ſaepenumero* , *diu* , *noctuque* , *gargariſatum capiet aegrotus* .

Poſtridie per clyſmum alvo exonerata ſanguis de vena jugulari ſubtrahitor ad ℔. unius quadrantem aut trientem , uſque ad ſemiſſim : aut eo demum modo , quem poſſit homo ferre . Dejectum nempe virium & vigoris nativi nolimus. Porro quod nos monuit Aetius hoc eodem ſermone *c.* 47. licet in anginae non peſtilentis cura praeſcriptum non pigebit adſcribere . Curandum etiam , ut modica fiat diductio venae . Nam quum in aliis , tum in magnis venae deductionibus acervatim animi defectus irruit : neque tamen anguſtiorem facere venae inciſionem convenit , ne ſanguis velut percoletur , & craſſior ejus pars intus remaneat ; quae cauſſa hujus affectionis exiſtit.

Si in tonſillis acri veſtigatu perſpectis , quid diſpliceat , aut putre , aut ſordidum , aut prave coloratum patet , tumidum impenſe aut habitu quocunque malo circumſeptum : utraſque lentus non fueris acuto ſcalpro perpungere , nimirum ut quidquid in ſe contineant virulenti , revomant ac deponant ; quae poſtea quam cruorem viroſum , ſatiſque , reddiderunt , *phlegmate vitrioli* , *vel aqua nucum ſtillatitia* , ſunt eluendae . Tertium hoc opus dextre aggreſſus eſto . Cum quo commemorari licet , & ſimile ſcarificatus auxilium , quem ſecundo & tertio debemus non ſolum gutturi vel tonſillarum vicinitati , quem Graeci *Anthereona* vocant , & nervis majoribus cervicis , quos τένοντας appellant , ſed etiam occipitio , & palis, & interſcapuleo , quod Graeci μεταφρενον appellant , & pectori , verba ſunt praecinentis Aureliani , *in c.* 3. *p.* 168. Per nervos autem ſitum intellige , non partem perpungendam .

Opus aliquanto ſubtilius fuerit unum quodpiam, quod complectatur ſudorificum ſimul & alexipharmacum , ac plurima quoque parte ſuperfluitates per halitum divaporans . Triplici huic operi unice accomodatum *Bezoarticum metallicum* , quod parare docuit Joſephus Quercetanus , *in Pharmacopoea dogmaticorum reſtituta* , *a* xv. *ad* xxi. granula , cum aqua Cardui benedicti in calido, vel conclavi , vel aeſtuario , decumbenti praehendum ; quod Bezoarticum mane ac veſperi offerendum, ad ſudorem quidem evocandum ſemel , ſi bis inaniendum corpus verearis . Caeterum alio tempore ad tutandum a vi venenata hominem & roborandum . Frequentius autem utaris licet , atque etiamnum tantiſper dum fracta vis vitii videatur . Mira quippe noſtra & Joſephi Donzelli , Jatropharmacopoei noſtra in civitate ſolertiſſimi, ſunt experimenta, quod vel conclamatos jam aegrotos ſublevet & confirmet

hoc-

hocce genus Bezoartici: quod ipſum & infantibus & lactantibus ex lacte ipſo vel juſculo exhibet commode granorum v. vel vj. quemadmodum & animalis Bezoartici, pondo : commodum, inquam, infantibus, tum quatenus aphthae, tum quatenus inimicae lui contranitatur. Verum cum ulceris cauſſa adminiſtratur, aptius tu *rhodomelite*, vel *infuſ. roſ.* excipitor, *terram ſanctam* in aqua potabili ad *unc.* v. miſcuit Martinus Rulandus, *cent.* 4. *curat.* 41. quod tamen medicamenti genus a ſe non expoſitum, ſed ſub velo repoſitum incompertum eſt nobis, niſi divinantes velimus eſſe apparatum quempiam, & uti dicam *eviratum Stibii*, qui fit igne in ipſum, & commixtum nitrum, ſaepius immiſſo, quod *Antimonium Diaphoreticum* Hermaticae ſcholae viri vocarunt. Uſus eſt autem alias aqua cardui benedicti, cujus & *ſal Rhodoſtagmate*, vel conſerva quacumque alia, commixtum efficacius eſt. Verum de ſudorificis nos fuſe *in diatetico Chirurgico* noſtro differuimus.

Reſtat miniſterium curandorum ulcerum malignorum, quo minus partim conſtat uſu medicamentorum benefacientium, plurimum officientium nihil, ac tum omnino adverſantium vi morbi cum conſulentium naturae partis; conſtatque ſimul uſu manus etiamnum beneficae. De quibus quidem manus officiis ex cautelis dictum jam fuit, de medicamentis vero inter praeſidia.

Sunt *Cucurbitulae* a nullo non auctore probatae. Verum enim vero locorum ſitus, & morbi tempus cum primis & attente ſunt diſcernenda : ineunte quippe aut progrediente uſus eſt alius, quam in progreſſu & confirmato affectu. Sub progreſſo enim facile judicarim eſſe de ſupernis ad inferna trahendum, ac tractorias cucurbitas imponendas : irruente vero ad ſupera ſanguinis copia, de inferioribus ad ſuperiora diſponendas eaſdem arbitror cum Aetio; qui, ex Aretaeo, praecipue cucurbita primum infra umbilicum adhibeatur, mox ad latera, dorſumque, & ſcapulas; in admotione vero ex ſupernis locis deorſum trahatur : ſentioque cum his, qui apud Aurelianum primo quidem inguinibus, tum praecordiis, tum ſupra mammas cum ſcarificatione, de hinc gutturi atque collo ejuſque partibus voluerunt infigendas. Jam vero cum mammas dico, & alas adjicio, per quas cum reptitet axillaris vena, de hujus ipſius deductu conſcendentem ſanguinem plurimum utile fuerit retrahere. Illud porro crediderim indicaſſe Hippocratem ipſum, cum *in l.* 11. *de morb. cucurbitas mammis agglutinandas ſanciebat* : eſtque hunc fortaſſe ſecutus Aretaeus, qui egregium dicit Medicum, qui *cucurbita* affixa malum in pueris detrahit, aut *ſinapim* oſſibus pectoris accommodat.

*Cucurbitulas* ſequitur adjumentum a Coelio Aureliano propoſitum, qui ait : ſi paſſio perſeverarit, atque aeger ad perferendam curationem fuerit mollis, ut ferri cuſpide metu ſe contingi prohibeat, ſanguiſugas, quas Graeci *bdellas* appellant, apponemus, ut perfecta, ſanguiſugarum vulneratione rapta, cucurbitae detractio compleatur.

Quoniam autem *ſinapi* mentio modo facta eſt, memini nunc ejus diverſivi, ſeu derivativi, praeſidii cujuſpiam ab Aretaeo propoſiti, quod eſt ; ſi partibus juxta maxillas, quam cavitatulam auriculae interpretor, lacunas aurium dixit Aurelianus imponens *ſinapi* Medicus ulceret diffiationem moliatur. Quem uſum, ac fortaſſis etiam Aretaei placitum, acute videntes Hiſpani Medici, Madritenſes apud Andream Tamarium *in libro de Garotillo*, *c.* 3. ſecus utramque auriculam imponere conſueverunt baſilici cerati tantillum cum cantharidibus tritis commixtum.

Praeſtantiſſimum etiam, licet acerbum, invaleſcente inflammatione praeſidium eſt *vinculum*, Aretaeo autore, injiciendum, ſupra talos & genua. Optima quoque ſunt *vincula* ſupra brachialia verſus cubitos, & ſupra cubitos, verſus humeros adſtricta : quarum vim cum expenderimus, certe peregregiam & efficacem

aeſti-

aeſtimaverimus adjuncti doloris in ſpiritus ad ſe ſanguinem, & humores omnes, & ichores, attrahentem : quare hac retracta undique materia, atque huc converſis liquoribus corporis, eximitur multo ſanguine locus, phlegmone correptus, atque adeo flacceſcit & conſidet plurima parte, quod opus *vinculi* adſtrictu fuerat quaeſitum.

Hujuſmodi quoquo pacto & *dolorificae fricationes* fuerunt, & hae, quarum meminit Symphorianus Campegius *l.* 3. *praxeos medicae c.* 1. ſic ajens : *Eſt ingenium vulgare cum fricatione compreſſiva facta, in parte ſylveſtri brachiorum prope junctu-ram manus, ubi inveniuntur quidam parvi admodum nervi, qui tamdiu fricantur, quouſque videantur deleta : quod fieri non poteſt abſque dolore, & ſic cum dolore divertunt*. Approbavit & hanc revellendi rationem Guil. Rondelet. *in lib. meth. curat. l.* 2. *c.* 2.

Hujus ferme generis ſunt *ſetacea* ſub inion defixa, quae Medici quipiam Hiſpani, Madritenſes, teſtante Andrea Tamario, ad patriam hanc luem elevandam uſu probarunt. Id vero haud probarim equidem, niſi poſt exacto tempore fluxionum & inflammationum : ſed neque etiam hoc tempore, quo minus neceſſarium videtur. Satius autem exiſtimaverim, id remedii genus affigi ſub axillis, non igne tamen, ſed ſcalpro ancipiti adunco, tranſoſſis acutis per digitos ſublatae particulis.

Idem Symphorianus, eodem ipſo loco propoſuit & aliam divertendi rationem, quae fit per *aquam talidam*, in qua detenta extrema corporis membra, continenti manu, confricantur.

Inter haec ſilenda nobis aut medentibus omittenda non ſunt *clyſmata* ſive *enemata* dicta, de quibus velim accipias, quae ſcite prodidit Aurelianus diſertis hiſce ſuis verbis: *At ſi venter officium non agnoverit, etiam clyſtere utemur, injicientes aquam calidam cum oleo nunc ſolum, nunc admixto melle : etenim, ſurgens ex iſto liquore vaporatio colla laxat tumentia, & egeſtus venter facilia facit ſpiramenta, non ſolum ſynanchicis, ſed etiam hominibus ſanis*. Manens enim alienitas, hoc eſt, excrementorum aliena & ſuperflua faex gravat ; atque expreſſione quadam acerrimas facit corporis exhalationes, quibus tumentia provocentur, caput impletur.

Auxilium ſunt medicamenta in functione medica duplicia, id eſt, partim ſolida, partim fluida, ex quibus conflantur & miſta. Sub *fluidis* autem comprehendas licet & *vaporabilia cujuſque generis ;* capias omnia ; fugienda ſunt, inquit Caelius, quae uſque ad ſenſum veniunt mordicationis. Siquidem, tumoribus provocatis, fluor quoque humorum craſſeſcit. E *ſolidis* ſunt *pulveres, qui per fiſtulam* calamaceam, arundineam, ſambuceam, metallicam, *immiſſiles* ſpiritu inſufflato ; de quibus Aetius *ſerm. citato, c.* 46. Hujus generis ſunt, *tritus fimus canis oſſibus paſti*, item *lupi* ; *cinis pullorum hirundinum terreſtrium, cochlearum nudarum*, Galeno *Chelcitis* ; *ſal Armoniacus* Alexandro Benedicto ; *ſal prunellae* Theophraſto, Rulando, Mullero ; *ſal fuliginis, eupatorii, plantaginis, hyperici, perſicariae, aſari, ſyderitis*, Fido Juſto Reineccero, atque ex aliis arte paratis ; aut *ex herbis, herbarumque partibus* ; ut *glandis, rhois, antherarum, olivae frondium contritis*, de quibus maxime Jatronices *tom.* 1. ſuo loco. E fluidis, *ſpiritus calcanthi, ſulphuris, nitri, ſalis* vel per ſe cum pura, exiguntur, vel ſuccis, ſerapiis, decoctis aquis, commiſti. Quamvis autem *ol. Oli Myſochymici*, exhorrent quidam, in hoc uno continenter adquieturos certus ſum. Quamquam & A. Caeſalpinus *in arte medica*, & L. Quertaeus in hoc etiam approbarunt : dat & cum aqua foliorum quercus Evonymus *part.* 2. *th.* 378. Ruland. *cent.* 4.

*cur.*

*cur.* 34. *Oleo ligni Heraclii*, ad colluendas crebro fauces, & partem omnem affectam usus est salutarie Ruland., *Cent.* III. *cur.* 90. & *Cent.* VII. *curat.* 92. & *Cent.* VIII. *curat.* 9. Succedunt *aquae*, e quibus prima est *aqua extractionis auri*, *aqua juglandum*, commendata per Alexium Pedemontanum; atque etiam in potum per Evonymum Philiatrum *parte priore thesauri p.* 6. Hic autem & *l.* 2. qua de oleo laudavit & hoc, quod

℞. *Aquae ardentis unc.* j.
*Aq. Scabios. l.* i.

*Ex hoc madida lintea externis applicentur*, *saepius iterando*, spatio trium horarum praestat juvamentum. *Aquam cardui benedicti* persaepe usitatam Martino Rulando leges, *cancrorum cinere* infectam aquam, mox percolatam & calefactam; gargarisatu commodam sic perhibet Aetius, ut per hanc crassa educi multa, ac relevari confestim aegrum testificetur. Ex omnibus mihi usu consuetum, & frugiferum, expertum est *balsamum Arsenici; cum sale nitro & tartaro deflagrati, & multoties aqua copiosa abluti;* quemadmodum a Philippo Mullero provide apparatum leges: quam materiem approbasse visus est Theophrastus *l. de apostem. c.* 15. quod idem cum *conf. scorzonerae scrup. β.* voratam salutarem comperi saepe.

Haec jam plurima medicamentorum & genera, & species, & modos, cum protulerim; illud mihi video reliquum, ut admoneam demum Auditorem meum, haec aut ejusmodi alia diligenda, adhibenda, miscenda, temperanda, gargarismata, collyria, delinctus, intinctus, pulviculos, vaporatus, suffitus, & alias quascumque medicaminum formas languentium viribus, aetate, sensu, pro morbi vi & pertinacia, ulcerum puritate aut impuritate, colore vivido, emortuo; sic & pro putredinis modo, pro crustulae adhaesu, refixu, facili recidiva, pro modis aliis, quae quidem singula nobis difficile describi, ab assessore Medico discerni facile queunt. Alterum adnotabo, quod Cataplasmata non adscripsi propterea, quod in *hoc anginae genere* praesertim primum sunt nervosa; deinde humida corpora possunt putridum hoc vitium fovere, monente vel ipso Hipp. *l. de Medico*. Tertio, multa in his recte administrandis requiritur sedulitas, & providentia, ne tum longiore hac vitiosi corporis contage, tum corruptibili suo ipsorum vitio abalienata, rancorem aut acorem concipiant; quod non paucae offen sae, ac detrimento foret ulceribus, ut monuit Caelius *l.* 3. *de acutis c.* 3. *p.* 164.

Postremum ordine, sed usu primum, remedium est *victus* ratio: quam fieri potest maxime tenuis, & praeparca. Sic igitur Alexander Trallianus *in lib.* 4. *calce*, *victu utantur aegri omnium mulsa aquosa*, *quae universa praestare potest; nempe extenuare & purgare*, *partim etiam per urinas*, *partim per ventrem*. A tertio die etiam *cremor ptisanae* offerendus, qui & ipse omnem facultatem obtinet: quippe abstergit, incidit, nutrit, & inflammationum fervorem refrigerare potest. At inflammatione jam extenuata, & moderatione facta, necesse est *lutea ovorum mollissima*, non autem multa exhibere. Nam, copioso alimento, statim angusta premuntur, & rursus strangulata periclitantur: quare inflammatio ut magnum malum in his vitari debet: non enim tantum ex parcissimo cibo quantum a copiosiore periclitantur. Sed & inedia perpetua visi sunt nulli non sanati. Nimirum Alex. Bened. *l.* 7. *de cur. morb. c.* 19. narravit de synanchio, qui citra sanguinis missionem inedia plurium dierum sanatus est, quia sanguis alimentum corpori subministravit. Ego vero Severinus novi puellam undecim annorum natam, quae cum nullis vel cibis, vel potibus, per paristhmiorum obturatum uti posset, & octiduo majorem ἀσιτίαν (inediam) passa, non aliis medicamentis restituta est: quae de-

cimo ſexto aetatis ſuae anno nupta, geminos mares peperit viventes, nunc utroſque filios, cui Gratiae Feulae nomen.

His de curatione ſic dictis mihi nemo vitio det velim, quod ad *anginam hanc peſtilentem* pleraque quae Veteres ad non peſtilentem curandam praeceperint, detorta traduxerim. Nimirum facile deponent accuſationem; ſiquidem audierint Arataeum *in lib. 1. de curatione acutorum c. 7.* de peſtilentium in faucibus morborum curatione dicentem haec: *Horum vitiorum curatio cum aliis tonſillarum affectibus, qua communis, qua propria. In inflammatione & ſtrangulatu, & purgatio per clyſteres, venae ſectio, irrigationes, cataplaſmata, fotus, deligationes, cucurbitae, omnia demum eadem atque in his conveniunt.*

## PARTICULA VII.

### *Satisfactoria.*

NUnc, quae dilatae fuerant in locum commodiorem ambiguitates, ab aliis omnibus expediti expediamus. Difficile ſit pleriſque, quod caput & cerebrum propriam morbi ſedem fecerimus, quae cenſenda potius fuerat internus thorax; qui febrili malignitati, aeriae peſtilentiae, & ſymptomatum affinitate ac pluralitate, videtur capite morbi hoſpes accomodatior. Atqui caput ab his omnibus, quae retuli, longe alienum apparet, nec ſymptomata ſua exhibet, niſi raro. Verum enimvero, ſi recte rem aeſtimaveris, ac profunde perſpexeris, non aliam ſane, quam cerebrum dixeris morbi domicilium. Nam quod pleroſque ſuos affectus oſtendit thorax maturius, id fit loci intolerantia, ſubſtantiae tenuitate, & functionum acrimonia: qualia non ſunt quidem cerebro, quod citra nervos & ventriculos eſt hebes, & obſtupidum, utpote, quod frigidum & humidum, craſſae ſubſtantiae & viſcidae, concrementum ſomni ſedes, cordi ἀντίπορον, & pituitae plurimae conceptaculum; quare defluxibus frequentibus & catarrhis obnoxium. Quae ſua craſi ac ſyſtaſi fit, ut hoſpitetur aequius mala, diutiuſque ferat habitu, praeſertim exteriore. Quin & interiore concameratu duodeviginti aquae concretae libras Colonienſes, quae viginti quatuor forent ex noſtris, ſuſtinuiſſe puerum hydrocephalo languentem teſtatus fuerit, qui mortuum inſecuit Guil. Fabric. Hildanus, *Cent. 1. obſerv. Chirurg. c. 12.* Quid? quod & exciſis cerebri ſegmentis vixiſſe homines, tum ipſe Hildanus, tum Jacobus a Carpo, atque alii probata fide auctores, perhibuere. Qua conſtanti ſua hebetudine, ut ad rem redeam, ſuſceptum aerem pravum, qui per nares perque palatum delatus fuerit, admittens facile non remittit, neque vincit aut diſſipat, ſed acervat in ſeſe volens libenſque; cum vero per cauſſas exteriores humoribus & ſuperfluitatibus gravatur, non obſiſtit, ſed circa ſe retinet non gravate, etſi gravatum. Ita fit demum, ut in horas labefactatum labem mali concipiat, & ut dixerat Hippocrates, corrumpatur: hoc eſt, everſa temperatura in alienum modum tranſmutetur, qui ſphacelos alias appellatur. Atque illud quidem ſub longiore morbo accidit. Caeterum, in breviore brevius etiam venenis vis vigoris ſui numeros abſolvit, nihil refragante cerebri obtuſitate, vel fungea ſubſtantia: triveneficae quippe peſtilentiae.

### *Quod non mortale reſiſtit.*

Quamquam autem multae & magnae demonſtrationes proferantur, de obſeptis,

de

de vitiatis, de corruptis, ſpiritui deſtinatis viſceribus; haec quidem omnia poſſe fieri, ac interdum facta non inficior: poſſunt enim haec ſub atroci peſtilentia, ſub immani veneno pura, intaminata, integra ſe tueri? Peſſum quidem in peſtilentibus eunt omnia: verum quod origo & ſcaturigo malorum per cerebri ſit vitium, longe plura nos evincunt perſuaſionis momenta, quam quae producuntur ab adverſae opinionis amicis. Profecto tam inſolens, tam enormis, tam abdita forma haec eſt affectionis, ut non inepte etiam plerique profiteantur, febrem malignam, quae ſepta ſuo viru ſic in hominis perniciem, ut fuſe deſcriptum eſt, faceſſat.

Alii malignam veneni facultatem, quae per abolita ſeminaria in ſpiritus noſtros, & corpore, aere attracta eſt, & varie diducta, ſuo modo; vel prout partes primo, aut ſecundo, receperint & viam conceſſerint; ſic has ordine, vel potius ſine ordine, apprehendere, laedereque; & quia partes debiles, laxae, molles, frigidae, immobiles, adenoſae, minime reſiſtunt, & facile cedent: hae propterea primæ corripiuntur, mox aliae atque aliae juxta modum, quo plus aut minus pertrahi ſe ſinunt, aut obluctantur. Tamen plurimae conteruntur & corrumpuntur, donec ventum fuerit ad praecordia, quae maxime omnium vigent, & ad ipſam regiam cordis, qua contacta demum & male affecta peritat animal.

Sunt hae quidem & ſimiles omnes ſententiae non improbabiles, nec impune rejiciendae, praeſertim in re tam occulta, quam eſt peſtilentia. Ita proviſori Deo placeat, quandoque, aut malum avertere, aut mentes noſtras medentium illuminare; quatenus & intimam morbi formam agnoſcere, & ſuam huic medelam, quadrate, adaptare potes ſimus. Cui ſic titubantis hominis, ut confirmetur, nec vinci ſe ſinat argumento, ita reſponderim, Sphacelum huic morbo terminum & conſummationem eſſe. Ubi, ſcilicet, natura, vel ars, ſui utriuſque ope, & auxiliis, hanc contranitenti morbo non antevertat, atque praecludat, ſcilicet in contrarium ambae paratae ſunt. Verum quum uterque conatus naturae, inquam, & artis evicerint illa criſibus, ſudoribus, eruptionibus, haemorrhagiis; haec vomitibus, dejectionibus inanitionibus & abſtractionibus; ſic retrolabens labes hominis vitae concedit ipſa. Porro, ſic comparata ſunt pleraque venenatae naturae morbi, & ſiphyliis, noſtro aevo adhuc permanens, ut niſi effluvium quaqua nanciſcantur, ad abſolutionem provecta utraque mortales perdant.

Qui ſphacelos cum morbo eſſentialis a nobis cum ſtatuatur, & illud propterea fiet multis difficile, quomodo ſub corruptorio affectu cuncti prorſus non moriantur, ſed hi quidem jugulentur, hi velut praeripiantur orco.

Alia difficultas eſt, quod torpeſcentem & deſidem adeo cerebri naturam fecerimus, quae, calvaria per ictum percuſſa, ſi ſanguis ſuper aut infra membranas ſuffundatur, cruoribus vel tantillum innatante ſic aegre fert, ut obruatur continuo doloribus, vigiliis, phrenitide, febre, vomitibus, convulſionibus, eryſipelatis ſic, ut plerumque non levata ope magiſtra fatum oppetat ſuum aeger! Verum huic difficultati volo ſit occurſum, eadem demonſtratione noſtra, quam ad hiſtoriam *de angue bifido flagelloſo*, diuturno cordis hoſpite, ſubjecimus; docente, quod vulnera vel exigua, partibus noſtri corporis praecipuis illata, e veſtigio tollant hominem: earumdem vero partium abſceſſus atque ulcera diutius aegrotantes trahant. Vide & in hanc rem Fortunati Fidelis *praecellentem diſſertationem contemplationis medicae, capite poſtremo, deſcriptam*.

Jam autem, quia mentio incidit ſanguinis, quaeſiverit oportune quiſpiam, unde, & qui, fiat iſta eadem ſanguinis effuſio? Quibus utriſque quaeſitis occurro, quod ad locum, unde fluat, dicens, illum eſſe mea ſententia ſurculos rami ju-

gularis internae protenſos & protractos ſic, ut in venulas abeant membranae tenuioris : effundendi autem ſanguinis rationem & modum eſſe hunc; quod offarcta nimia plenitudine vaſa jugularia ( qui mos eſt & uſus expultricis facultatis, & nictus humorum alte aggeſtorum ) refunduntur haec in ſurculos minores. Si autem in minimos, qui cum capere tandem immoderationem humorisnon poſſent, diſtracta atque diducta revomunt circa ſe fluorem ſuperfluum, & inde eductus hic ſtagnat, frigefactus & grumefactus ſubinde.

Ad haec haeſitabunt etiam inexperti & pavidi quidam conſuetorum tantum rituum amici, non aſſentientes medicamentis per ſuperiora purgantibus, ſed negantes per affectam, quod magis exaſperari poſſit, humores malos pertrahendo. Verum tamen non ego reſponderim his, quod Aurelius Celſus *l.* 4. 11. ad linguae resolutionem curandam crebris utitur vomitoriis : ſed in hac ipſa cauſſa dico non noſtram hanc ſolum ſententiam, neque noſtra emetica noxam illatura faucibus ; quin etiam his ſupra quam lectiſſima κάτω catarctica bene factura. Quod ſpectat ad ſuffragantes & auſpices : Aetius eſt unus qui *dicto lib. c.* 57. diſertis verbis profeſſus eſt haec; *maximum autem remedium, inquit Archigenes, purgatio frequentior exiſtat per pharmaca fortiora, & vomitus, a radicibus, per intervalla ſuſcepti.* Et inferius : *mirum in modum autem efficax eſt, quod ex elaterio conſtat, & octaobolon appellatur. Elaterii aereolos* 11. *ſpumae nitri obolos tres ; ſynapis drach.* j. haec *in aqua diluta in octo catapotia informo, manoque duo, tantumdemque veſperi, exhibeo. Purgat enim citra moleſtiam ſuperne, aliquamdiu quidem permanens & ſolvens. His vero, qui robuſtiores ſunt, poſt trium dierum ſpatium rurſus exhibeo.* Sunt autem haec orthopnoeis, anheloſis & aegre ſpirantibus propoſita ; quod ſi velis ad anginam dictata vomitoria ; idem ipſe *cap.* 47. *Archigenis remedium, quo utor*, inquit, *ad occultas anginas, mirabiliter etiam conducit anheloſis. Elaterii oboli dimidium, ſpumae nitri obolos tres, ſinap. drach.* j. *contere cum aqua & informa. Movet autem vomitum elaterium cum oleo aut melle tritum, & penitiſſime illitum.*

Ita quidem ille, qui & poſt multas ibidem propoſitas formas vomitoriorum prodidit & illud Martiani, quod & ad opertas & manifeſtas anginas prodeſt. *Praeexige*, inquit, *mercedem.*

℞. *Aeris uſti drach.* XII.
*Atramenti ſutorii drach.* XIII.
*Myrrhae drachm.* j.
*Elaterii drach.* j.
*Spumae Nitri drach.* j.
*Fellis Taurini drach.* iiij.

Excipe *Melle & cum pinnula quam penitiſſime illine*. Ita quidem *in capite iſto*. Verum *in antecedente* 17. multo luculentius ſcriptum reliquit : *utilia etiam his ſunt ea, quae vomitoriam vim obtinent, maxime illis, quibus gravitatis ſenſus circa ventrem haeret :* quae confirmat, & aliis quibuſdam experimentis, quae ſubdidit ibidem Auctor. Haec Aetius & antiqui alii. Quibus iſti non acquieſcentes fortaſſe producent, quod nihilominus oblaedentur hae partes tranſitu bilioſorum, & corruptorum, humorum. Verum o imprudentes, ergo praeſtiterit, inquam, aſſervari bilioſos & corruptos humores in ſtomacho & hiſce locis, qnam e proxima vicinia, unde fit Anathymiaſis, educi ſemel. Anne audiſtis Aretaei Cappadocis oraculum, qui vos monuit, e gula, & partibus aliis, refundi malum in pariſthmia ? Si quis vero diſplicens ſenſus ex rejectis adhaeſerit faucibus has utique licebit protinus gargariſmate ſublui ; quemadmodum & offenſa dejectionibus infima inteſti-

ſtina clyſmis idoneis abſterguntur ; aut laceſſitus catapotiis acribus ventriculus , juſculo aut apozemate ſuaviore reſtauratur . Sic nihil fit noxae reſiduum , & multum Vomitorii emolumentum . Acceſſit & in Veterum ſententiam Symphorianus Campegius , *l. 3. med. praxeos c.* 1. Item Amatus Luſitanus , *Cent. 7. cur.* 90. atque etiam Martinus Rulland. *cent.* 11. *cur.* 62.

Hactenus jam excuſſimus offendicula Vomitoriorum . Altera nunc controverſia naſcitur de phlebotome jugulari , quam nedum non profuturam , verum etiam obfuturam , adſtruunt nonnulli , quod ad ſupremas partes facta phlebotome advocatura ſit ſanguinem potius , quam avocatura ; propterea , quod rapi eo ſanguinem credant , unde ſciſſura facta promanet idem . Verum libere fatear pigere me laboris in re patente, tum ſecundum experimenta , tum ſecundum placita Clariſſimorum Autorum , qui & nihil improbarunt hocce praeſidii genus , & ſingulariter etiam approbarunt : non improbarunt , neque inhibuerunt , exordio faciendum ; quia , quod velint homines iſti , primo revulſoriam in pedibus & brachiis inſtituendam , mox de proximis vaſibus evacuandam , illud neque Avicenna ſervavit , qui *lib. 3. f. 9. tr. 1. c.* 11. ait , & non poſponatur phlebotomia venae , quae eſt ſublingua , imo oportet , ut aperiatur illa eadem die . Sic Am. Luſitanus , *Cent. 7. obſerv. 90.* nulla interpoſita mora , aut vacuatione , alia poſthabita ſub lingua venam ſecuit , & hominem ſervavit . Sic Rondeletius . Secandae tamen ſunt venae ſub lingua eadem die, ad materiae derivationem , quae facile fluit & locum replet ; unde diſpnoea , & ſaepiſſime ſuffocatio : haec ille , *l. 3. meth. med. morb. intern. c. 5. p.* 325. Sic Camerarius , apud Joh. Schenckium , *in obſerv. l. 2.* „ Patavii , meis temporibus , „ quidam Scholaſticus Graecus , oriundus ex praecipua familia , ſanguineus , unica „ nocte in Anginam acutiſſimam incidit , una cum tumore linguae maximo , ut „ ſtatim loquendi facultas adimeretur illi . Cumque tam celeriter Medicorum , & „ Chirurgorum , opera uti non poſſet , ipſe praeſente animo , linguam acuto cul„ tello decuſſatim incidit , ac ſatis multum ſanguinis effluere permiſit , quo facto, „ rurſum loqui coepit . Medicus poſtea accerſitus pauca univerſalia , & totum cor„ pus reſpicientia , adhibuit , praeſcripta recta victus ratione ; linguae vero vul„ neratae pulveres ex *Ture* , *Bolo* , & ſimilibus ſiccantibus , inſpergi juſſit , & „ ita intra paucos dies convaluit . Sic interdum fortuita remedia aliis ſunt efficaciora . Et praeterea , ſi recte interpretemur , id Priſci ſanciverunt in morbis non excellenter peracutis , & in adultis . At vero in pueris , quibus monito Galeni , *in l. 11. meth. c.* 14. & *lib. de therap. per ſang. miſſion. c.* 17. *&* 4. *acut.* 25 fas non eſt exhaurire ſanguinem , ſi neceſſitatis & urgentiae vi phlebotomo tangamus eoſdem ſemel , & vix in morbo venenoſo , verum efficaciter tangamus oportet : praeſertim , quin miras tot & ſingulares de hac phlebotomia praerogativas praedicarunt , Soranus primum Epheſius , *Iſag. med. c.* 21. Alexander Trallianus, *l. 4. c.* 1. Razes , Meſueus , Avicenna , Hali Abbas , Albucaſis , Auctor *lib. de anat. vin.* Proſper Alpinus , *l. 2. de medicina Aegyptiorum , c. 9.* Andreas Caeſalp. *l. 6. art. med. c.* 3. Joh. Heurn. *libr. de morb. cap.* 23. Riolanus *in medendi methodo part. c. proprio* , ac Doctor Zacutus , noviſſime , *in Principum Medicorum Hiſtoria* , 76. quem legas , velim , multo plures , quam nos , auctores huic praeſidio ſuffragatores recenſentem . E quibus omnibus audi Actuarium , *l. 3. meth. medicinalis , c.* 1. perhibentem , etiam in cauſſa noſtra proficuam hanc evacuationem , his ſuis verbis . *Sunt qui venas colli incidant , veriſimileque eſt , eas juvare , cum ſanguis copioſior ad caput confluit , atque idcirco inflammationem in cerebro excitat* . Comprehendis jam , quam egregie per hujus Viri ſententiam , congruat jugularis pertuſio noſtro malo . Vin plura ? ſed viſe , quae appoſi-

te

te ad hanc rem ingenio pari, ac judicio, refertiſſimus Andreas Caeſalpinus *l. 2. quaeſt. med. c.* 12. prodidit, demonſtrans, ſuffocationem *in angina* fieri magis oppletis venis jugularibus, quam clauſo laryngis oſculo. Id quod ſcilicet, in hoc Anginae genere praeſertim exitiali ac ter acuto fieret facile, niſi, quod ad ſuperiora tranſcurrit. Poſt quos omnes Auctores mira nos beneficia ex hac inanitione deprehendimus, admirati Medici, qui noverunt; aegroti ſenſierunt in ſe ipſis; tum quod adſpecta jugulari degravatum plenitudine cerebrum, tum quod fervidi caloris ventilatus exceſſus. Sic. quod nedum non abfutura, ſed profutura maxime ſit haec phlebotome, jam vides. Caeterum, quia non uſitatae alioquin Chirurgiae adminiſtrandae ratio eſt ignota; de hac ego *in opere efficacis Chirurgiae*, qua & *angiologia*, proprio ſuo loco, fuſius explicavi. Quoniam autem in manus adminiſtrorum tonſorum recidit haec actio; optimum, ſi Petrum Paulum Magnum *lib. de venis recte ſecandis*, *c.* 2. adierint, vel Centhii Amathi, Neapolitani, obſervatoris noſtri Noviſſimam *praxin*. Quamvis autem dubitatum a pleriſque ſit, de non attingendi ſcalpro venis colli, ſeu propter infrenabilis profluvii ſanguinis, ſeu propter vinculi ſubjiciendi metum: nihilominus equidem oſtendi in priore parte *efficacis Chirurgiae*, qua de *angiotome venarum*, & nullum ſanguinis ſuperfundendi metum eſſet, & inanem prorſus vinculi formidinem, cujus utique uſus neceſſe non eſt.

Poſt haec offendentur & noſtri, quod antecedere catharcticum ſanguinis detractioni voluerim: cum inverſo Galenus & Galenici omnes ordine conſueverint praeſidiis hiſce uti. Verum iſtorum diſſenſus eſt mihi ſedare facile. Porro meminerint ſanguinis emiſſiones, ſed venenatis & peſtilentibus vitiis haud probari doctis, nimirum quod inanitis vaſibus poſſit vis venenata recurrere ad interiora; atque etiam quod huic affecto generi virium imbecillitas adjuncta ſit. Quare ne mirum quidem eſt, quod Galenus *in lib. de cibis euchimis & cacochymis*, audaciae taxat eos Medicos, qui non dubitarint in peſtilenti febre venam ſecare; atque ex adverſo commendat eos, qui peſtilentibus in affectibus abſtinuerint a ſanguinis detractione: qua eadem prudentia, & cautela, magnus Hippocrates, ſi credimus Petri Salii *l. de febre peſtilente*, demonſtrationibus, ne venam quidem attigit: ita quidem antiqui dictatores noſtri, a quorum decreto non diſceſſit Heurnius, *in libro de peſte*. Joh. Vierus quoque, in curanda febre maligna, abſtinuiſſe ſe venaeſectione profeſſus eſt, quod hanc infeliciter ceſſiſſe animadverterat. Ex adverſo tamen eſt Joh. Foreſtus, qui *libro 6. obſervat.* 3. de morbo epidemico in fauces, guttur, pulmones, irruente ſcribens ad Jacobum fratrem, dicit, experimento non inutilem atque detrimentoſum, ſibi compertam ſanguinis e vena detractionem, neque etiam hanc damnavit; ſed approbavit Avicenna, ubi de febris peſtilentis curatione tradidit: inter quas binas ſententias ſe quaſi medios facientes Hieronym. Fracaſtorius, *lib. de contagio Morborum*, Ludovicus Mercatus, *in conſil. medicor.* 24. & Hieron. Mercurial. *l. de peſte c.* 2. cenſuerunt conſtantibus viribus, & plenitudine ſuadente, mittendum eſſe ſanguinem. Verum tamen in affectus principio, duntaxat; namque hoc elapſo tempore, ſanguinem exhaurire eſt languentes pardere. Cui nos placito adhaerentes & ſemel, & morbi initio tantum, ſanguinem minui volumus; e binis autem praeſidiis catharcticum premitti placet, quod tutius & praeſtabilius id videatur. Quis enim non enucleate videt, & peſtiferi vitii vim ſic elui citius, & hujus fotores ſuccos abſtrahi proinde. Quamquam vero noſtrae huic aſſertioni quidam refragari, noſque corripere conentur, quod primo quoque tempore catharcticum, & illud vehemens propinari doceamus; quod eſt contra normam expectandae coctionis, & contra monita ſapientum, ne quietos

tos humores perturbemus, & crudos fruſtra moventes irritemus. Quibus tamen reſponſum volumus, quod cogamur inter peracuto & peſtifero morbo ſolliciti & feſtini eſſe, praeſertim ita ſuadentibus & Galeno *l. 6. de medicis localibus compon. cap.* 3. Itemque Alexand. Trall. *l.* 4. *rei medicae c.* 1. ac noviſſime Zacuto Luſitano, acuto & experientiſſimo aetatis noſtrae viro, *in l. de princ. med. hiſtor. c.* 75. quam Luſitani viri Clariſſimi diſputationem adeas, Lector.

Objiciat quis, qui audeam equidem ſcalpro tonſillas pertundere, quia facile ſic exacerbantur. Verum, inquam, non obtrudo his, quod Cornelius Celſus *l.* 4. *c.* 4. ſatis altis plagis palatum incidit, itemque Paulus *l.* 3. *c.* 17. itemque Cael. Aurel. *l.* 3. *c.* 3. ipſamque linguam, & fauces, & palatum tenui ac longiori phlebotomo ſcarificat. Etenim inquit, in locali ſanguinis detractione tumentia relaxantur. Non haec, inquam, obtrudo ſimilia, verum tuendo affirmo decretum noſtrum, quod Tonſillas vitio tactas crebris ictibus concidit Hippocrates, *l.* 2. *de morb. l. decimo*, *& l. de affectionib. num.* 4. & Corn. Celſus *l. 6. rei medicae cap.* 10. Et Caelius Aurelianus, *l.* 3. *morb. acut. cap.* 34. Tamen poſt ſcarificationem mitibus gargariſmis utendum voluit & Oribaſius *l. de ſcarif. c.* 20. & Iſaacus 9. *Pract. c.* 41. & hunc ſectatus Conſtantinus Afer, Chirurgicus *c.* 38. & Gariopontus, *l.* 1. *Paſſionarii c.* 23. & Hieronymus denique Mercurialis, *l. de morbis puerorum c.* 12. Andreas Tamajus, & Medici omnes Madritenſes in Hiſpania. Ita ſcilicet ſcarificatus tutus & frugiferus tonſillis extumeſcentibus viſus eſt doctiſſimis omnibus: non ita quidem adactus cum lancinatione digitorum appreſſus, quae uti ſaepe vulgares Medici cruſtulam elidentes uti conſueverunt. Quo divinitus & ἀιτιῶς vere ſpectavit Aetius, *eodem iſto ſermone*, *c.* 46. dicens, conandum autem eſt, in univerſum ne digitum quidem locis admoveamus, aut leni ſaltem tactu manuum admoliamur. Etenim inſcii, ad quos maxime in rebus dubiis homines confugiunt, vehementius illinunt, ſimulque inflammatum locum comprimunt, ſimulque cruſtam detrahunt, quod minime facere convenit, priuſquam elevatam & vix innitentem cruſtam conſpiciamus. Quod ſi enim adhaerentem adhuc cruſtam aggrediamur, ulcerationes in profundum magis & procedunt, & inflammationes conſequuntur, augentur dolores & in ulcera ſerpentia proficiunt. Secutus hoc Aetii monitum eſt Paulus, *l.* 3. *cap.* 26. ſicut in cunctis adſolet. Compendioſe autem & nobis *de peſtilente & praefocante pueros Abſceſſu* dictum ſit, ad hanc horam veſpertinam 22. Januarii, An. XLII. ſupra M.DC. Deo litemus Auctori gratias.

*Operis de recondita Abſceſſuum natura*

FINIS.

INDEX

# INDEX
## RERUM ET HISTORIARUM,
## LOCUPLETISSIMUS.


A.

In Abſceſſibus prognoſticatio pertinet ad probatum, & exercitatum, Medicum, 1.
Abſceſſus totius corporis Valetudinem aut Mortem, vel Vitam, decernunt. 2.
Abſceſſus vocabulo *homonymiæ* multo ineſt. *ibid.*
Abſceſſus nomen quare huic Operi datum. 315.
Abſceſſus & Tumoris confuſa & promiſcua interdum appellatio. 314.
Abſceſſus acceptio multiplex & varia fuit Antiquis. 23.
Abſceſſus nomine, potius quam Tumoris, cur utatur Auctor. 315.
Abſceſſus vox, in *Hippocr.* operibus frequentiſſime recipitur. 1.
Abſceſſus quid apud *Hippocr.?* 314. nempe rei cujuſdam emigratio, ſeu ſeparatio ante conſiſtentis. *ibid.*
*Hipp.* proprie mutatio morbi in alium. 3.
dicitur *Hipp.* pro tranſitu, & tranſmigratione, humorum morboſorum. 6.
ſecundum *Hipp.* pro quocumque Tumore ſaepe uſurpatur. 2.
Abſceſſus, poſt inflammationem qui ſuppurati ſunt, non ita tradit *Hipp.* quam cum criſi legitima, aut imperfecta factis. 4.
Abſceſſus quid ſit apud *Galenum*. 3.
Abſceſſus non excipitur a Criſi, *Galeno*. 10.
atque abſcedere *Galeno* quid. 314.
etiam pro ſuppuratione dicitur *Galeno* &c. 2.
*Latinorum* reſpondet Apoſtemati *Graecorum*, exquiſite. 2. *ad* 3. horum vocis ſignificatio. 2.
Abſceſſus a *Graecis* quo nomine indigitati. 74.
ab *Arabibus* Exiturae dicuntur. 314.
Abſceſſus vox a *Celſo* praecipue. 2.
nominis vis *Severino*. 315.
nomine donat *Severinus* pleraque vitia, quae *Tumores* appellari vulgo ſolent. 313.
ratio interior egregia. 9.
forma quid vocetur? 8.
Abſceſſus tam univerſalis quam particularis dari videtur. 12.
Abſceſſus differentiae quae? 10. *ad* 13.
Abſceſſuum differentiae quae, & a quibus deſumendae. 10.
Abſceſſus potiſſime diſtinguuntur quatenus Critici vel ſymptomatici. *ibid.*
Abſceſſuum differentia, praeterquam quod vel Critici vel Symptomatici eſſe poſſint, a plurimis adhuc procedit. 11. *ad* 13.
Abſceſſus omnes duplices, vel ab adfluxu, vel a tranſmutatione, facti ab *Hippocrate*. 315.
Abſceſſus adenoſus inexcuſſus quinam dicatur? 118.
Abſceſſus tractat Auctor qui cum effluxu, ſeu cum decubitu, & ab aliis cauſſis quam ab inflammatis tumoribus fiunt. 4.
Abſceſſus ſimpliciter dicti, ut Abſceſſus legitimi, differunt. 314.
legitimi idem ac Tumores, ſeu Apoſtemata. *ibid.*
ſunt cum tunica, vel ſine ea. 2.
cum tunica ſunt Cyſtici & Anomali, *Severino*. *ibid.*
ſine tunica Suppurationes vo-

cantur, *Plinio*, *C. Celso*, & *Severino*. *ibid.*
Abſceſſus de Tumore dicitur utroque modo; ſive fuerit tunicae interventu aliena corpora continentis, ſive abſque ea, modo non amplius ſe contingant, quae ſe contingebant corpora. *ibid.*
